

aa.g.nn.

DE SPONSALIBUS
FILIORUMFAMILIAS

Sive verbaliter, sive in scriptis, sive nudis, sive qualificatis cum Juramento, vel Stupro, aut sub pœna conventionali, vel cum augmento Dotis, seu Donatione initis, insciis, vel invitis justè Parentibus, aut Consanguineis, eorumque invaliditate, seu rescissione

VOTA DECISIVA
CHRISTOPHORI COSCI

PATRITII CLUSINI, J. C., PROTHONOTARII APOSTOLICI, DIVERSIS TEMPORIBUS VICARII GENERALIS PISCIÆ, URBINI, IN SABINIS, ASCULI, REATIS, ATQUE CL. MEM. EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DD. CARD. GUADAGNI URBIS VICARII, ET SUBDECANI SACRI COLLEGII DUM ESSET EPISCOPUS PORTUENSIS; ITEM PISCIÆ, SENOGALLIÆ, ET IN EPISCOPATU PORTUENSI, EO DIGNISSIMO PURPURATO DEFUNCTO, VICARII CAPITULARIS; NECNON EX CLEMENTIA S.M. BENEDICTI XIV. VICARII APOSTOLICI, ET ADMINISTRATORIS EPISCOPATUS CIVITATIS, ET DIŒCESIS CALLII, ET COMMISSARII APOSTOLICI SABINENSIS, AC IN PRÆTERITA APOSTOLICA SEDE VACANTE ROMÆ FISCALIS VICARIATUS CUM PERPETUO SECRETO SUPREMÆ INQUISITIONIS


Omnibus Episcopis, Vicariis Generalibus, aliisque Ordinariis, necnon Parochis, Confessariis, & Jurisconsultis utillissima, quibus in fine additum est & aliud Votum ejusdem Auctoris super Matrimonio sine Denunciationibus clandestinè celebrato, simulque Additiones, pluresque circa Sponsalia, & Matrimonia Sacræ Rotæ Romanæ Decisiones.





ROMÆ MDCCLXIII.

TYPIS JOSEPHI, ET NICOLAI GROSSI IN ÆDIBUS DE MAXIMIS.
Prostant Venalia apud Michaelem Angelum Barbiellini in Foro Pasquini ante Agonizantium Ecclesiam.
SUPERIORUM FACULTATE.


EX LIBRIS
FRANC. XAV.
DE ZELADA

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI DOMINO

D. FRANCISCO CONRADO

S. R. E. PRÆSBYTERO

CARDINALI DE RODT

Episcopo Constantiensi, S.R.I. Principi, Domino Augiæ Majoris, & Oeningæ, Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Bajulivo, & Protectori, Præposito Mitrato Elsgamensi in Austria &c.

CHRISTOPHORUS COSCI S.P.D.



Icut ipsa rerum omnium semina principium quoddam, & causam in se habere intelliguntur, undè res quælibet diuturnitatem, suæque speciei perfectionem conservare, & augere possit, vel contra decidere, atque ad interitum defluere debeat: Ità ferè in Humano Genere Matrimonia castè, prudentèrque inita portendere sæpè videntur quicquid felicitatis præsenti

 tem-

tempore Homines capere, ac in futurum expectare meritò habeant, contràque nihil non timendum & religionis ſanctitati, & ſingularum Familiarum, atque adeò Civitatum, & Regnorum ornamento, & ſaluti a Conjugio ſola temeritate, cœcâque libidine conciliato. Hujuſmodi ferè ſunt Matrimonia, quæ Filii clàm, & inconſultis Parentibus, hiſque etiam invitis, & improbantibus contrahere audeant; quippè quia non ſolum illi graviter peccant in reverentiam, & omne officium jure hos erga adhibendum, ſed, quod pejus eſt, nullo ipſi recto conſilio pollentes cùm propter ætatem, tùm propter animum falſis illecebris conturbatum, ac nonniſi aliquod improbum alienum ſectantes cum ſumma Religionis ſimul & ſocietatis injuria, immutabili vitæ ſtatui ſine neceſſario delectu ſeſe implicant, cujus non ità multò poſt fruſtra miſeros, & ad majorem ſui, ſuorumque perniciem pœnitere ſolet. Cum itaque, PRINCEPS EMINENTISSIME, pro inſtituti mei ratione a prima ætate ſuſcepti, Jus nempè dicendi in Eccleſiaſticis Tribunalibus, non raro mihi contigerit controverſias audire, quas ejuſmodi Filiorumfamilias imprudentes conatus, ut plurimum, excitent neceſſe eſt, & nonnulla collegiſſem, quamobrem irritos eſſe jubere præſtet, ſemperque pro viribus, quoad liceat, impedienda dicta Matrimonia judicaverim; quamquam inconcinna prorſus talia, ut ita dicam, commentaria, privatiſque ſcriniis meis tantummodo deſtinata, præter tamen opinionem, meamque voluntatem Auctores mihi fuerunt, ut ederem, quibus negare non potui. Fateor alioquin

quin futurum fuisse nihilominus, ut inofficiosi Hominis notam subirem æquiori animo, ut cujuslibet auctoritatis vim declinarem, vel etiam repellerem potius, quàm morem gererem, nisi Te Virum præclarissimum, cui meum id qualecumque Opus dedico, humiliterque commendo, summamque tuam humanitatem respexissem. Ità enim sum animatus, & ità rationem putavi mecum, ut, si minus hisce meis exercitationibus in lucem emittendis profecero ad mihi propositum finem, sarta nempè, tectaque servandi in Matrimoniorum Contractibus tùm Religionis, tùm Societatis æquissima, & veneranda jura, dùm præsertim fortè in aliquos eædem offendant, quorum alii rem pro merito non faciant, alii elegantioris doctrinæ, ac politioris literaturæ studiosi nihil non fastidiant, quod affabrè non sit elaboratum, fatis tamen sim profecturus eximia Tui, auctoritatisque, & sapientiæ tuæ undiquè jure optimo pervulgata, & nunquam interitura æstimatione. Nam, quibus omnes excelsi animi dotes, omniaque ingenii, & industriæ ornamenta in pretio sunt, nemini cordato autem non sunt in maximo, ii mihi videntur & rem utcumque per me tractatam non improbaturi omnino, in qua Nomen Tuum inscribi, Tibique nuncupari humanissimè dederis. Nomen profectò celeberrimum antiqua generis claritate, immortalibusque Domi Militiæque Majorum factis. Quorum egregia, & singularis in agendo virtus, in deliberando prudentia; & integerrima fides, reique militaris peritia quantum semper eluxerint, non solum id literarum monumen-

tis

tis latiſſimè patet, ſed ipſi etiam AUGUSTI IMPERATORES teſtatum voluiſſe videntur peculiaribus Inſignibus prænobilem Familiam donando in ejus geſtorum perpetuam ſignificationem. At multò etiam illuſtrius ex cumulo tuorum meritorum: Quod enim faciunt quidam induſtrii nimis, & caducarum opum ſupra modum amatores, ut lautum, & copioſum Patrimonium a pluribus Majoribus quæſitum, & in ſe collatum integrum ſedulò cuſtodiant, necnon ipſi tantumdem de ſuo, & pretioſiora ſtudeant comparare, ac ſuperaddere; idem profectò in immortalium ornamentorum locupletiſſima veluti hæreditate Te ſapienter, feliciterque præſtitiſſe, & præſtare, omnes mecum & ſentiunt, & prædicant; nam illa omnia in Te uno micare quiſque videt, iiſque non minora tua propria antecellere. In his haud ultimum illud, imò præſtantiſſimum, ſed mihi penè injucundum, quod, cum per omnem ætatem perindè vitam egeris, eumque in re qualibet, & cum omnibus Te præbeas; ut qui laudem omnium, & admirationem quæreret, a nemine tamen laudari cupias, aut æquo animo patiaris. Id, inquam, præſtantiſſimum, quia revera proprium eſt virtutem ex animo amantis: mihi verò penè injucundum, licet namque impares omninò ſentiam ingenii mei vires ad aliquam partem meritorum tuorum vel mediocriter celebrandam, experirer tamen, & voluntatem ſaltem patefacerem. Cæterum neque inſigni tuæ animi moderationi quicquam detrahent, nèc unquam conticere poterunt ſummi honores, & dignitates, ad quos aſcendiſti, ut inter S. R. I. Viros

Prin-

Principes habearis, ut Circuli Sueviæ regimini præſis, ut Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopatum geras, ut inclyti Hieroſolymitani Ordinis Patroni munere fungaris, & ne alia plura attingam, ut in ampliſſimo S.R.E. Cardinalium Senatu locum obtineas. Imò exiles quodammodò voces ipſa tot primorum honorum in Te collatio emittit ex mea ſententia; dùm inficias non iverim, certum ex ea indicium ſurgere quid Auguſtiſſimi Imperatores, Summi Pontifices, Hieroſolymitanus Ordo, aliique quotquot primas in Civitatibus obtinent, & univerſus Populus de Te judicent, qualem ſpem, fiduciamque de Te conceperint, idque virtutis, & gloriæ præclarum eſſe teſtimonium; ſed efferre quoque videtur eorumdem in Te beneficia, benevolentiam, largitatem. Illud magnificentius fama prædicare habet, quod totum tuum eſt, quodve ſcilicèt oſtendit recenſitos honores in Te ſolius præmium eſſe virtutis, aliiſque Majoribus digniſſimum faciunt prudentiam, vigilantiam, ſolertiam, cum qua mirificè omnibus reſpondes, omnia peragis, ſpem omnium, & opinionem re, factiſque ſuperas; in primiſque ſingularem, ac penè divinam ſapientiam, qua & Epiſcopi, & Viri Principis muneribus pleniſſimè unus, rectiſſimèque ſatisfacias; alterutrum quandoquidem onus vel ſeparatim obeundum qui pro dignitate valeant perferre, paucos admodum licet numerare. Atque hinc potiſſimum quiſque intelliget, ſicut equidem optimè intelligo, nequiviſſe meum hoc Opus Patronum nanciſci Te præſtantiorem, qui Religionem intèr, & Societatem concordiam

pra-

pravitate Mortalium ſæpe perturbatam ita retinere, ac tueri ſcias, & poſſis. Verumtamen unum eſt incommodum, neque audeo diſſimulare, quod meum hoc Opus nihil omnino TANTO VIRO dignum præſeferat; idque me deterrere debebat, & revera deterruiſſet, niſi alio convertiſſem oculos. Sed inter egregias animi tui dotes perſpectiſſimam etiam humanitatem, ut ſupra dicebam, reſpexi; hæc mihi fiduciam attulit, hæc non ſinit me timere, quin ipſum Opus, meque ſimul in fidem tuam benignè recipias. Vale. Ex Urbe Roma.

LECTORI BENEVOLO



Nter alia quamplurima Vota, quæ in Causis coram me discussis, ac per me decisis hactenus exaravi, sequentia reperiebantur circa Sponsalia per Filiosfamilias, insciis, vel invitis justè Parentibus, contracta, seu contrahenda. Hæc ab aliis nondum recusis sejuncta, etsi novis etiam in otio Juribus, Auctoritatibus, atque Additionibus aucta, & in unum collecta, in lucem tamen prodere non audebam a meo ingenio, quod sentio, quam sit exiguum; sanè deterritus. Verum re melius perpensa, voluntati etiam Amicorum obsequens, & sub auspiciis prælaudati præstantissimi Principis, & Eminentissimi Purpurati omni timore deposito, ea Typis edi tandem permisi publicæ utilitati profutura suasus, utpotè accomodata tùm ad comprobandam potestatem super hujusmodi Sponsalia Parentibus a Jure Naturali, Divino, & Canonico tributam, tùm ad refrænandam Filiorumfamilias detestabilem impudentiam, qui sub clypeo malè intellectæ libertatis circa Connubia cuilibet competentis ferè quotidiè, Genitoribus, & Consanguineis, aut Affinibus justè contradicentibus, Matrimonia temerè contrahentes, eos ita dehonorare, & injuria afficere; ac sæpe sæpius totam deturpare Familiam non verentur. Loca, dies, & tempora, quibus ea in Causis occurrentibus conscripsi una cum Nominibus Collitigantium tacui, usus eo verbo = ANONYMA = ne unquam assequi possit notitia Familiarum maximè indignarum Fœminarum, quæ Nobilium Virorum Conjugia assequi artificiosè tentarunt, ad illarum, suorumque Agnatorum, Cognatorum, & Descendentium famæ parcendum. Accipe igitur, humanissime LECTOR, grato animo has ingenioli mei vigilias, & si quid minus, quam par esset, tuis votis arridens, aut non exquisitè conceptum, sive compositum invenies, id benignè sustine, ac si meliora sapis, emenda.

I M P R I M A T U R,
Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus Jordanus Archiepiſcopus Nicomediæ Viceſg.

APPROBATIONES

JUſſu Rm̃i P. Thomæ Auguſtini Ricchini Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri diligenter perlegi Opus inſcriptum = *De Sponſalibus Filiorumfamilias &c. Vota Deciſiva Chriſtophori Coſci &c.* = cum nonnullis *Additionibus*, ac Sac. Rotæ Romanæ *Deciſionibus*, & maxima quidem animi mei voluptate, cum potiſſimum in iiſdem Votis Eccleſiaſticis Judicibus ſolidiſſima rationum momenta ſuppeditari inſpexerim, quibus iidem Judices effrænatæ Filiorumfamilias licentiæ in contrahendis Sponſalibus, juſtè invitis Parentibus, tutò modum imponere poſſint, debeantque, eaque etiam pro rerum, & caſuum opportunitate ex officio reſcindere ad ulteriorem Dei offenſam impediendam, necnon Parentum, & Conſanguineorum injuriam vindicandam, avertendaque, præter Familiæ dedecus, plurima mala plerumque inde certò ſecutura. Quare cum nihil in toto eodem Opere Orthodoxæ Fidei, boniſque moribus contrarium offenderim, luce publica digniſſimum cenſeo. Romæ hac die 17. Januarii 1763.

Ubaldus Giraldi a S. Cajetano Cler. Regul. Scholarum Piarum Apoſtolicus Romani Cleri Examinator, & Collegii Eccleſiaſtici Rector,

LIbrum, cui Titulus = *De Sponſalibus Filiorumfamilias &c. Vota Deciſiva Chriſtophori Coſci &c.* cum aliquibus *Additionibus*, *ac Sac. Rotæ Romanæ Deciſionibus*, juſſu Rm̃i P. Thomæ Auguſtini Ricchini Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri, qua licuit diligentia perluſtravi, & jucundiſſima aviditate perlegi. Cum enim idem Auctor, pro ſingulari, quà invicem neceſſitudine conjuncti ſumus, aſſiduas ejus ſtudiorum Curas mihi haud raro communicaverit, quas ego ſemper ſum admiratus, totoque conatu ſtuduerim, nè quod in decidendis præcipuè Cauſis maximo labore congeſſit, inter privatos lares latitare ſineret; magnoperè tandem aliquando gaviſus ſum, quod ad aliorum utilitatem, hæc ſaltem illius Vota cum nonnullis Additionibus pro nunc cudenda permiſerit: Circa quæ ſolidiſſimis equidem argumentis, Juribus, atque rationibus undique fulcita, ac affabrè elucubrata, nihil prorſus inveni, quod Orthodoxæ Fidei, Sacris Canonibus, boniſque moribus adverſetur; ideoque, uti plurimùm commendanda, necnon ſummoperè utilia, & neceſſaria, ſignanter Eccleſiaſticis Curiis, Parochis, & Confeſſariis, tùm ad impedienda peccata, tùm ad ſervandam pietatem inter liberos, atque Parentes, tuendamque Familiarum tranquillitatem, illarumque ſplendorem, tùm ad occurrendum totius Reipublicæ incommodis, digniſſima cenſeo, quæ publicam in lucem prodeant. Romæ ex meis Ædibus die 15. Februarii 1763.

Flavius Delphinus Tribunalis Em̃i, & Rm̃i Dñi Cardinalis Vicarii Locumtenens Jubilatus, in Romana Curia, & Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Reorum Advocatus, & Conſultor.

I M P R I M A T U R,
Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ELEN-

ELENCHUS ARGUMENTORUM CUJUSCUMQUE SEQUENTIS VOTI DECISIVI

His Votis accedunt sequentes Additiones

DECISIONUM
SAC. ROT. ROMANÆ,
Quæ post Vota referuntur.
INDEX PER DIOECESES.

E L E N C H U S
ARGUMENTORUM
Earumdem Sac. Rot. Romanæ Decisionum.

Tullen. Matrimonii.
Die Lunæ 13. Martii 1596.
CORAM R. P. D. PENN.
DECIS. I.

PRO Argumento Summarium. Pag. 285.

Marianen. seu Acien. nullitatis Matrimonii.
Lunæ 3. Decembr. 1736.
CORAM EMINENTISSIMO BUSSIO
DECIS. II.

Ad Matrimonii validitatem requiritur liber utriusque Contrahentis consensus, nec est sufficiens consensus fictè datus ex justa, & urgenti causa. 287.

Majoricen. Sponsalium.
Lunæ 25. Aprilis 1746.
CORAM EMINENTISSIMO BUSSIO
DECIS. III.

Quando sit locus coactioni adversus Virum Sponsalia frangentem. 289.

Majoricen. Sponsalium.
Confirmatoria præcedentis.
Lunæ 16. Januar. 1747.
CORAM EMINENTISSIMO BUSSIO
DECIS. IV.

Habes in præcedenti Decisione. 295.

Viennen. prætensorum Sponsalium.
Lunæ 12. Januar. 1705.
CORAM R. P. D. KAUNITZ
DECIS. V.

In Sponsalibus conditionatis non potest alter ex Sponsis cogi ad contrahendum Matrimonium in facie Ecclesiæ, nisi purificatis conditionibus. 298.

Comen. Sponsalium;
Mercurii 10. Junii 1705.
CORAM R.P.D. MOLINES
DECIS. VI.

Ex quibus causis, etiamsi constet de Sponsalibus, non debet cogi alter ex Sponsis ad Matrimonium contrahendum. 301.

Tuden. Sponsalium.
Lunæ 21. Martii 1746.
CORAM EMINENTISSIMO CAPRARA
DECIS. VII.

Sponsalia perfecta non dicuntur, nisi promissioni unius Sponsi accedat repromissio alterius. Filius ob acerrimam Patris indignationem recedere potest a Sponsalibus per ipsum initis. Pœnale pactum appositum in Apoca Sponsalium nullius est roboris. 303.

Tuden. Sponsalium.
Confirmatoria præcedentis
Lunæ 20. Junii 1746.
CORAM EMINENTISSIMO CAPRARA
DECIS. VIII.

Habes in præcedenti Decisione. 305.


Constantien. Sponsalium.
Mercurii 26. Junii 1748.
CORAM EMINENTISS. ELEPHANTUTIO
DECIS. IX.

Sponsa habet justam, & rationabilem causam recedendi a Sponsalibus, si Sponsus illam famare tentaverit, falsò publicans se eam incarnaliter cognovisse. 309.

Constantien. Sponsalium.
Confirmatoria præcedentis.
Veneris 17. Januarii 1749.
CORAM R. P. D. DE VAIS
DECIS. X.

Habes in præcedenti Decisione. 313.

Rca-



DE SPONSALIBUS FILIORUMFAMILIAS CHRISTOPHORI COSCI *VOTA DECISIVA.*

ANONYMA LIBERTATIS MATRIMONII

ARGUMENTUM

Non licet Filiisfamilias insciis, vel invitis juste Parentibus sub pœna culpæ læthalis contrahere Matrimonium.

SUMMARIUM

1 *Matrimonium ad Humani Generis propagationem sub ipso Mundi exordio a Deo institutum fuit.*
2 *Et a Jesu Christo Sacramenti virtute donatum.*
3 *Quomodo celebrandum.*
4 *Facti species*, & num.5.
6 *Filii Matrimonium honestum, ac laudabile ineuntes clàm a Parentibus, vel ipsis conscìis, sed rationabiliter contradicentibus, peccant mortaliter contra Jus Naturale, Divinum, ac Positivum*, & num.16. 17. 114. 129. 135. 159.
7 *Ex quibusdam causis satis raro urgentibus excusantur, quæ enumerantur* num.134.
8 *In eorum Matrimoniis ineundis Parentum consensus requiritur de necessitate Præcepti sub pœna culpæ læthalis*, & num.21. 22.
9 *Peccant mortaliter, etiamsi Pater contra suam voluntatem ipsis Filiis Matrimonium contrahere non interdixerit, & hæc est communis opinio.*
10 *Quia Filii ita contrahentes peccant contra IV. Decalogi Præceptum*, & num.11.49. 50. 51. 129.
12 *Gravis enim in re gravi ab eis injuria Parentibus irrogatur.*
13 *Contra honorem illis debitum*, & num.14.
15 *Jura tam Canonica, quam Civilia severissimè prohibent hujusmodi nuptias*, & num.129.
17 *Et ob hanc causam possunt Filii a Parentibus exhæredari*, & n.64.
18 *Et exinde puniri.*
19 *Una cum Sacerdotibus, qui illorum Matrimoniis assistunt.*
20 *Hanc sententiam tuentur etiam Canonistæ, qui referuntur.*
23 *Naturalis æquitas Filiorum nuptias Patris judicio relinquit.*
24 *Quia Parentes optimum, & saluberrimum consilium pro liberis capere præsumuntur.*
Pater diligit filium plusquam seipsum ibid.

25 In-

25 *Infirmum est filiorum consilium insidiis multis, & ceptionibus expositum.*

26 *Cautius est agendum ubi majus periculum imminet.*

27 *Sancta Dei Ecclesia hujusmodi Matrimonia semper detestata est, atque prohibuit,* & num.28. 29. 30. 58.112.115.132.159. 184.196.

29 *Eo prorsus modo, quo detestata est, atque prohibuit Matrimonia clandestina.*

30 *Magna incommoda ex Matrimoniis per filios initis inscijs, ac invitis Parentibus oriri solent,* & num.187. & seqq.

31 *Talia Matrimonia tamen irrita non sunt, sed illicita* & num.32. 125.126.127. 128. 129. 131.156. 157. 158. 199. & seqq.

33 *Est controversia inter DD. an antiquitùs fuerint irrita.*

34 *Videtur tamen, quod Ecclesia ea irrita aliquando voluerit,* & num.50. 51. 66.

35 *Id probatur, quia a Sacris Canonibus adulteria, contubernia, stupra, & fornicationes vocabantur, & pariter* num.36. 37. 38. 58.

40 *Sacris Canonibus conformis fuit Ecclesiæ Orientalis observantia.*

41 *Concilia Provincialia omnium Nationum præfata Matrimonia saltem pro illicitis habuerunt, hoc est;*

42 *Concilium Arelatense IV.*

43 *Concilium Parisiense anni* 557.

44 *Concilium Toletanum III.*

45 *Concilium Coloniense anni* 1536.

46 *Synodus Provincialis Moguntina anni* 1549.

47 *Concilium Provinciale Mediolanense VI.*

48 *Acta Ecclesiæ Mediolanens.*

52 *Esau, qui Uxorem duxit contra Patris præceptum, aut fuit insipiens, aut vere stultus.*

53 *Filii obedire debent Parentibus, eosque honorare, quod est mandatum primum in promissione.*

54 *Isaac, Jacob, & Rebecca in contrahendis Matrimoniis Parentum mandatum sunt exequuti.*

55 *Sampson Parentibus renuentibus a Matrimonio abstinuit, donec ipsorum consensum non impetravit.*

56 *In veteri lege Præcepta Domini de filiorum nuptiis, non filiis, sed semper Parentibus fuere proposita.*

57 *Parentum consensus in filiorum Matrimoniis non requiritur pro majori decentia, ac honestate, sed de necessitate* & num. seqq.

59 *Leges civiles hæc prohibent Matrimonia* & num.129.

61 *Item Jus municipale quamplarium Regnorum, ac Rerumpublicarum, & quare.*

62 *Jus Cæsareum hujusmodi Connubia pro irritis habet,* & num.63.

65 *Quod tamen est correctum per Jus Canonicum novissimum.*

66 *Non autem per Jus Canonicum antiquum.*

67 *In præfatis Conjugiis summa deformitas naturali lumine deprehenditur,* & num.68.

69 *In Regno Castellæ filii talia Connubia contrahentes puniuntur exhæredatione, confiscatione bonorum, & exilio.*

70 *Item in Regno Lusitaniæ exhæredantur.*

71 *Item in Principatu Cataloniæ.*

72 *In Ducatu Mediolanensi.*

73 *Statutum Faventinum prohibet ne quis sponsalia contrahat sine Ascendentium, aut si desint, Proximiorum consensu sub pœna privationis Dotis.*

74 *Idem prohibet Statutum Bononiense.*

75 *Quidnam disponatur circa hujusmodi Matrimonia in lege Duguberti.*

76 *Et in Capitulari Caroli Magni.*

77 *In Regno Neapolis Matrimonia Clandestina, hoc est sine solemnitatibus, prohibita sunt sub pœna exhæredationis, & respectivè privationis dotis.*

78 *In Regno Siciliæ interdictum est ne ullus Matrimonia cum minoribus decem, & octo annorum absque Curatoris, aut duorum Propinquorum voluntate contrahere filios, aliosve procuret sub pœna*

pœna ultimi supplicii , ac bonorum publicationis .
In Ditione Regis Galliarum vide plura ibid.
79 *Principes Sæculares , & statuta municipalia possunt sub pœnis prohibere, ne Matrimonia inſciis, vel invitis Parentibus fiant , & quare* , & num. seqq.
80 *Ad Ecclesiam spectant Causæ Matrimoniales, & Leges condere circa Matrimonia .*
Declara ut num. 81.
82 *An prædictæ sæcularium Principum sanctiones a Jure Canonico novissimo sint abrogatæ .*
83 *Nationes omnes etiam barbaræ Conjugia inita inſciis , vel invitis Parentibus detestantur , & existimant esse crimen enorme* , & num. seqq.
85 *Est peccatum contra legem naturæ, pacis perturbativum, ac irreverentiæ, & impietatis , ideoque publica auctoritate puniendum .*
86 *Non obstat , quod dissensus Parentum uti impedimentum impediens expressum non sit in tritis Carminibus* = Error , Conditio , Votum &c. =
87 *Jus statuendi impedimenta impedientia, & dirimentia spectat ad Papam, & ad Concilia generalia.*
88 *Non ad Episcopos .*
89 *In dictis carminibus non omnia impedimenta enumerantur* , & num. 109.
90 *Ibi enim nulla fit mentio de insanis , & furiosis , nec de amentia perpetua, quæ reddit irrita , nec de lucidis intervallis , quæ reddunt illicita Matrimonia* , & num. seqq.
97 *Nec de Excommunicatis vitandis , & Hæreticis, quorum Matrimonia sunt illicita* , & num. 105.
98 *Nec de defectu Pubertatis , ex quo irrita sunt Conjugia .*
Limita ut num 99. & seqq.
102 *Nec de peccato mortali , quod est impedimentum impediens* , & num. 103. 104.
106 *Nec de interdicti censura , quæ impedit matrimonium .*
107 *Nec de Denunciationibus Matrimonio præmittendis , sine quibus Matrimonium est Clandestinum , & illicitum .*
108 *Nec de Matrimoniis Clandestinis primæ , & secundæ speciei , quæ sunt irrita .*
110 *Impedimentum dissensus Parentum refertur ad illud* = Ecclesiæ vetitum = & num. seqq.
111 *Vetitum , & prohibitum sunt synonima .*
114 *Ineuntes Matrimonium in peccato mortali committunt sacrilegium .*
117 *Furia modo irritum , modo illicitum reddit Matrimonium .*
118 *Furiæ impedimentum reducitur ad errorem .*
119 *Impedimentum dissensus Parentum non fuit a Concilio Tridentino improbatum .*
120 *Nuptiæ Filiorum contra Parentum voluntatem initæ, & ut plurimum indecoræ , sunt fomentum discordiarum , scandalorum, aliorumque malorum inter Consanguineos, & Affines , nec non tractu temporis odii inter Conjuges .*
121 *In Concilio Tridentino propositum fuit dubium , an Connubia filiorumfamilias inſciis , vel invitis Parentibus ante præfiniendam ætatem inita , expediret irrita facere .*
122 *An id fuerit statutum* , & n. 123.
124 *Ad declarandos in Concilio Generali articulos fidei omnium fere suffragiorum calculus requiritur .*
125 *Tridentini Patres fuerunt in sensu , ut Matrimonia filiorum inſciis, vel invitis Parentibus contracta, ut illicita , penitus essent improbanda , & sub gravioribus pœnis prohibenda .*
130 *Quomodo intelligenda sunt verba* = Dimittet Homo Patrem , & Matrem , & adhærebit Uxori suæ =
133 *Non suffragatur filiis nuptias contra Parentum voluntatem inire volentibus libertas hominibus data in contrahendis Matrimoniis .*
136 *Quartum Decalogi Præceptum,*

etsi videatur affirmativum, continet tamen præceptum negativum.

137 *Ejus transgressio inter gravissima crimina adnumeratur.*

138 *Liberum arbitrium a peccato non excusat.*

139 *Lex prohibens peccatum libertatem non tollit, sed potius a lege libertas regulatur*, & num. 147.

140 *Libertas ad malum faciendum est libertatis imperfectio*, & num. 141. 142.

141 *Posse peccare non pertinet ad hominis libertatem, sed ad defectum*, & num. 142.

143 *Deus peccare non potest, & tamen est omnipotens.*

144 *Contrahere Matrimonium insciis, vel invitis justè Parentibus non est uti, sed abuti propria libertate.*

145 *Libertas, quæ desideratur in Matrimonio debet esse honesta, & rationabilis.*

146 *Coactio auget libertatem, si ad id impellat, quod quis sub peccato mortali facere tenetur.*

148 *Si Peccator a peccando desistat, non id exequitur contra propriam libertatem, sed pro sui libito, & voluntate*, & num. 150.

149 *Vir honestus, & nobilis, qui abstinet ab arte infami, id facit libere, & voluntarie.*

151 *Homo tenetur ex caritate Deum diligere, & tamen actus dilectionis est voluntarius.*

Filius in ducenda Uxore tenetur paternum adhibere consilium, illudque sequi ibid.

152 *Parentes nequeunt adigere filios ad Matrimonium certum ineundum.*

Limita ut num. 153.

154 *In Matrimonio liberrimus consensus Contrahentium requiritur.*

155 *Nec est necessarius concubitus.*

156 *Ideoque si deficit consensus Parentum, Matrimonium est validum, sed illicitum*, & n. 157. 158.

161 *Qui cum aliqua Fœmina sponsalia contraxit, seu simplici voto Castitatis adstringitur, si in prima casu aliam desponsat, & in secundo Uxorem ducit, Matrimonium est validum, sed illicitum, ideoque mortaliter peccat.*

162 *Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis debito, ac ritu Catholico contracta sunt valida.*

163 *Sed illicita non obstante libertate, quia sub peccato mortali sunt prohibita.*

164 *Ideoque punienda.*

165 *Mulieres cum Hæreticis nubentes in pœnam peccati dote privantur.*

166 *Nisi Papa dispenset, prout supra Jus Ecclesiasticum dispensare valet.*

167 *Pœna conventionalis in sponsalibus ab Ecclesia improbatur, quia minuit libertatem.*

169 *Nam a sponsalibus plures justæ causæ permittunt discedere.*

170 *Firmæ tamen remanent aliæ pœnæ, & remedia in jure statuta contra eos, qui injustè a sponsalibus recedere tentant.*

171 *Ex Cap.* Gemma de sponsal. *resultat, quod Parentes impedire possunt filiis Matrimonium contra eorum voluntatem contrahendum*, & num. 172.

173 *Ecclesia libertatem Filiisfamilias sartam tectam reliquit circa Matrimonium, sed ut ea uti valeant in electione status*, & n. 185.

174 *In electione enim status solus consensus eligentis est attendendus*, & num. 182.

175 *Non autem, ut ea uti valeant in ducenda Uxore contra voluntatem Parentum*, & n. 176. 177. 178. 179.

177 *Declaratur circa hæc sententia D. Thomæ.*

181 *Conditio adjecta legato* = Si filius Uxorem cum Parentum consensu ducat = *declaratur, & est servanda.*

183 *Nec in Conciliis, nec in Summorum Pontificum Decretis legitur, quod liceat filiis, insciis, vel invitis Parentibus, contrahere Matrimonium.*

184 *Ecclesia dispensare non potest supra Jus Divinum.*

186 *Cur Ecclesia interdixit filiis ducere Uxorem insciis, vel invitis Parentibus.*

187 *Peccata plura committuntur a filiis*

illis incuntibus Matrimonium inſciis, vel invitis Parentibus videlicet;

188 *Dehonoratio Parentum contra IV. Decalogi Præceptum*.

189 *Sacrilegium dum contrahunt Matrimonium*,

190 *Sacrilegium dum miniſtrant Sacramentum in peccato mortali*.

191 *Sacrilegium, quia alter alteri cooperatur, ut ſacrilegè hoc Sacramentum recipiat*.

192 *Peccant quoque, quia non ineunt Matrimonium primariò ad propagandam ſobolem, ſed ſolum ad explendam libidinem*.

193 *Gratia cum peccato ſtare non poteſt*.

194 *Talia Connubia pariunt infelices exitus*,

195 *Error Cauſidicorum circa hujuſmodi Connubia*.

197 *Non poteſt hiſce Connubiis Ordinarius auxilium, aut conſilium præſtare*.

198 *Tales Contrahentes nunquam ita ſe peccaſſe pœnitet, & quare*.

200 *Validum eſt Sacramentum Baptiſmi a Parocho excommunicato collatum*.

201 *Et Sacramentum Euchariſtiæ a Sacerdote irregulari confectum*.

202 *Sed uterque a Superiore Eccleſiaſtico ad id licentiam obtinere non valet, ſed ut irregularis, & excommunicatus ab adminiſtratione Sacramentorum eſt arcendus*.

203 *Et ſi miniſtret, ſeverè eſt puniendus*.

204 *Eodem modo procedi debet contra filios taliaConnubia ineuntes*.

205 *Filius revocare poteſt ſponſalia ex ſola conſideratione Paterni diſſenſus*.

VOTUM I.

1 ATRIMONIUM ad Humani Generis propagationem ſub ipſo Mundi exordio a Deo inſtitutum *Geneſ. cap.* 1., & a Jeſu Chriſto ad animarum ſalutem, & humanæ infirmi-
2 tatis remedium *Sacramenti* virtute donatum, puro corde, erectoque in Dei gloriam animo, non autem cum peccato, cum Parentum injuria, cum familiæ dedecore, cum ſcandalo, aut ſolo explendæ libidinis deſiderio a Chriſtifidelibus celebrandum eſt, ut 3
bonis amplis, quæ ſecum fert, nullatenus fraudentur. *Sacramentum ſiquidem*, Apoſtolo teſte, ad Epheſ. cap. 5. verſ. 32. *hoc magnum eſt, in Chriſto, & Eccleſia*. Ubi Sacramentum audimus, ad ſanctimoniam colendam impellimur; nec ſuum quis debitum implet, qui idipſum ſanctè non init, & ſervat; quemadmodum hiſce potiſſimum ferè verbis eleganter memorat celeberrima *Synod. Sabinen. an.* 1736. a cl. mem. Emo, & Rmo D. Card. Hannibale Albani, ſeu S. Clementis ſuis magnis ſumptibus promulgata *par.* 3. *cap.* 9. §. 1. *pag.* 55.

Quamobrem quidam Adoleſcens ex divitibus, ac honeſtiſſimis Pa- 4
rentibus ortus in Uxorem ducere cupiens Fœminam paris conditionis, at ſuis Parentibus inviſam, quia paucis ab hinc annis illius Patrui ad vindictam hujus Adoleſcentis Genitorem calumnioſa querela in Judicium delata ad mortem perſequi tentarunt, ut Matrimonium cum ipſa rectè, & ritè poſſet inire, petiit a nobis an tuta conſcientia, etiam invito Patre, *attenta libertate Matrimonii*, ſibi eam ducere liceret, & quatenus id illi nullo jure vetitum eſſet, licentiam Parocho aſſiſtendi Matrimonio, non præmiſſis denunciationibus, per nos concedi poſtulavit.

Nos, qui ſanam doctrinam *D. Archiepiſcopi Muſcettolæ* tuemur, quinimo Naturales, Divinas, Humanaſque Leges inviolabiliter ſervandas eſſe jure, meritoque contendimus, ſtatim præfatum Juvenem, cæteroquin 5
bonæ indolis, boniſque moribus imbutum, ſuadere non omiſimus, ut a tali Matrimonio animum averteret, & quamvis a nonnullis Curialibus id audiſſe replicaſſet, quod circa Filii Matrimonium Parentum conſenſus non requirebatur, quia Matrimonium eſt liberum, nec ab aliena voluntate, ſed a voluntate, & conſenſu ſolummodo Contrahentium dependet, nihilominus

lominus rationibus infrascriptis per
nos in contrarium adductis tandem
acquievit.

Rationes, & fundamenta nobis
præsertim præbuit celeberrima Differ-
tatio præfati *D. Archiepiscopi Muscet-
tola* post *Zaul. ad Statut. Favent. ul-
timæ editionis*, itemque in altera
Neapolitana anni 1742. per extensum
impressa, in qua refert communem
6 DD. Sententiam, quod Filii nempe
Matrimonium etiam honestum, ac
laudabile ineuntes, clàm tamen, nè
Parentibus innotescat, vel ipsis con-
sciis, sed rationabiliter contradicenti-
bus, ut plurimum peccant mortaliter
contra Jus Naturale, *Divinum*, *ac*
7 *Positivum*, quodque ex quibusdam
tantum causis satis raro urgentibus ex-
cusantur, hancque sententiam com-
probat auctoritate *Card. Turrecremat.
in Can. Aliter* 30. *q.*5. *n.*2. ubi, quod
Parentum consensus requiritur de ne-
8 cessitate Præcepti, ideoque mortali-
ter peccat, qui illud omittit *Card. Bel-
larmin. controvers. de Sacram. Ma-
trim Cap.*19. *vers. Tertia propositio
tom.*2. *Sot. in* 4. *Sentent. dist.*28. *qu.*1.
*artic.*1. *in fin. Petr. de Sot. lect.*3. *de
Matr. Molin. de Just. tract.*2. *disp.*176.
*vers. Ad primum argumentum tom.*1.
aliisque antiquioribus relatis *Sanchez
de Matrim. lib.*4. *disp.*23 *n.*9. *tom.*1.
*Soyr. in Clav. Reg. lib.*7. *cap.*5. *n.*12.
*Petr. de Ledesma in tract. de Matrim.
quæst.*47. *artic.*6. *verb. Secunda conclu-
sio* = ibi = *Regulariter*, *& per se lo-
quendo, si Filius debet contrahere Ma-
trimonium*, *illud debet facere ex vo-
luntate Parentum*, *& si non faciat*,
peccat mortaliter, *& idem docent om-
nes Doctores tam Theologi*, *quam Ju-
risperiti* = ubi quoque subdit peccare
mortaliter contra Virtutem pietatis,
9 etiamsi Pater contra suam voluntatem
Filio contrahere Matrimonium non
interdixerit, cujus Doctoris aucto-
ritatem libenter amplectimur, tum quia
rem accuratè pertractat, tum quia uti
unus ex antiquis Discipulis *D. Thomæ*
egregiè interpretatur mentem S. Do-
ctoris, qui perperam a nonnullis in
contrarium allegatur, tum quia hæc
est communis opinio, ut præter citatos
quoque testantur *Gaucerius in addit.*
*ad summ. Cajet. verb. Matrimon. vers.
Præter casus. Ludovicus Abelly Epis-
copus Ruthen. in medull. Theolog par* 2.
*tract.*1. *cap* 8. *sect.*3. *n.*3. *Petr. a S. Jo-
seph in Summ. de* 4. *Decalog. Præcept.
artic.*2. *§. Sed quid si Filius. Anton.
Nald in Sum. verb Filius n.*6. *Fa-
gundez in Præcept. Decal. lib.*4. *cap.*4.
*n.*4. *Gabriel a S. Vincent. de Matrim.
par.*4. *disput.*3. *quæst.*5. *n.*3. *Amic. in
Curs. Theol tom.*9. *de Sacram Matrim.
disput.*4. *sect.*1. *n.*8. *in fin. Mastrius
in Theol. moral. disput.* 20. *quæst.* 2.
*art.*3. *n.*48. *Martinon. tom.*2. *de Sacram.
disput.* 71. *sect.* 9. *n.* 107. *Leander de
Sacram. tract.* 9. *disput.* 6. *quæst.* 5.
*Marchant. In Tribun. Sacram. tom.*2.
*tract.*5. *tit.*2. *quæst.*4. *conclus.*4. *Platell.
tom.*5. *cap.* 7. *§.*5 *n* 1112. *Isambertus
tom.*6. *in* 3. *par. D. Thomæ de Sacram.
Matrim. disput* 7. *artic.* 10. *circ. fin.
Gennett. tom.* 5. *tract* 9. *cap.* 8. *sub
quæst* 1. *Rebell. de obligat. Just. par.*2.
*lib.*2. *quæst.* 14. *sect.*1. *n.* 8. *& seqq.
Basilius Pontius lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 27.
*Joann. Valer. de differ. utr. for. verb.
Matrimon. differ.*1. *Alexand. Polit. de
patria in testamen. condend. potest.
lib.*1. *cap.*3. 4. *& seq. & lib.*2. *per
tot. Bonaccin. de Sacram. Matrim.
quæst.* 4. *punct.* 17. *n.* 25. *Coninck de
Matrim. disp.*28. *dub.*5. *n* 52. *conclus.*3.
*Perez de Matrim. disp.*15. *sect.*5 *n.*6.
Gaspar. Hurtad. eod. tract. disp. 6.
difficult. 10. *n* 36. *Escobar. univers.
Theolog moral. tom.*3. *par.*2. *lib.* 25.
sect. 2. *dub.*175. *n.* 724. *in fin. Thom.
del Bene de immunit. part.* 1. *cap.* 8.
*dub.*19 *sect* 9. *n.*34. *Cotton. contr.*3.
*cap.*3. *n.*93. *Trullench. tom.*1. *in Præ-
cept. Decal. lib.*4. *cap.*1. *dub.* 2. *n.*13.

Et ratio est, quia Filiifamilias ita
contrahentes peccant contra IV. *Deca-* 10
logi Præceptum *Megal.*1.2. *par. Insti-
tutionis Confessariorum*, *& Pœniten-
tium lib* 2. *cap.*23. *n.*52. = ibi = *Fi-* 11
lia, *quæ absque consensu Patris Ma-
trimonium contraheret*, *contra quar-
tum Decalogi Præceptum mortaliter
peccaret* = idemque docet de filiis *n.*57.
gravis enim in re gravi ab eis injuria 12
Parentibus irrogatur *Merbesius in
Sum. Christ. par.*2. *de Sacram. Matrim.
differt.* 7. *quæst.* 17. *per tot. Silv. in
supplem.* 3. *par. quæst.*47. *artic.*6. *con-
clus.*4.

13 *clus*.4. contra honorem illis debitum *Florentius de Coq. tom.*3. *princ.Theol. cap.*12. *sect*.5. *Marcus Vidal. in Arca salutar.de Just.* & *Jur.inquisit.*2.*n*.5. *P. Mauritius Philippi in Directorio Conscientiæ tract.*25. *de Matrim. c.*4. *quæst.*3. *per tot.* = ibi = *Tenetur ordinariè filius petere consensum Paren-*
14 *tam ad ineundum Matrimonium, quia filius nubendo contra voluntatem Patris afficit irreverentia in re notabili contra illud Exod.*20. Honora Patrem tuum. *Deinde Jura tam Canonica,*
15 *quam Civilia severissimè prohibent hujusmodi nuptias Can. Honorantur* 32. *quæst.* 2. *Hinc Div. Ambros. lib. de Abraham cap. ult. Non est Virginalis pudoris eligere Maritum* = undè rectè convincitur, quod a Jure Divino, ut
16 diximus, hujusmodi Matrimonia prohibentur, idque confirmat *Natal. Alex. in Theol.Moral.tom.*6.*tract.de Sacram. Matrim. cap.*2. *art.*3. *propos.*3. = ibi = *Lethaliter peccant filiifamilias, qui Parentibus inconsultis, vel justa ex causa repugnantibus Matrimonia contrahunt* : ID ENIM VETAT DIVINA
17 LEX = & ob hanc Causam possunt a Parentibus exhæredari *S. Petrus Cœlestinus opusc.*8. *par.*6. *sect.*1. *cap.*4. quod habetur in *tom.*25. *Bibl. veter. Patr.* = ibi = *Id vero, quod dicitur, filia Patri danti sibi Virum non potest contradicere, intellige sine vitio ingratitudinis, & poterit exhæredita-*
18 *ri* = & exinde puniri *Ludovic. Engel. tom.*3. *in* 4. *Decretal. tit.*2. §. 2. *n.*6. =ibi= *Si liberi absque rationabili causa inconsultis, vel invitis Parentibus Matrimonia contrahunt, pleramque mortaliter peccant, & exinde puniri*
19 *possunt* = una cum Sacerdotibus, qui illorum Matrimoniis assistunt *Cabassut. in Theor. Jur. Can. lib.*3. *cap.*25.*n.*4. = ibi = *Matrimonia filiorumfamilias sine Parentum consensu celebrata, consentiunt omnes esse illicita, & Divinis, humanisque legibus prohibita, & pœnis esse dignos filios, qui contrahunt, & Sacerdotes, qui eis assistunt* = & melius *n.*7.

Inter Juris Consultos autem, & maximè Canonistas, qui hanc eamdem
20 sententiam tuentur, ultra *Ludovic. Engel.*, ac *Cabassut. mox citatos* habemus *Fagnan. in Cap. Tua n.*11. & *seqq.*, ibique *Gonzalez n.*12. *de despons. Impuber. Barbos. sup. Concil. Trident. sess.* 24. *de reformat. Matr. cap.*1 *n.*2. *in fin. Robert. Konig. super* 4. *Decretal. tom.* 2. *tit.* 1. §.7. *n.* 47. *Francisc. Salern. Consil.lib* 1. *cons.*15. *n.*24. & *seqq.Guttier. tract. de Matr. cap.*79.*n.*20. = ibi = *Auctores affirmant, & latè probant peccare mortaliter filium Matrimonium ineundo, estque omnium Theologorum sententia: tene-* 21
tar igitur sub culpa lethali consilium Parentum circa Matrimonium petere = ac cæteris omissis *Potit. de Jorlis de magn. Matr.Sacram.quæst.*21.*par.*8. *n.*16. & 17. = ibi = *Probabilius existimo filios teneri sub culpa lethali consilium Parentum circa Matrimonium petere &c. quia Juri naturæ, quo Parentes in liberos funguntur sub* 22
quorum potestate sunt, conformè est, ne citra Parentum consilium aliquid de re tam gravi, ut est Matrimonii vinculum, a quo totum Vitæ institutum pendet, filius deliberet = ultra text. expressum in *Can. Nostrates* 30. *quæst.*5. *Can. Honorantur* 32. *quæst.*2. = ibi = *Consulitur puella non de sponsalibus, illa enim judicium expectat Parentum* =

Insuper *Apostolus*, quo nemo melius Jura naturalia Patris in filiorum nuptias scire poterat 1.*adCorint.cap.*7. *vers.*38. tamquam si totum hoc negocium in arbitrio Patris positum sit, ita loquitur = *Qui Matrimonio jungit Virginem suam benè facit, & qui non jungit meliùs facit* = ex quibus verbis elicitur, quod infallibili quoque judicio *Apostoli* naturalis æquitas Filio- 23
rum nuptias Patris arbitrio relinquit, & per ea verba = *Virginem suam* = filiorum virginitatem idem *Apostolus* quasi in Parentum peculio reponit, & merito quidem, id enim naturalis æquitas, honor Patri debitus, & ipsa naturalis ratio suadet, quia Paren-
tes optimum, & saluberrimum consi- 24
lium pro liberis capere præsumuntur *l. Nec in ea* 22. *ff. Ad l. Juliam de Adulter.* quoniam Pater diligit filium plusquam seipsum *l. Isti quidem* 8. ibique *Gloss. verb. magis ff. de eo, quod met. caus.* & è contra admodum infir-

infirmum est filiorum consilium, insi-
25 diis multis, & captionibus expositum, prout in praxi experimur; ideoque consulto *Sacræ Literæ in Ecclesiastic. cap* 3. *vers.*2. præcipiunt = *Judicium Patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis* = & in aliis pluribus locis, necnon Gentium omnium leges, ac mores inter præcipua Parentum officia posuerunt in Matrimoniis conditionem quærere filiis, tum quia Parentes in hac re meliora, quam ipsi filii consilia capiunt, tum quia quod est indissolubile, non solo consensu Filii, vel Filiæ, qui vel ex pueritia, vel temulentia, vel ex insidiis, aut ex calore libidinis potest oriri, sed
26 majori cum consilio ligandum sit, ibi etenim cautius est agendum, ubi majus periculum imminet *Cap. Ubi periculum* 4. *de Elect. in* 6.

Hinc Sancta Mater Catholica Ecclesia hujusmodi Filiorumfamilias Matrimonia insciis, vel invitis Parentibus
27 contracta, aut contrahenda semper est detestata, ut notat *Zipæus in tract. de jurisdict. lib.*2. *cap.*12. *n.*2. *& de not. Jur. Belgic. lib.*5. *tit. de sponsal. n.*8. *tom.*2. *& in Analys. Jur. Pontific. lib.*4. *tit. de sponsal. n.*5. = ibi = *Ecclesia semper detestata est ea Matrimonia, quæ filii contrahunt insciis, invitisque Parentibus* = idemque testatur *Sac. Concil. Trident. cap.*1 *sess.*24. *de reformat. Matr.* = ibi = *Tametsi dubitandum non est clandestina Matrimonia libero Contrahentium consensu facta, rata, & vera esse Matrimonia &c. & proinde jure &c. eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant; quique falso affirmant Matrimonia a Filiisfamilias* SINE CONSENSU PARENTUM *contracta irrita esse &c. nihilominus San-*
28 *cta Dei Ecclesia ex justissimis Causis* ILLA SEMPER DETESTATA EST, *atque* PROHIBUIT = quod Decretum literaliter improbat Matrimonia clandestina æque ac illa sine consensu Parentum
29 contracta, prout observant *Fagnan. in d. Cap. Tua n.*11. *de desponsat. Impuber. Marchant. in Tribun. Sacram. tom.*2. *tract.*5. *tit.*2. *quæst.*4. *conclus.*4. *Gennett. tom.*5. *tract.*9. *cap.*8. *quæst.*1. non obscure *Card. Pallavicin. in Historia Concil. Trident. lib.*22. *cap.* 4. *n.*1. *& 2. Sayr. in Clavi Reg. lib.*3. *cap.*5. *n.*12. = ibi = *Quia ut plurimum incommoda magna ex eo, quod filii Matrimonium insciis, ac invitis Parentibus contrahant, meritò Ecclesia hujus-* 30
modi Matrimonia semper prohibuit =

Quinimo licet hodie talia Matrimonia irrita non sint, sed solum illi- 31
cita *ex Sacri Concil. Trident. loc. mox cit.* declaratione *B. Albertus magnus in* 4. *sent. distinct.*28. *art.*4. *Caboss. in Theor. Jur. Canon. lib.*3. *cap.*25. *n.*4. *Juenin. in Comment. de Sacram. par.*2. *dissert.*10. *quæst.*5. *cap.*3. *in princ. Hermann. in* 4. *sent. tract* 9. *disput.*2. *q.*3. *n.*4. *Gulielmus Estius in* 4. *sentent. distinct.*28. §. 2. *in princ.* = ibi = *Quamvis rata sint Matrimonia inconsultis Parentibus contracta, plerumque tamen sunt illicita, nam nisi justa causa diversum suadeat, tenentur liberi* 32
Parentum consilium audire, & consensum expectare = Nihilominus quidquid dicant, qui tam ex veteribus, quam ex modernis Theologis, & Jurisperitis disputant, an talia Matrimonia tam- 33
quam irrita antiquitus rejecta fuerint, de qua controversia agunt *Fagnan. in d. Cap. Tua n.*20. *& seqq. de desponsat. Impub. Basil. Pontius de Matrim. lib.*2. *cap.*1. §. 1. *Juenin. d. cap.*3. *art.*1. *conclus.*2. certum est, quod juxta literam, & verborum sensum, Ecclesia hujusmodi Connubia etiam irrita ali- 34
quando voluerit, ut desumitur ex Decreto EVARISTO Papæ tributo, atque relato in *Can. Aliter* 30. *quæst.*5. = ibi = *Legitimum non fit Conjugium nisi &c. a Parentibus, & Propinquioribus sponsetur &c. aliter vero præsumpta, non Conjugia, sed* ADUL- 35
TERIA, *vel* CONTUBERNIA, *vel* STUPRA, *aut* FORNICATIONES *potius, quam legitima Conjugia esse non dubitatur* = & in *Epistola*, unde præfata verba transcripta sunt, additur = *sicut a Patribus accepimus, & a Sanctis Apostolis, atque eorum successoribus traditum invenimus* = & quamvis hujus *Epistolæ* EVARISTUS auctor non fuerit, ut Critici hujus sæculi opinantur, adhuc qualis fuerit de eo tempore Ecclesiæ disciplina, hoc est a IX. sæculo Æræ Christianæ, illa demon-

monstrat, & conciliatur cum contemporaneo responso NICOLAI I. *ad consult. Bulgar. cap.3.* relat. in *Can. No-*
36 *strates 30. quæst. 5.* = ibi = *Fœdera quoque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & horum, in quorum potestate sunt, celebrantur* = concordat URBAN. I. *in Can. Si verum 31. q.2.* = ibi = *Canonum, & Legum auctoritas*
37 *talia sponsalia non approbat* = clarius COELESTINUS II., ut arridet *Gonzalez*, seu CLEMENS III., ut existimant *Natal. Alexand. Theolog. Moral. tom.6. tract. de Sacram. Matr. cap.2. art.3. proposit.3. vers. Canon. Juenin. in Comment. de Sacram. dissert.10. quæst.5. cap.3 art.1. vers. Probatur 2.* id expressit in *Cap. Videtur 3. Qui Matrim. accus. poss.* = ibi = *Ideo maximè Parentes &c. admittuntur, qui enim melius recipi debent, quam illi &c. quorum est interesse &c. itaut si non interfuerint, & consensum non adhi-*
38 *buerint secundum leges nullum fiat Matrimonium* = & conferunt verba ALEXANDRI II. apud *Ivonem Carnotensem 3. par. Decreti* relata a *Natal. Alex. Theol. Moral. loc. cit. vers. Alexander* ubi Summus Pontifex reum perjurii declarat Adolescentem, qui
39 quamdam Fœminam in Uxorem se ducturum juraverat, ex quo temerè jurare præsumpserit, ex quo in judicio legaliter observare non poterat.

40 Hisce Canonicis sanctionibus conformis fuit Ecclesiæ Orientalis observantia, nam ex *Photii* Nomocanone, qui IX. currente sæculo fuit exaratus, & ex Commentariis super eodem editis a *Balsamone*, XII. labente sæculo, & XIII. ineunte, optimè resultat, quod qui, quæve in alterius potestate reperiebantur, non poterant validè Matrimonium contrahere non consentiente eo, qui illos habebat in potestate, ut ex *tit.13. cap.9.* desumitur.

41 Præterea Concilia Provincialia omnium Nationum præfata Conjugia saltem pro illicitis habuerunt; In
42 Galliis nempe *Concilium Arelatense IV.* celebratum *anno 541. Can.22.* declarat *Matrimonium contra voluntatem Parentum impiè copulari* = ibi = *Ne Conjugium, quod contra Parentum voluntatem impiè copulatur, velut captivitas judicetur*; (Matrimonia namque Servorum, seu Captivorum sine Dominorum consensu erant irrita) *sed sicut prohibitum est, non admittatur. Si quis perpetraverit, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur* = teste *Labbè ad dict. ann. 541. tom.5.* Item *Concil. Parisiense ann.557.* = ibi = *Nullus viduam, ne-* 43
que filiam alterius extra voluntatem Parentum, Regis beneficio æstimet postulandam = In Hispaniis *Toletanum III.* 44
Can.10. apud *Card. de Aguir ann.689. num.40.* In Germania *Concilium Co-* 45
loniense habitum *anno 1536. in tom.4. Concil. General. & Provincial. par.7. cap.43.* = ibi = *Optandum, ut tollantur Clandestina Matrimonia, quæ invitis Parentibus, ac Propinquis* VENERIS POTIUS, *quam Dei causa contrahuntur. Nam quanta ex his mala suboriantur, in aperto est. Interea vero, si non irrita, prohibita saltem sint, & pœnæ Canonicæ, idest excommunicationi Contrahentes, & qui eis ope, aut consilio adfuerunt, subjaceant* = Item in 46
Germania *Synodus Provincialis Moguntina* congregata *anno 1549. in præcit. tom.4. Concil. Gener. & Provinc. cap.37.* & demum in Italia in *Consti-* 47
tutionibus Provinciæ Mediolanensis ex Decreto Synodal. Conc. VI. Provinc. Mediol. lib.5. sub tit. quæ ad Sacramentum Matrimonii spectant num.17. idemque ferunt *Acta Eccles. Mediol.* 48
par.4. Instruct. Matr. tit. de Paroch. diligent.

His accedit *Patrum* auctoritas, qui *IV. Decalogi Præcepto de Parentibus honorandis* firmiter adhærentes 49
filios invitis Parentibus Matrimonium contrahentes perpetuo damnarunt, inter quos *Tertullian. lib.2. ad Uxor. cap.9.* = ibi = *Nam nèc in terris filii sine consensu Parentum rectè, & jurè* 50
nubunt = Item *S.Leo Magnus Epist.92. ad Rustic. Narb. cap.4. S. Basilius Epist.199. canonic.2. ad Amphilochium can.4. tom.3. Oper. pag.296.* = ibi = 51
Matrimonia sine iis, qui potestatem habent, FORNICATIONES *sunt. Neque ergo vivente Patre, neque Hero, qui conveniunt, extra reprehensionem sunt; quemadmodum si annuant cohabi-*

tationi, *quos penes hujus rei est arbitrium*, *tunc firmitatem Conjugii accipit cohabitatio* = & pluries idem docet *S. Ambrosius*, ac disertè in *Epist. ad Sisinium*, quæ est 64. *lib.6. Rupertus Abbas tom.1. lib.7. sup. Gen. c.28. vers. 7. & 8.* de Esau, qui Uxorem duxerat contra Patris præceptum in-
52 quit = *Aut tamquam insipiens*, *aut tamquam vere stultus fecit hoc Esau* = Quibus, ac cæteris Patribus prævivit, ut diximus, *Apostolus 1. ad Cor.cap.7. vers.38.*, nec non ad *Ephes. cap.6. vers.1. & 2.* = ibi = *Filii obedite Parentibus vestris &c. bonora Patrem*
53 *tuum*, *& Matrem tuam*, *quod est mandatum primum in promissione* = & pariter ad *Colos. cap.3. vers.20.* = ibi = *Filii obedite Parentibus* PER OMNIA = Quod & ex veteri Testamento luculenter confirmant *Card. Bellarm. controvers. lib.1. de Matr. cap.19. vers. Tertia propositio*, *& seqq.*, *Natal. Alex. Theol.Moral. tom.6. tract.de Sacram. Matr. cap.2. art.3. proposit. 3. in princ.* aliique Theologi passim, a quibus allegantur exempla filiorum, qui Parentum mandatum in Matrimoniis contrahendis sunt exequuti, ut
54 de Isaac, Jacob, & Rebecca habetur in *Genes. cap. 24. & cap. 28.* vel qui Parentibus renuentibus a Matrimonio abstinuere, donec ipsorum consensum
55 impetrassent, ut de Sampsone narratur *Judic. cap.14.* & denique substinentes, quod Præcepta Domini de filiorum nuptiis nunquam ipsis filiis,
56 semper vero Parentibus proposita fuerint ex *Deuteron. cap.7. vers.3.* = ibi = *Neque sociabis cum eis Conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus*, *nec filiam illius accipies filio tuo* = item ex *Jerem. cap.29. vers.6.* = ibi = *Date filiis vestris Uxores*, *& filias vestras date Viris* = & ex *Ecclesiastic. cap.7. vers.27.* = ibi = *Trade filiam*, *& grande opus feceris*, *& homini sensato da illam* =

Quibus omnibus benè perspectis
57 neutiquam opinari, seu nec etiam suspicari possumus, quod Parentum consensus pro majori decentia, ac honestate, non autem de necessitate, & obligatione ad evitandum maxime *mortale peccatum* requiratur, si etenim Matrimonium inire insciis, vel invitis Parentibus non est levis, sed maximus abusus, quem sancta Mater Ecclesia *semper detestata est*, *atque* 58
probibuit, quem *culpabilem stultitiam* esse *Patres* affirmant, quem *Sacri Canones insuper Adulterii*, *& Fornicationis nomine notant*, quem *impium*, *ac Decalogi Præcepto repugnantem* esse tot *Concilia Provincialia* declarant, ac sub anathematis pœna vetant, imo & ipsæ *Civiles leges* sub gravissimis pœ- 59
nis omninò prohibent, futilè profecto esset objicere, quod hujusmodi facinus aliquid honestati, ac decentiæ 60
detraheret, non autem contemptum Præcepti contineret, ut in proposito advertit *Fagnan. in d. Cap. Tua n.23. de despons. Impub.* = ibi = *Constat ea Conjugia adeo esse sacris Canonibus invisa*, *& exosa*, *ut appellentur Adulteria*, *Fornicationes*, *& Stupra*, *unde cum tàm Ecclesia*, *quàm Civilis politia tantopere ab illis abhorreant*, *non videtur annuendum*, *ut filia inire possit Matrimonium*, *cui Pater expressè*, *& ex legitima causa contradicit* =

Et quidem tàm Jus commune 61
Romanorum, quàm plurium Regnorum, ac Rerumpublicarum Jus municipale hujusmodi Connubia, utpote naturali Juri adversantia, Reipublicæ tranquillitati damnosa, ingratitudinis, ac libidinosæ licentiæ fœtus, aliorumque quamplurium malorum perniciosas causas totis viribus profligare contendunt. Hinc communis est Theologorum, ac Jurisperitorum opinio inter quos *SSmus D. N. Benedict. XIV. de Synod. Diœcesana lib.9. cap.11. §.2. pag.319. ultim. Roman. impress.* quod Jus Cæsareum irritas decernat filiorum nuptias absque consensu Paren- 62
tum attentatas, idque comprobant per *text. in §.1. Instit. tit. de nupt.* = ibi = *Si Filiifamiliarum sint*, *consensum habeant Parentum*, *quorum sunt in potestate. Nam hoc fieri debere & Civilis*, *& Naturalis ratio suadet* = & infra *§. Si adversus* = ibi = *Si adversus ea*, *quæ diximus*, *aliqui coierint*, *nec Vir*, *nec* 63
Uxor, *nec Nuptiæ*, *nec Matrimonium*, *nec Dos intelligitur* = & similiter per *text. in l. Nuptiæ 2. & l. Filiusfamilias 35. ff. de rit. nupt. l. Si ut proponis 7.*

l. Nec

l. Nec filium 12. *l. In conjunctione* 20. *Cod. de nupt.* & insuper ostendunt Fi-
64 lios ita Matrimonium contrahentes posse a Parentibus exhæredari ad *text. in l.* 3. §. *Si emancipatus* ibique *gloss. verb. merita ff. de bonor. possess. contr. tab.Paschal. de virib.patr.potest.par.*2. *cap.*5. *num.*15. *& seq.*

Quamvis autem hæ leges quoad Matrimonii invaliditatem per Jus Ca-
65 nonicum novissimum fuerint correctæ, ut probat *text.* in *Cap. Cum causa* 6. *de Raptor.* & apertissimè per *Concil. Triden.sess.*24. *cap.*1. *de reformat. Matrim.* (non vero per idem Jus anti-
66 quum , nam per duodecim priora sæcula dissensum Parentum fuisse impedimentum dirimens , ultra desuper animadversa,clarè testantur *Juenin.in Comment. de Sacram.par.*2. *differt.*10. *quæst.*5.*cap.*3. *SSmus D.N.Bened.XIV. de Synodo Diœcesana lib.*9. *cap.*11. §.3. *pag.* 320. *dict. impress.* = ibi = *Utrasque civiles leges , tam videlicet , quæ servorum,quam quæ Filiorumfamilias solo Contrahentium consensu inita Matrimonia infringebant , quondam ratas habuit Ecclesia* =) Nihilominus ex illis summa in præfatis Conjugiis
67 deformitas naturali lumine deprehenditur , ut expendit *Fagnan. in d. Cap. Tua num.*17. *de despons. impub.* = ibi = *Inde tamen patet , quam sint adversa communi bono , & Reipublicæ tranquillitati Connubia inita renuentibus Parentibus* = & pariter arguit *Cardin. Paleott. in tract. do notb.cap.*8. = ibi = *Adde quod lex dixit non Civili tantum,*
68 *sed naturali jure hoc institutum fuisse, ut Patris consensus in Nuptiis præcederet,quæ verba arguunt omnino in contrarium vix aliquid posse decerni* =
69 Eadem pœna exhæredationis pro Regno Castellæ statuitur in *l.*49. *Tauri* hodie *l.*1. *tit.*1. *lib.* 5. *novæ Collectionis Reg.* ubi Clandestina Matrimonia , quorum nomine veniunt , quæ clàm Parentibus fiunt, maximè si Denunciationes fuerint omissæ , confiscatione bonorum , & exilio Contrahentium puniuntur , eosdemque Contrahentes sine inofficiosi querela a Patribus exhæredari permittitur,de qua latè *Guttierez quæst. Canonic. lib.*1.*q.*1.
70 *per tot.*, Hæc ipsa pœna exhæredationis pro Lusitania habetur *in Jure* illius Regni *lib.*4. *tit.*88. *n.*1. de quo *Fragos. par.*1. *de Regimin. Reip. Christ. lib.*2. *disput.*4. §.2. præcipuè *n.*289. Pro Cataloniæ Principatu easdem pœ- 71
nas in viridi observantia semper fuisse pluribus citatis refert *Fontanell: decis.*346. *n.*1. *&* 2. Pro Ducatu Medio- 72
lanensi fusè *Calvin. de æqu t. lib.* 2. *cap.*168. *n.*63. *& seq.* Pro Civitate 73
Faventina Statutum prohibet ne quis sponsalia contrahat sine Ascendentium , aut , si desint , Proximiorum consensu sub pœna privationis Dotis *Zaul. ad Stat. Favent. lib.*4. *rubr.*26., 74
& hoc idem sancitur in *Statuto Bononiensi* teste *Fontanell. de pact. nupt. claus.*4. *gloss.*2. *n.*27. In *Dagoberti lege*, quæ *lex Alamannorum* vocatur, ita 75
legitur = *Si quis filiam alterius non desponsatam acceperit sibi Uxorem , si Pater ejus requirit , reddat , & cum* 40. *solidis eam componat* = In Capitulari Caroli Magni *lib.*7. *c.*363. de- 76
cretum est = *Ut Uxor legitimè Viro conjungatur , aliter enim legitimum (ut a Patribus accepimus , & a SS. Apostolis , eorumque Successoribus traditum invenimus) non fit Conjugium, nisi ab his, qui super ipsam Fœminam dominationem habere videntur, & a quibus Uxor custoditur, petatur, & a Parentibus propinquioribus sponsetur &c.taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios , sed legitimos , atque hæreditabiles generabunt* = Pro Regno Neapolis emanata 77
fuit lex a Rege Rogerio *lib.*3. *Constit. tit.*22., quæ incipit = *Sancimus* = in qua tamen Legislator loquitur de eo Clandestinitatis genere , quæ ex defectu solemnitatis, non autem, prout in aliis præmissis legibus , atque statutis, quæ ex defectu Paterni consensus proficiscitur = ibi = *Sancimus lege præsenti volentibus omnibus contrahere Matrimonium necessitatem imponi universis hominibus Regni nostri , & nobilibus maximè , post sponsalia celebrata , solemnitate debita , & Sacerdotali benedictione præmissis , Matrimonium solemniter , & publicè celebrari . Alioquin noverint amodo morientes contra nostrum Regale Edictum neque ex testamento , neque ab intestato se habitu-*

 ros

ros hæredes legitimos ex clandestino Matrimonio, & illegitimo contra nostram sanctionem procreatos. Mulieres etiam dotes aliis nubentibus legitimè debitas non habere. Rigorem cujus sanctionis omnibus illis remittimus, qui promulgationis hujus tempore jam Matrimonium contraxerunt. Viduis etiam volentibus ducere Virum hujus necessitatis vinculum relaxamus = quæ allegatur *per Donat. Anton. de Marin. Resolut. lib. 2. cap. 132. n.9.* Pro Lotharingia adsunt *Statuta*, seu *Consuetudines generales* graves pœnas statuentes contra Filiosfamilias contrahentes Matrimonia sine consensu, & voluntate Parentum *Rot. cor. Penn. decis.517. n.5.* Pro Regno Sici-
78 liæ in *cap.72.Caroli Imperatoris* interdictum remanet sub ultimi supplicii, ac bonorum publicationis pœna, ne ullus Matrimonia cum minoribus decem, & octo annorum absque Curatoris, aut duorum Propinquorum voluntate contrahere filios, aliosve procuret *Franc. Salern. cons. lib. 1. cons. 15. ad dict. cap. 72. Caroli V.* Pro Ditione Regis Galliarum adsunt *Statuta*, & *Edicta* Henrici II. & III. Blesis edita anno 1579. Ludovici XIII. anno 1629. & Ludovici XIV. anno 1697., nec non *Consuetudines*, quibus Matrimonia hujus generis sub pœna nullitatis prohibentur latè *Natal. Alex., Cabassut., Juenin. loc. cit.* non tamen sub pœna nullitatis Matrimonii, nunquam enim præsumendum venit, quod Regiæ leges prædictæ invalida declarare voluerint Matrimonia a Filiisfamilias sine Parentum consensu contracta, quæ uti validissima ab Ecclesia declarata fuerunt, & contrarium affirmantes anathemate a *Sac. Concil. Triden. d. sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim.* expressè damnantur.

Neque subsistit objectum, quod in Galliis ejusdem Concilii Decreta in omnibus recepta non fuerint, & signanter in hac materia, circa quam habentur allegatæ Regum Ordinationes, per quas in dictis Matrimoniis consensum Parentum sub pœna nullitatis pernecessè intervenire debere statuitur *Francisc. Royel Instit. Jur. Canon. lib. 1. tit. 9. de Matrim. §. Nec obstat*,

Tum quia, ultraquam quod Clerus Gallicanus *anno* 1615. Concilium Tridentinum generaliter acceptavit *Natal. Alex. Histor. Eccles. sæcul. 15. dissert. 12. artic. 16. sub num.* xv., illud insuper est certissimum, quod in Galliis idem Concilium est receptum quoad omnia, & singula Fidei Decreta, & quoad Canones controversa Doctrinæ capita respicientes *Natal. Alex. Histor. Eccles. sæcul. 15. & 16. Dissert. 12. pag. 362. & seqq., & pag. 367. vers. Non mirum alias artic. 16. sub num.* XLIII. cumque Conciliorum Decreta circa validitatem, vel invaliditatem Sacramentorum ad Doctrinam referantur, omnes propterea obligant, neque hæc obligatio a Populorum acceptatione dependet, prout contra *Calvini*, aliorumque Hæreticorum errorem animadvertit *Galles. de potest. Eccles. contra Launojum par. 1. n. 296. & seqq., pag. 88. Fermosin. de legib. ad Cap. Ecclesia S. Mariæ n. 60. de Constit. pag. 354.*

Tum quia Laici, ut notissimum est, circa ea, quæ vinculum Matrimonii, & essentiam Sacramenti tangunt, nihil penitus disponere possunt *Jo: Andr. in Cap. Statutum n. 2. de Hæretic. In 6. Felin. in Cap. 1. n. 13. de sponsal. Mart. de Jurisdict. par. 4. cas. 70. n. 2. & cas. 71. n. 3. & 6. Fontanell. de pact. nupt. claus. 4. gloss. 2. n. 1. & seqq., Oliv. de for. Eccles. p. 1. quæst. 29. Gizzarell. decis. 62. n. 6. Mastrill. decis. 163. n. 17. & seqq.*

Porrò ad quodcumque Dubium penitus removendum accedit, quod post emanatum *anno* 1629. Edictum Ludovici XIII., quo renovabatur præcedens Edictum a Christianissimo Rege Henrico III. in Comitiis Blesensibus *anno* 1579. promulgatum, propositis Regi a Clero Gallicano nonnullis difficultatibus circa illius intelligentiam, quarum secunda sic erat concepta = *Secunda ut non adstringantur Ecclesiastici ad judicandum secundum hujus Edicti, simulque Blesensis articulos, sed juxta Sacros Canones, & Ecclesiastica Decreta, quæ sunt unica regula, & norma Judicii Ecclesiasticorum; Hi enim non possunt, aut debent Jurisdictionem,*

quam

quam a solo Deo collatam habent circa res spirituales, ab ipsis Laicis mutuari = ex parte Regis fuit responsum = *Altera pariter difficultas justa, & rationi congrua visa fuit* = ut refert *Caballut. in theoric. & prax. Jur. Canon. lib.3. cap.26. num.6. pag.*401. Cumque in eodem Edicto diceretur, quod dicta Matrimonia judicari deberent *non valeblement contracte &c.* petente eodem Clero, ut declararetur, quod hæc verba *non aliter intelligantur*, *quam per relationem ad Contractum Civilem*, *& nullatenus ad Contractum Spiritualem Sacramenti*, Rex per Commissarios suos respondit verba ista = *validè*, *aut invalidè contracta Matrimonia* = non esse aliter per Laicos Judices explicanda, quam per solam relationem ad Contractum Civilem, ut fusè narrant *Caballut. in theoric. & prax. Jur. Canon. lib.3. cap.26. num.6. Natal. Alex. Theolog. Dogmat. de Sacram. Matrim. artic.3. Feuret. de Abus. in Observat. impress. post tom.2. observat.14.*

His proindè justissimis declarationibus omninò cohæret unanimis Theologorum Gallicanorum consensus, qui distinguentes inter *esse* Sacramenti, & Contractum Civilem concorditer firmant, quod *Regiæ Ordinationes* non disponunt, neque disponere possunt de vinculo Sacramenti, sed solum quoad Contractum Civilem respectu Dotis, exhæredationis, successionis filiorum &c. vinculo Sacramenti nullatenus læso, sed remanente semper intacto; idque præ cæteris *Joannes Habertus Episcopus Vabrensis in tract. de consensu Hyerarch. & Monarch. lib.6. pag.52.* egregie testatur = ibi = *Nullo unquam Edicto Matrimonia Filiorumfamilias invalida, ac nulla esse absque consensu Parentum, Tutorumve constitutum est, etsi hic error multis imposuerit. Prohibita quidem sunt, sed invalida, & nulla esse haudquaquam definitum. Unde etiam Decessorum vestigiis inhærens Rex Christianissimus Ludovicus ea iterum prohibuit, ac austerius interdixit, invalida tamen, ac nulla esse contra Tridentinæ Synodi Decretum, ac Theologorum unanimem etiam in Regno suo sententiam minimè sanxit* = concordant *Natal. Alex. Theol. Dogmatic. tom.2. de Sacram. Matrim. lib.2. reg.20. pag.88. juxta impress. Venet.* latissimè *Caballut. in theor. & prax. Jur. Canon. lib.3. cap.26. num.4. pag.400. & seq.*

Nuperrimè autem de hac ipsa intelligentia irrefragabile testimonium perhibuit SSmus D. N. Benedict. XIV. *in præcit. suo celebri tract. de Synod. Diœcesan. lib.9. cap.11. pag.321. dicta impress.* = ibi = *intra fines pariter pœnarum civilium concluditur Edictum a Christianissimo Rege Henrico III. in Comitiis Blesensibus ann. 1579. artic.4. promulgatum, atque a Ludovico XIII. anno 1629. & 1639. renovatum, quo nulla, & invalida declarantur Matrimonia a Filiisfamilias contracta sine consensu Parentum: illud siquidem verbum* INVALIDA *non esse aliter explicandum, quam per solam relationem ad Contractum Civilem &c. hoc est non agitur de Sacramento Matrimonii, sed de validitate conventionum Matrimonialium, de accessoriis Matrimonii, de Dotis validitate, & communitate inter Virum, & Uxorem* = & antea *Sac. Congregatio Concilii in Romana, seu Massilien. in Galliis Matrimonii die 17. Novemb. 1705.* unanimi EE. PP. judicio pro validitate Matrimonii a Muliere sine Patris consensu in Gallia contracto respondit.

Eodemque modo similia Edicta Caroli V. Imperatoris, & Philippi IV. Hispaniarum Regis pro Belgio edita interpretantur *per Van. Espen. in Jus Eccles. univers. par.2. tit. 13. de Sponsalib. cap.4. num.25. in fin. pag.431. juxta secundam editionem Coloniensem* pro veritate substinentem Matrimonia per Filiosfamilias dissentientibus Parentibus contracta in vim eorumdem Edictorum non esse irrita, nec invalida in ratione Sacramenti, sed per similia Edicta, quoad effectus Civiles tantum nulla quodammodo declarari.

Quæ sanè Matrimonia, quæ per Filios, invitis Parentibus, contrahuntur, posse a Principibus Sæcularibus, 79
atque

atque municipalibusStatutis prohiberi, & Contrahentes puniri, quippe quia in malos mores animadvertunt, edocuit *Bald. in l. Omnes sub num. 15. Cod. Ad Senat. Consult. Tertull.* = ibi = *Quia contrahere sine consensu Patris est contra bonos mores omnium, & maximè prudentum, & inducit odium capitale, ut l. 3. §. Si emancipatus &c. & ideo valet Statutum, non quia vetat substantiam Matrimonii &c. sed quia punit malos mores, & in Republica facinora seminantes* = itaque sentiunt *Innoc. in Cap. fin. de secund. Nupt.* Idem *Bald. in rubr. de Constit. in fin. & in Cap. Tenor de rejudicat. & in Cap. Clerici de Judic.* Licet
80 enim Matrimonium sit Ecclesiæ Sacramentum, ad quam spectant Causæ Matrimoniales, & leges condere circa Matrimonia *Cap. Tuam 3. de Ordin. cognit. Cap. Lator 5. Cap. Causam 7. Qui Filii sint legit. Concil. Trident. Sess. 24. Canon. 12.* nihilominus quia Matrimonium est etiam contractus naturalis,
81 atque politicus, ideo non est vetitum Potestati sæculari providere, ut convenienter, debitoque modo celebretur ad pacem, & quietem Reipublicæ conservandam, utque ab ea perturbationes, discordiæ, dissensiones, inimicitiæ, rixæ, & aliquando homicidia, quæ exinde nasci solent, penitus arceantur.

An autem hæ, similesque Princi-
82 pum sanctiones a Jure Canonico novissimo sint abrogatæ, dubitat *Fagnan. in Cap. Tua n. 18. & 19. de desponsat. Impuber.* affirmat *Sanchez de Matrim. lib. 4. disp. 25. num. 2. tom. 1.* aliique, quos congerit *Del Bene de Immunit. par. 1. cap. 8. dub. 19. sect. 3.* negant vero *Guttierez quæst. Canonic. lib. 2. quæst. 1. per tot. Fragos.* aliique plures per ipsum congesti *par. 1. de Republic. Eccles. lib. 2. disput. 4. n. 83. Zipæus de Jurisdict. lib. 1. cap. 33. n. 4.* lato calamo *P. Politus de Patr. in testam. condend. potest. lib. 1. & 2. per tot.*, quibus adhærendum videtur, quia non præsumitur, quod Jus Canonicum impedire voluerit, quod grave peccatum, quod in his Nuptiis intervenire nemo dissentit, pœnis compesci non posset, maximè quia pœnas non solum contra Filiosfamilias, sed indistinctè contra quoscumque indigna Matrimonia ineuntes a sæculari Potestate inflictas in ipsis quoque Terris Ecclesiæ nostris etiam temporibus per Summum Pontificem, ejusque Sacras Congregationes nullatenus reprobatas fuisse jam vidimus. Cum enim *anno* 1748. Senatus Bononiensis in vim Decreti per ipsum emanati statuisset, quod quicumque ex Ordine Nobilium cum ignobili Fœmina Matrimonium contraxisset, ipso facto locum, & Jus amitteret ad Magistratum Antianorum; & subinde, hoc est *anno* 1756. Generale Concilium Civitatis Imolæ quoscumque Nobiles, qui pariter impares Nuptias jam injissent, vel inire in posterum auderent, ipso facto unà cum eorum filiis in pœnam Consiliariatus gradu denudatos declarasset; & tandem Civitas Maceratæ *sub die* 24. *Augusti* 1756. in Consilio, quod vocant *Reformantiæ* consimilem pœnalem legem condidisset, quam *sub die* 2. *Aprilis* 1759 lenioribus verbis confirmavit, tum Decretum Senatus Bononiensis *f. m. Benedictus XIV.*, tum alterum Civitatis Imolæ *Sacra Congregatio Status Ecclesiastici Consultationibus præposita* solemniter approbarunt, tum circa alterum Civitatis Maceratæ *Sac. Congregatio Concilii in contradictorio Judicio sub die 17. Januarii* 1761. rescripsit = *Decretum diei 2. Aprilis 1759. non obstare libertati Matrimonii* =

Sed ad nostrum intentum ostendisse sufficit, quod omnium Gentium, Legislatorum, ac Principum judicio Conjugia inita Parentibus insciis, vel 83
renuentibus censeantur enorme crimen contra reverentiam ipsis debitam sub gravissimis pœnis prohibendum, ut advertit *Ledesm. de Matr. par. 3. quæst. 47. art. 6.* = ibi = *Omnes Nationes* QUAMVIS BARBARÆ, *detestantur eos, qui contrahunt Matrimonium sine voluntate Parentum, & existimant esse irreverentiam gravissimam, ergo &c.* = 84
& infra §. *In hac difficultate* = ibi = *Cum contrahere Matrimonium contra voluntatem Parentum sit peccatum* 85
CONTRA LEGEM NATURÆ, *& pacis perturbativum, justum est, ut publica-*

blica auctoritate puniatur = Denique addit ex *Soto* peccatum hoc esse irreverentiæ, & impietatis, quod committitur contra Parentes.

Nec refragatur, quod dissensus
86 Parentum, uti impedimentum impediens relatus non videatur in iis tritis Carminibus *Impedimenta impedientia*, & *dirimentia* continentibus, unde
87 inferri possit, quod cum Jus statuendi impedimenta sive impedientia, sive dirimentia, aut irritantia sit tantummodo Summis Pontificibus, atque ConciliisGeneralibus reservatum, ideo cum in *ipsis Carminibus* hoc impedimentum relatum non appareat, illud Episcopo statuere non liceat in sua
88 Diœcesi, vel quia hæc facultas nunquam Episcopis attributa, vel quod posterius fuerit adempta, ut latè pro alterutra parte differentes docent *Covarru. tom.* 1. *in Epitom.* 4. *Decretal, de Matr. par.* 2. *cap.* 6. §. 10. *n.* 16. *Sanchez de Matr. lib.* 7. *disput.* 1. *n.* 9. *tom.* 2. *Perez disput.* 21. *sect.* 2. & 4. *Dicastillo tom.* 3. *de Sacram. tract.* 10. *de Sponsal. disput.* 7. *dubit.* 1. *per tot.* præcipuè *n.* 26. & *seq. Dian. Oper. coordin. tom.* 3. *tract.* 1. *resolut.* 88. *Leand. p.* 2. *de Sacram. tract.* 9. *disput.* 9. *quæst.* 6.
89 In iis enim *versibus* non omnia enumerantur impedimenta, quæ Matrimonium dirimunt, vel impediunt; Ibi namque nulla fit mentio *de infanis*, *aut furiosis*, & tamen si perpe-
90 tua sit amentia, irritas illorum esse nuptias, si autem lucida supersint intervalla, & tempore, quo furiosus sui compos extiterit, Matrimonium contrahat, validas, sed illicitas esse statuitur in *Cap. Dilectus* 24. ibique *Gonzalez n.* 5. *de sponsal. Can. Neque furiosus*, ibique *Barbos.* 32. *quæst.* 7. idque tradunt *Alex. cons.* 54. *lib.* 1. *Dec. cons.* 112. *in princ. Guttierez de Matrim. cap.* 8. *a n.* 14. *Sanchez de Matr. lib.* 1. *disput.* 8. *a n.* 15. *Boss. eod. tract. cap.* 3. § 21. *Perez disput.* 2. *sect.* 4. *n.* 9. *Sot. in* 4. *Sentent. distinct.* 34. *quæst. unic. art.* 4. *Aversa de Matr. quæst.* 4. *sect.* 1. *vers. Valere*, & *seqq. Reginald. in prax. pœnit. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 12. *tom.* 2. cæterique Theologi, qui sequuntur *D. Thomam in* 4. *distinct.* 34. *per tot.*, & *D. Bonaventur. distinct.* 34. *art.* 3. *quæst.* 1. qui SS. Ecclesiæ Doctores non solum conveniunt, quod Matrimonium a perpetuò amentibus initum 91
de Jure tùm naturali *l. Furor* 8. ibique *gloss. ff. de Sponsal.* tùm divino sit irritum, sed illos etiam, quorum furor non est continuus, non attento tempore, quo sunt rationis compotes, indistinctè a nuptiali fœdere prohi- 92
bendos esse docent, ut videre est apud *D. Bonaventuram quæst.* 1. *d. distinct.* 34. *in conclus.* = ibi = *Si vero non esset actu furiosus, sed habitu, etiamsi haberet lucidum Intervallum, non deberet contrahere propter periculum, quia talis prolem nescit educare, nèc cum Uxore debitè cohabitare* = & clarius *dub.* 7. = ibi = *Furiosus vero in* 93
habitu non potest de Jure contrahere, quia Prolem nescit educare = & concordat *D. Thomas loc. cit.* = ibi = *Aut furiosus habet lucida intervalla, aut non; si habet, tunc quamvis dum est in illo intervallo non sit tutum, quod* 94
Matrimonium contrahat, quia nescit educare Prolem, tamen si contrahit, Matrimonium est = Id autem limitant Theologi, qui scripsere posterius asserentes permitti posse temporaneè insanienti Matrimonium si Prolis periculum, aliaque mala timeri nequeant ex alterius Conjugis sanæ mentis, vel Consanguineorum tutela, secus vero si ambo contrahentes sint fu- 95
riosi, & mala, quæ prævidentur, alia via evitari non possint *Gonzalez in cap. Dilectus n.* 5. *de Sponsal. Reginald. in prax. pœnit. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 12. *Boss. cap.* 3. §. 21. *in fin. Layman lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 5. *Aversa de Matrim. quæst.* 4. *sect.* 1. *vers. Itaque si Furiosi Guttierez quæst. Canonic. lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 14. *vers. Tandem ibidem* de cujus tamen limitationis veritate dubitat *Ricc. in prax. for. Eccles. decis.* 251. & *collect. par.* 5. *collect.* 1751. *Ledesma de Matrim. quæst.* 58. *artic.* 3. §. *Ad secundam respondetur in fin.* = ibi = *Ista mode-* 96
ratio non videtur ita certa, nam Prolis educatio per Parentes fieri debet, vel ipsi de hoc debent esse solliciti =

In eisdem quoque *versibus* vetitum non apparet Matrimonium *Excom-* 97
municatis vitandis, & *Hæreticis*, nec

nec Parocho eorumdem Nuptiis præstare assistentiam , & nihilominùs hujusmodi Matrimonia sunt illicita , & Parocho non licere assistere Matrimonio inter Hæreticum , & Catholicam pluriesSupremum Sanctæ Inquisitionis Tribunal declaravit .

Nèc expressum est & aliud impedimentum in Jure statutum,quod consurgit *ex defectu Pubertatis*, sive ætatis annorum *duodecim* in Fœminis , in
98 Maribus vero *quatuordecim* , ex quo irrita fieri conjugia apertè cavetur in *Cap.Ubi non est* 2, ibique *Gonzalez n.3. Cap.De illis* 7.*Cap. Attestationes*10.*Cap. final.de desponsat.impub.Cap.unic eod. tit.in* 6.latè *Fagnan.in Cap. De illis* 9. *n.* 18, ibique *Barbos. eod. tit. Henric. Zoes in* 4. *Decretal, tit.* 2. *de desponsat. Impub.n.* 10. *Robert.Konig. princ. Jur. Canonic. eod. tit. n.*2. *Guttierez, de Matrim. cap.*2. *n.*17. & concordant omnes Theologi *post D.Thomam in* 4. *distinct,* 36. *quæst.* 1. *artic.* 5. *D. Bonavent.In* 4. *distinct.*36.*artic.*2.*quæst.* 1. *Perez. disput.* 37. *sect.* 12. *Boss. de Matrim. cap.* 3. *n.* 147. *Reginald. In prax.pœnit. tom.*2. *lib* 31. *cap.*3.*n.*25, licet aliquando pro illicitis tantum habeantur , adeo ut super illis superior Ecclesiasticus dispensare valeat , quia NICOLAUS I. consensit ante annos pu-
99 bertatis expletos nonnumquam permitti posse Connubium in *d. Cap.Ubi non est de desponsat. Impuber.* quæ tamen dispensatio tunc solum concedenda est ab Episcopis (quibus hanc facultatem competere opinantur Juris Interpretes) quando urget causa , de qua in præcit. *Cap. Ubi non est* 2. *de*
100 *desponf. Impub.* = ibi = *Nisi fortè aliqua urgentissima necessitate interveniente , utpote pro bono pacis talis conjunctia tolleretur* = & quando dubium subest an malitia , seu potentia ad Conjugales actus ætatem suppleat, & Contrahens proximè ad annos Pubertatis accedat, alioquin his duobus conditionibus cessantibus,impedimentum dirimens perdurat , iis vero concurrentibus adhuc adest impedimentum impediens, per quod rei culpæ lethalis efficiuntur , qui sine di-
101 spensatione etiam in præfatis casibus Matrimonio se jungi præsumpserint ,

quia illicitè Connubium perficiunt *Gonzalez in d. Cap. Ubi non est n.*7, *circa med. de desponsat. Impuber.* ibique *Barbos. n.*3. *&* 5. *Fagnan. in Cap, De illis* 9. *eod. tit.* præcipuè *a n.* 33. *& seq.*, *Henriquez in Summ. lib.*11. *cap.*13. *num.*12.

Deficit pariter in præfatis *Versibus* aliud impedimentum impediens , hoc est *Peccatum mortale* , propter quod contendimus Conjugia insciis , vel invitis justè Parentibus impediri , quodque illa reddat illicita satis ostendit *Busemb. in sua Medull.Theol.*
*Moral. lib.*6. *par.* 3. *tract.* 6. *cap.* 3. 102
*dub.*1. ubi quærens quænam sint impe-
dimenta impedientia tantum , subdit 103
=*Respondetur* PRÆTER PECCATUM MORTALE , *& Excommunicationem* , *sex potissimum reddunt Matrimonium illicitum, scilicet Ecclesiæ vetitum &c.*= & refert prædicta *Carmina* , & aliis omissis id etiam advertit *Covarru. tom.*1. *in Epit. sup.*4.*Decretal. par.*2. *de Matrim. cap.*6. *sub n.*1. egregius Canonista , qui *Concilio Tridentino* interfuit ut Episcopus, atque eximius Decretorum Doctor a cunctis habitus, quique *loc. cit.* primum, atque præci-
puum contrahendi Matrimonii impe- 104
dimentum *Peccatum mortale* firmiter enunciat = ibi = *Ex his , quæ hunc contractum illicitum reddunt , quædam sunt , quæ impediunt Matrimonium contrahendum , non tamen dissolvunt illud,si contrahatur &c. Quædam vero ita impediunt , ut contractus Matrimonii nullus sit ipso jure* = & deinde = *Prima quidem variè proponi possunt . Nam existens in* MORTALI CRIMINE *non potest absque novo peccato Matrimonium contrahere,tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum* = & allegatis in hujus veritatis confirmationem *S. Antonin. Navarr., & Concil.Colon.* subdit alia ejusdem generis impedimenta, *Juramentum* videlicet , *Excommunicatio-*
nem &c. quæ non minus,quam letha- 105
le peccatum in enunciatis *Carminibus* nunquam fuerunt expressa .

Auctor insuper eorumdem *Car-*
minum in ipsis *Interdictum* includere 106
non meminit , de quo *Felix Potest. in Examin. Eccles. tom.*1. *par.*5. *cap.* 1. *n.*4410,

n. 44tc. ubi agens de hac interdicti
censura, utrum nempè propter eamdem censuram fideles a Sacramento
Matrimonii repellantur, negativam
firmat, sed subdit = *At si ipsi* (hoc
est Contrahentes) *sunt culpabiles, &
specialiter interdicti, non possunt licitè Matrimonium contrahere, idque
speciali titulo, quia scilicet* PONUNT
OBICEM GRATIÆ *per Sacramentum recipiendæ* =

Nihil penitùs idem Auctor dixit
de tribus aliis impedimentis impe-
107 dientibus, quæ oriuntur *ex Clandestinitate* tertiæ speciei, ex culpabili
omissione videlicet proclamationum a
Sac. Tridentino Concilio statutarum,
ex defectu benedictionis in primis
108 Nuptiis; & ex *Clandestinitate primæ,
& secundæ speciei* pro illis Regionibus, in quibus *Tridentina Synodus*
non est promulgata, ut admonet *Busemb. in Medull. Theol. Moral. lib.6.
par.3. tract.6. d. cap.3. dub.1.*

109 Tùm igitur exemplo, tùm auctoritate manifestissimè evincitur affirmari non posse nullum subesse impedimentum præter ea, quæ in dictis
Carminibus memorantur. Præterquam quod nèc etiam verificatur, quod
impedimentum consurgens ex justa
Parentum reluctantia nequeat adscribi alicui ex illis, quæ in sæpedictis
110 *versibus* recensentur. Id enim non obscurè designatur per illud *Ecclesiæ vetitum*, prout vetitum est, seu prohi-
111 bitum, (quæ verba inter Grammaticos sunt synonima) Matrimonium inscils, vel invitis Parentibus inire juxta
irrefragabile testimonium *Sacr. Concil.
Trident. sess.24. d. cap.1. de reform. Matrim.* ubi dicitur, quemadmodum jam
112 prænotavimus, quod illud = *Sancta Dei
Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, atque probibuit* = Et quidem
non sine evidenti ratione ad illud *Ec-
113 clesiæ vetitum* tale impedimentum est
referendum, quemadmodum enim ad
illud reducitur quodlibet lethale peccatum, per quod ineundo Matrimo-
114 nium sacrilegium per Contrahentes
committi posset, ita si Matrimonium
initum contra justam voluntatem Parentum est lethale peccatum, quia sic
contrahere Sancta Ecclesia ex justissimis causis *semper detestata est, atque* 115
prohibuit, proculdubio istud impedimentum ad illud *Ecclesiæ vetitum* 116
est reducendum, quemadmodum argumentatur in simili *D. Thomas in* 4.
sentent. distinct. 34. *artic.* 4. ubi statuit
Fariam modo irritum, modo illicitum reddere Matrimonium, & præveniendo objectum, quod in enunciatis versibus sufficientèr continentur 117
impedimenta dirimentia, sed ibi nulla de *furia* fit mentio, respondet = *dicendum, quod hoc furiæ impedimentum reducitur* AD ERROREM, *quia
utrobique defectus consensus ex parte
rationis est* = 118

Nullatenus subsistit autem, ut aliqui jactitare Causidici solent, quod in
Tridentina Synodo propositum fuerit, 119
& ad trutinam revocatum impedimentum, de quo agitur, & ab illis doctissimis, ac piissimis Patribus improbatum; etenim dubitatum minimè fuit,
an hujusmodi Connubia illicita forent, & ob lethalem culpam evitanda, satis namque compertum erat
omnibus præfatas nuptias Familiis ut 120
plurimum indecoras, discordiarum,
scandalorum, aliorumque malorum
inter Consanguineos præsertim, & Affines, necnon tractu temporis odii potius inter Conjuges, quam Maritalis
Caritatis esse fomentum, ideoque *semper ab Ecclesia fuisse prohibitas*, sed
dubium in Concilio propositum, ab
Oratoribus Gallis quæsitum, & pluries
examinatum, illud tantummodo fuit,
an Connubia Filiorumfamilias citra
scientiam, seu consensum Parentum
contrahenda expediret irrita facere, si
illa ante præfiniendam ætatem inirentur, quemadmodum refert *Eminentissimus Pallavicin. in Histor. Concil. 121
Trident. edit. Romæ ann.* 1664 *par.3.
lib. 22. cap.* 1. *n.* 16. *p.* 599. *& cap.4.
n.2. & 3. & seq.*, *pag.*615. Porrò
dubium, de quo agebatur, & Decretum, quod pro irritandis dictis
Connubiis Filiorumfamilias proponebatur nullum præseferebat discrimen
inter rationabilem, vel injustum,
æquum, vel iniquum Parentum dissensum, sed quomodolibet iis insciis, 122
vel invitis nequirent Filii ætate minores rato atque legitimo Matrimo-

 nio

nio copulari, ut ostendunt verba Decreti apud prælaudatum *Historicum d. lib. 22. cap. 4. pag. 615.* & nihilominus hujusmodi Decretum gene-
123 ricè, nullisque limitibus circumscriptum ita plerisque ex Patribus placuit, ut Apostolicæ Sedis Legati consenserint approbatum iri, si ut reformationis caput proponeretur, non autem ut Fidei dogma, quia ad hunc effectum satis non erat major numerus suffragiorum sufficiens tantum pro legibus in *Concilio* statuendis, sed ad declarandos articulos fidei
124 omnium ferè suffragiorum calculus requirebatur. Qui verò Patres non annuebant, quod hisce Filiorum Conjugiis firmitas adimeretur, fuerunt in sensu tamen eadem, ut illicita, penitus
125 esse improbanda, ac sub gravioribus pœnis prohibenda, prout et Emo Madrutio testatur *Emus Pallavic. d. cap. 4. n. 7.* Quomodo tandem res confecta fuerit, id apertissimè perhibet *Jo. Baptista Duhamel in sua Theol. speculat. & pract. de Matr. dissert. 2. cap. 4. n. 2. in fin. tom. 7.* = ibi = *Patres Tridentini*
126 *hujus generis Connubia detestari, & PROHIBERI contenti, disciplinam jam ab aliquot sæculis receptam immutare noluerunt, nam majus erat quidem, & latius diffusum malum, quam ut statim excidi posset* = & rursus *cap. 5. d. diss. 2. n. 7. prop. finem* = ibi = *Quæ liberorum citra Parentum consensum fiunt*
127 *Matrimonia, detestari, ac PROHIBERE tantum potuit Concilium, non penitus extirpare* = Cujus auctoritati addendum est testimonium *Alphonsi Salmeronis*, qui inter Theologos ad *Tridentinum Concilium* missus fuit, ut Patribus esset consilio, quique *tom. 2. in Epist. Paul. disput. 14. pag. 114. col. 2. sub vers. Argumentatur Erasmus* testatur = ibi = *Non ausi sunt Patres quidquam de ea re statuere, non igno-*
128 *rantes quanta libertate Filii ipsi fungantur, & quanta janua tyrannidis aperiretur Parentibus in Filios, ut cum Servis suis nuberent, quod esset summè absurdum, & minimè tollerabile* = Ex quo tamen Filii argumentum sumere nequeunt sibi licere, insciis, vel invitis Parentibus, contrahere Matrimonium, tùm quia hic idem Doctor antea *loc. cit. col. 1. pag. 113.* præmittit = ibi = *Sed nos ad hæc inprimis respondemus ad contrahendum Matrimonium filiisfamilias necessarium fuisse semper* 129
consensum Parentum; quod facile est comprobare ex Jure Divino Veteris, & Novi Testamenti, ex Jure etiam Pontificio, & Civili = tùm quia ipsemet in *Commentar. sup. Evangelica Histor. tom. 8. tract. 46. pag. 361. col. 1.* exponens text. *Genes. cap. 2. vers. 24.* videlicet = *Relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ* = Sic admonet 130
= ibi = *Nec secundo hinc accipias in ineundis, copulandisque Matrimoniis non esse necessarium ullam de consensu Parentum habendam rationem, quasi homo ita relinquat Patrem, & Matrem, ut non requirat eorum consensum, quia hic sensus absonus est, & pugnat contra bonos mores, & contra Naturale officium a liberis debitum Parentibus, contraque Patriam Potestatem. Denique hunc sensum verba non capiunt, quia loquitur de iis, quæ fieri oporteat in Matrimonio contracta, non quid servandum sit, dum contrahitur, alioquin doterentur Filii honorem lege Dei Parentibus debitum subtrahere. Ad hæc Dominus huic primo Matrimonio adfuit, imò illud conciliavit, quasi Primi Hominis, imò amborum Pater, ut cæteri Conjuges formam sumerent, & doctrinam, ut in ineundo Matrimonium, inconsultis Parentibus nihil faciant, nam hoc absque culpa illos facere non posse ratio, & B. Ambrosius apertè docet* =

Satis igitur manifestè resultat tàm ex *Historia*, & *Textu* Sacrosanctæ *Tridentinæ Synodus*, quàm ex *Theologorum*, qui eidem interfuerunt, testimonio, noluisse ex justis, plerisque causis illos Sapientissimos Patres 131
novum statuere impedimentum dirimens, quo Filiorumfamilias Nuptiæ nullæ, & irritæ redderentur, sed tantum impediens, quoties illa sine consensu Parentum inita non approbantes, pro indignis, impiisque habuerunt, & ne unquam de hoc suspicari contingeret, expressè declararunt, quid de iis perpetuo senserit Ecclesia, quidque ipsi quoque sentirent, cum unanimiter testati fuerunt, quod si- 132
milia

milia Connubia *Sancta Dei Ecclesia semper detestata est, atque* PROHIBUIT.

Minus urget inanis, ac frivolus ille prætextus, quod omnia Jura in
133 contrahendis Connubiis omnimodam exquirunt libertatem, itaut unusquisque suo, non alieno arbitrio ad perpetuam servitutem obligari valeat juxta sententiam *D. Thomæ in 4. distinct.29. quæst.1. artic.4.*

Et nos enim libenter admittimus Filios nullum contrahere lethale peccatum, etiamsi in ineundis Nuptiis ali-
134 quando renuant Parentum obedire mandatis, quia eisdem ipsi Parentes multoties præbent occasionem, aut clàm ducendi Uxorem, aut Uxorem ducendi omninò illis invisam, vel quia sua avaritia, & asperitate Filios opprimunt, vel quia Filiis statum Conjugalem impediunt, unde Filius profectò non peccat, si injustè Pater illi prohibeat *Conjugium in genere*, sive *causa majoris Dotis* nonnisi *indignam* Mulierem, vel *Hæreticam* ei dare velit, aut Uxorem *ægram*, *turpem*, *imprudentem*, vel *durioris conditionis*, cum qua Filius credat probabilitèr fore, ut pacem non habeat; sive Filius a Parentibus *plus justo opprimatur*, aut Pater ideo Conjugium Filio prohibeat, quia vult ut ipse Filius hanc, vel illam ducat contra ejus inclinationem *nequaquam ducendam*, *attentis gravibus causis*, quibus movetur Filius ad hujusmodi Matrimonium recusandum; sive tandem si Pater procul distet, nèc Filius *absque gravi incommodo* illum admonere valeat, & aliundè credere possit, quod admonitus libentèr consentiret, quæ causæ proculdubio Filium, & ab obedientia Parentibus debita, & a lethali culpa excusarent, & dummodò in prædictis casibus pro sui libito indignas Nuptias cum familiæ dedecore, ac Parentum injuria contrahere non præsumat, tales causæ illum sua libertate privare non possunt, quia rationabiles, & justæ sunt, ut illas enumerando docent *Card. Bellarmin. controv.lib.1. de Matrim.cap.19.vers. Tertia propositio, & seqq.tom.2. Gennett. Theolog. moral. tract.9. cap.8. quæst.1. tom.5.*

At his justis cessantibus causis nullatenus Filiis permissum, est insciis, vel inconsultis Parentibus, contrahere 135
Matrimonium sine labe culpæ lethalis contra IV. *Decalogi Præceptum*, quod etsi videatur *affirmativum*, quatenùs jubet = *honora Patrem*, *& Matrem* = continet nihilominùs Præce- 136
ptum *negativum*, videlicèt *de illis nunquam dehonorandis*, cujus transgressio inter gravissima crimina adnu- 137
meratur *Marchan. in Tribun.Sacram. tract.5. tit.1. quæst.1. in princ.tom.2.*

Nec *ab eo* Filii salvari possunt sub prætextu libertatis, aut liberi arbitrii, Deus enim hominibus liberum reliquit arbitrium, sed unà simul supremam condendi leges, iisque legibus, atque pœnis eorum liberum arbitrium intra fines honestatis, justitiæ, pietatis, & caritatis regulandi sibi non abstulit potestatem *D. August. Enchirid.cap.25. tom.3.* = ibi = *Mortis suplicium Dominus Homini comminatus fuerat, si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio* = & si *liberum arbitrium* a peccato excusaret, non obstante legis prohibitione, sequere- 138
tur absurdum, quod occidere, mæchari, furari, aliaque *Decalogi Præcepta* contemnere non esset peccatum; Sed si est peccatum, nemo nisi maximo cum errore sustinere poterit, quod *liberum arbitrium*, nulla habita ratione peccati, prævalere debeat tùm *Divino Præcepto* in cujus contemptum licitum sit *dehonorare Parentes, & consequenter falsum etiam perhibere testimonium, fornicationem, seu adulterium, & homicidium committere &c.* tùm *præcepto Ecclesiæ*, quæ hujusmodi Matrimonia *semper detestata est, atque probibuit*, alias prævalere deberet æqualiter cæteris quoque Ecclesiæ Præceptis *de audienda sacrum diebus festis, atque Dominicis, de jejunando, & abstinendo ab esu carnium diebus vetitis, de nunquam celebrando Nuptias absque Apostolica dispensatione cum Hæreticis, seu tempore prohibito inter Catholicos &c.*, quod proculdubio in ruinam totius nostræ cederet Religionis. Lex autem prohibendo 139
peccatum, utique liberum arbitrium,

 seu

ſeu libertatem non tollit, quia adhuc
peccari poteſt, ſed potius a lege li-
bertas regulatur, atque perficitur,
140 nam libertas ad malum faciendum eſt
potius libertatis imperfectio, ſeu de-
fectus *Gabriel a S.Vincent.de Sacram.*
Matr. diſput.3. quæſt.6. n.45. = ibi =
Ad Matrimonii libertatem non ſpe-
ctat, quod cum peccato fiat, & cum
maxima Parentum injuria, ſed Ma-
trimonii libertas tunc maximè eſt,
quando ſine peccato eſt, ut patet de li-
141 *bertate creata, non enim poſſe pecca-*
re ad hominis pertinet libertatem, ſed
ad defectum illius = clarius *Rebell. de*
obligat. juſt. par. 2. lib. 2. quæſt. 14.
ſect.1. ſub n.9. verſ. At dices = ibi =
At dices eſſe contra libertatem Matri-
monii &c. Negandum eſt aſſumptum,
142 *nèc enim minuitur libertas nubendi,*
ſed potius regulatur, & perfici-
tur &c. eſſe enim liberum ad malum
faciendum, potius imperfectio eſt li-
bertatis, & defectus, quam conditio
neceſſaria = Quare Deum ſemper Om-
nipotentem, cui quidquid lubet face-
143 re non eſt impeditum, adhuc peccare
non poſſe juſtiſſimè credimus, & ſi
peccare poſſet, Deus non eſſet, quia
potentia peccandi non eſſet effectus
omnipotentiæ, ac libertatis, ſed im-
perfectio, atque defectus, & omni-
potentiæ, ac libertatis abuſus, pro-
ut abuſus libertatis eſſet illa liber-
tas contrahendi Matrimonium cum
peccato, qua libertate Filiifamilias ad
Dei differentiam uti poſſunt, ſed non
debent, & ſi utantur, non ea utun-
tur, ſed abutuntur, ut advertit *Joann.*
*Martinon. de Sacram.diſput.*71.*ſect.*9.
144 *num.*118. *tom.*2. = ibi = *Ita contrahe-*
re non eſt uti, ſed potius abuti ſua li-
bertate, debetque libertas contrahen-
di eſſe juſta, & rationabilis = cum
quo convenit = *Anton. a Spirit. Sanct.*
*in Direct.tract.*11.*diſp.*5.*ſect.*7.*n.*267.
verſ. Unde = ibi = *Nec hæc reſtrictio*
eſt etiam indirectè contra libertatem,
quæ deſideratur in Matrimonio, nam
libertas, quæ in Matrimonio deſide-
145 *ratur, eſt libertas honeſta, & ratio-*
nabilis, hoc eſt, quæ ſecundum ratio-
nem, & debitum honeſtatis ſit = &
confert *Barboſ. in Cap. Requiſivit* 17.
*num.*4. *de Sponſal.* = ibi = *Ego tamen*
verum credo &c. curandum non eſſe
utrum coactio proveniat &c. ſed tan-
tum utrum fiat ex cauſa juſta cum de-
bita moderatione, nam ſi ſic fiat, au-
get potius libertatem, quam minuit, 146
dummodò ad id impellat, quod ſub pec-
cato mortali quis facere tenetur = aliàs
ſi Lex, ſive Præceptum obligans ad ſui
obſervantiam ſub gravi culpa, & ſub
pœna æternæ damnationis libertatem
tolleret, vel minueret, & ratione li-
bertatis impunè tranſgredi valeret,
Præcepta *Decalogi*, & *Eccleſiæ* deleri 147
poſſent, nullum adeſſet peccatum,
nèc ullus Peccator, ſed quia Lex pro-
hibet peccatum, at non aufert ab
homine libertatem, ſeu potentiam
peccandi, ideò peccata non deſunt,
& Peccatores adhuc exiſtunt, & ſi
Peccator a peccando deſiſtat, non
coactè in deſtructionem propriæ liber-
tatis id exequitur, aut quia a lege
ſibi fuerit ablata libertas, ſed pro ſui
libito, & voluntate. Nam eo modo 148
quo Vir nobilis, & honeſtus, ſi Sa-
tellitis, aut Laniatoris, aut quamli-
bet aliam artem infamem non exercet,
quamvis id illi naturalis honeſtas im- 149
pediat, attamen dici non poteſt,
quod coactè, & propter libertatis im-
pedimentum a ſimilibus artibus abſti-
neat, ſed liberè, & *voluntariè* ab il-
lis abhorreat, quia cognoſcit, quod
eas exercere dedecet, ita ſi Homines,
cognita gravitate peccati a peccando
abſtinent, non ex defectu libertatis 150
peccandi, ſed quia id juſtum, & ho-
neſtum agnoſcunt, *voluntariè* pecca-
ta deteſtantur, quinimò, & odio pro-
ſequuntur juxta illud *Horatii lib.*1.
Epiſt. ad Quintium = ibi = *Oderunt*
peccare boni virtutis amore, tu nihil
admittes in te formidine pœnæ =
Idemque dicendum de caritate erga
Deum, quem nos juſſu legis amare
debemus, & tamen ſi illum amamus,
amor non eſt coactus, neque coactus
eſſe debet, ſed voluntarius ut ad rem,
advertit *Ledeſma quæſt.*47. *dict.art.*6.
in reſponſ.ad confirm. = ibi = *Eſt optimum*
ſimile, nam amor debet eſſe maximè vo-
luntarius, ac liber, ut conſtat. Tamen
ex hoc, quod homo ex caritate teneatur 151
Deum diligere, non ſequitur, quod
actus dilectionis non ſit voluntarius =

Perpe-

Perperam autem nonnulli Doctores Filiorum inobedientiam foventes suadere student, quod Filius teneatur tantummodo requirere consilium Patris, non autem illud sequi ratione libertatis Matrimonii, saltem quatenùs ducere velit honestam Fœminam sibi benè visam, cum qua ipse, non verò Pater perpetuò vivere debet, etiamsi fuerit imparis conditionis, adeout, hoc petito consilio, eoque deinde non acceptato, ipsis quoque Parentibus reluctantibus, sibi talem ducere Fœminam liceat; Quotiescumque enim Sancta Dei Ecclesia non requirit simplex Parentum consilium, sed vult, quod illicitæ sint Filii Nuptiæ, quibus ex rationabili causa non accedit Parentum consensus, sine quo illas semper detestata est, atque *prohibuit*, pernecessè sequitur, quod nullatenùs sufficiat duntaxat paternum adhibere consilium, sed, ut licitæ sint, sequi etiam illud oporteat, ne Filius contra Ecclesiæ Præceptum, expressamque prohibitionem, Parentibus rationabilitèr invitis, eam particularem Fœminam iisdem Parentibus invisam Uxorem ducat, aliàs si Filii ratione libertatis Matrimonii, & ex quo ipsi cum Fœmina per eos desponsanda perpetuò vivere debent, hoc Ecclesiæ Præceptum contemnere possent, æqualitèr ex eadem ratione possent impunè contemnere alia quoque Ecclesiæ Præcepta de non ducenda Hæretica, aliisque Fœminis, quas propter impedimenta, sivè impedientia, sivè dirimentia ducere prohibentur, & si in his casibus non suffragatur Filiis Matrimonii libertas, nèc individua consuetudo cum futura Uxore perpetuò per ipsos habenda, obsistente Ecclesiæ Præcepto, nèc ea libertas, nèc ea consuetudo illis suffragari poterit, ut spreto Patris consilio, eoque rationabilitèr invito, prout in casu, de quo agitur, licitè Matrimonium inire valeant ejusdemEcclesiæPræcepto pariter obsistente. Quidquid secus dicendum esset, quando Parentes non conarentur impedireFilii Nuptias cumFœmina ex quo sibi justis de causis sit invisa, sed ideò consensum denegarent, quia Filium collocare vellent in Matrimonio cum alia Fœmina, a qua omninò Filius abhorret; tunc enim requisito Parentum consilio, illud respuere posse concedimus, ne toto vitæ suæ tempore in hac durissima quasi servitute maximo animi sui mœrore permanere cogatur; quemadmodum nèc petere, nèc sequi debere Filios Parentum consilium admittimus, quoties agatur non de ineundo Matrimonio *in specie* cum aliqua particulari Fœmina, sed deMatrimonio *in genere*, hoc est de eligendo statuConjugali, quia talis electio a propria Filiorum voluntate, non autem a Parentum consilio pendere debet.

Nèc obstat *text. in Can. De neptis 31. quæst. 2.* qui allegari solet ad probandum, quod *in Jure Canonico* declaratum sit, quod Parentes nequeant justè Filios adigere ad Matrimonium ineundum; Ex eo namque nil aliud resultat, quam quod Sanctius Aragonum Rex anno 1090. invitus, atque coactus Filiam cuidam Militi desponsaverat, deinde petiit ab URBANO II, Summo Pontifice, an posset, & deberet servare promissum, qui respondit = *Si illa Virum illum omninò renuit, & in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut Viro illi prorsùs se deneget nupturam, nequaquam eam invitam, & renitentem ejusdem Viri cogat Conjugio sociari* = quo casu, ut apertissimè constat, Matrimonium certè fuisset irritum, tùm quia unius consensus omninò deficiebat, tum quia Pater non poterat tradere Filiam fornicatori, non Marito, nèc urgere, ut cohabitaret cum Viro, in quem non consentiebat, nèc illam metu cogere, ut consentiret, at ex hoc inferri minimè potest, quod in facultate Filiæ positum esset, inscio, vel invito Patre, licitè alteri nubere, ut patet ad sensum, imò nèc etiam ex hoc argui valet, quod aliquando Pater nequeat adigere Filium ad assentiendum alicui Matrimonio, & Filius Patris voluntati minimè se submittere debeat; Si namque Filius ad componendas cum Matrimonio paternas inimicitias ducere renuit Fœminam dignam a Patre sibi propositam, & potiùs

152
153

tiùs aliam, etsi dignam, contra Patris voluntatem ducit, lethalitèr peccat *Tolet. Instruct. Sacerdot. lib.5. cap.1. sub num.8. vers. Rursus ducere* = ibi = *Si Filius nolit ducere Uxorem, quam dat Pater, si digna sit, est mortale* (peccatum), *licèt ducat aliam dignam* = & similitèr si Pater Filium omninò dissentientem, & invitum, vel metu mortis, aut alio cadente in constantem Virum cum aliqua sibi penitùs invisa conjungi non cogat, sed tantummodò ad assentiendum inducat auctoritate paterna imperando, quando re vera Filio Matrimonium illud est proficuum, itaut secundùm rectam rationem dissentire non possit, hoc Patri licere, & Filium ad obediendum teneri docet *D. Thom. in 4. Sentent. distinct. 29. artic.4.* aliique, quos omittimus, quia in præsenti non agimus de prohibendo Filiis generalitèr Matrimonio, sive de ipsis cogendis ad ducendam hanc, vel illam Mulierem arbitrio Parentum, de hac enim restrictione libertatis utrum quandoque licita sit, vel ob commune bonum, vel ob urgentissimam causam succurrendi indigentiæ Patris, vel ad componendas inimicitias, nostra non interest rem decidere, sed dumtaxat quærimus, an Adolescèns, de quo in causa, insciis, vel invitis Parentibus, optatum ab ipso Matrimonium contrahere possit, quem articulum nos hactenùs negativè resolvendum esse concludentissi nè comprobavimus.

Nèc etiam relevat *text.* in *Can. sufficiat 27. quæst.2.* ubi statuitur, quod dum agitur de Matrimonio, Contrahentium dumtaxat, non aliorum oporteat expectare consensum = ibi = *Sufficiat solus* SECUNDUM LEGES *consensus eorum, & de quorum, quarumque consensu, & conjunctionibus agitur; qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Cum ergo inter istos consensus intercesserit, qui solus Matrimonium facit, patet hos Conjuges fuisse* = Nos enim quoque fatemur ad Matri-
154 monium non solum consensum, sed etiam consensum liberrimum Contrahentium exigi cum *Emo Bellarm. tom.2. controv. de Matr. lib.1.cap.19. Rot. in Marianen. seu Acien. nullitatis Matrimonii 3. Decembr.1736. cor. R.P.D. Buss.* Sed ultraquam quod illud verbum = *solus* = excludit Concubitum ad Matrimonii validitatem 155
nullatenus necessarium, & *gloss.* ibidem *verb. sufficiat solus* notat, quod = *dictio* SOLUS *non excludit consensum Parentum* = idque observat *Gonzalez in Cap. Tua n.4. de desponsf. Impub.* ubi subdit = *verba illa* SECUNDUM LEGES *Patris consensum includunt, quem Legum latores summoperè desiderant*, = & plura ad hoc exempla congerit ex utroque Jure *Paleott. de Noth. cap.8. n.10.* præterea meminisse oportet, quod dissensum Parentum impedimentum impediens, quod reddit illicitum Matrimonium, non autem dirimens 156
esse contendimus, quod Matrimonium invalidat. Tam autem in allegato *text.*, quam in aliis, si qui sint, ubi innuitur, quod solus sufficiat consensus Contrahentium, ratio tantum habetur de requisitis ad hoc, ut Nuptiæ validè, non verò ut licitè contrahantur, quod manifestè eruitur ex illius subsequentibus verbis = ibi = *qui solus* (videlicet consensus) *si defuerit, cætera* 157
etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur = & explicat quoque *gloss. dict. verb. sufficiat solus* = ibi = *Solus eorum consensus est causa effectiva* 158
Matrimonii = Ratum igitur, atque firmum esse Matrimonium etiam inter Filiosfamilias, quantumvis absit Parentum consensus, non impugnamus, sed insciis, aut jure invitis iisdem Parentibus esse illicitum sustinemus, & non 159
obstante magnificata libertate, ac libero arbitrio, peccaminosum, vetitum, & punibile, quia illud Sancta Mater 160
Ecclesia *semper detestata est, atque prohibuit*, eo modo, quo qui sponsalia cum alia contraxerunt, vel simplici voto Castitatis adstringuntur, naturali Jure cautum est, ne aliam, vel nullam Uxorem ducant, ducunt tamen validè, sed illicitè, & lethaliter peccant, ac rei sunt gehennæ, ipsis libertate nullatenus suffragante; Et simili- 161
ter eo modo, quo Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis debitè, ac ritu 162
Catholico contracta sunt quidem valida *SS. Thom. & Bonavent. in 4. distinct.*

ſtinct.39.quæſt.2.artic.1. Abb. in Cap. final. n.5. ibique *Jo. Andr.n.8. Card. n.3. de Condit. appoſit. Navarr. in Manual. cap.22. n.49.* ſed , non obſtante prætenſa libertate , abſque diſpenſatione Apoſtolica ſunt illicita ,
163 quia ſub peccato mortali ſunt prohibita *Concil. Agathenſ.* relat. *in Can. Non oportet 28. quæſt.1. Concil. Laodicen. cap.10.Concil.Carthaginen.III. cap.12. Concil. Chalcedonenſ. cap.14. Sanchez de Matr. lib.7.diſput.72.n.4. tom.2. Navarr. loc. cit.* ſignanter Italis per *Conſtit. Clement. VIII.* inci-
164 pien. = *Cum ſicut* §.2. = ideòque puniendà *Cap. Decrevit 14. de Hæretic.*
165 *in 6.* ubi Mulieres Hæreticis nubentes in pœnam peccati dote privantur , & ſic tenet communis Catholicorum cum *Perez de Matr. diſput.36. ſect.2.n.2. Sporer. cap.1. ſect. 1. n.118. tom.4. Layman. lib.5.tract.10.par.4. cap.14. n.2. Gobat. tract.9. caſ.11. n.21.* itaque declaravit ſan. me. CLEMENS XI. *die 16. Junii* 1710. teſte *Emo Petr. ad Conſtit. Apoſt.tom.4. Conſtit.12. Joann. XXII. n.14. pag.76.* Niſi ex rationabilibus cauſis , ut diximus , Papa diſpenſet, de quibus *SSmus D. Noſter Benedict. XIV. tom.2.ejus Bullar. Conſtit.51.*
166 incipien. = *Magnæ nobis* =, cum ſine dubio ſupra Jus Eccleſiaſticum diſpenſare valeat *Cap. Propoſuit 4. de Conceſſ. Præbend.* = ibi = *Qui ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra Jus diſpenſare* =

Facili quoque negocio reſolvitur objectum , quod nempe ita favet Filiisfamilias in Matrimonio libertas, ut quælibet pœna etiam Conventionalis, nedum in Matrimoniis , verum etiam
167 in ſponſalibus , quia libertatem nonnihil minuit , ab Eccleſia improbetur *Cap. Gemma de Sponſal.* cujus diſpoſitioni nonnulli ex Canoniſtis innixi concludunt , quod *de Jure Canonico*, dummodo Matrimonium fiat cum Eccleſiæ ſolemnitatibus , liberum ſit Filiis , ac Filiabus ſine conſenſu Paren-
168 tum Uxorem ducere , vel nubere, de quo latè *Covarruv. tom.1.tit. de Matr. par.2. cap.3. §.8. a n.5.*

Quandoquidem rejiciuntur quidem per hunc *textum* pœnæ in ſponſalibus appoſitæ,tamquam libertati Matrimonii contrariæ , ſed ex ea tantum ratione , quia a ſponſalibus plures ju- 169
ſtæ cauſæ permittunt diſcedere , quarum aliquam ſibi competentem vel adducere nequiret , qui injuſtè metu pœnæ a ſponſalibus prohiberetur diſcedere , vel non ſemel , ob difficultatem illam probandi , metu conventæ pœnæ invitus ad contrahendum compelleretur , ut advertit *Gonzalez in d.Cap.Gemma n.34. de ſponſal.* = ibi = *Unde ſi utiliter , & validè adjiceretur* (pœna) *ſponſalibus, Sponſa, quæ ex juſtis cauſis poteſt reſilire, & Sponſus , qui poteſt repudium facere , cogeretur Matrimonium celebrare contra votum proprium , quia etſi juſtam diſcedendi cauſam haberet, ob difficultatem , aut moleſtiam eam probandi , metu gravioris pœnæ ſolvendæ cogeretur invitus Matrimonium contrahere ; unde talis pœnæ promiſſio inutilis eſt , etſi firmetur Juramento , cum ſit contra bonos mores* = in quo *textu* inſuper non rejicitur omnis pœna , ſed tantummodò conventionalis , firmis remanentibus cæteris pœnis, & remediis in Jure ſtatutis contra eos , qui 170
nulla urgente juſta cauſa , fidem in ſponſalibus datam frangere non verentur , quibus proinde aliæ pœnæ non ſunt addendæ , quæ eſt altera ratio , cur nullius roboris remanet pœna Conventionalis , in puncto *Barboſ. in eod. Cap. n.9. & Gonzalez* ibid. *n.5. circ. fin.* = ibi = *Pœnis , & remediis a Jure ſtatutis contenti eſſe debemus* = Cæterum tantum abeſt , quod hic *textus* Filiis libertatem concedat ineundi Matrimonium inſciis , vel invitis 171
Parentibus , quin potius noſtrum aſſumptum mirificè probat . In eo namque propoſitus fuit caſus , an exequi debuiſſet promiſſa in ſponſalibus pœna , ſi Matrimonium *ex facto Matris* Promiſſoris optatum non habuiſſet effectum , & Pontifex reſpondit , pœnam peti non poſſe , ut advertit *Gonzalez in eod. Cap. n.4.circa med.* unde 172
clarè reſultat , quod hoc Decretum potius Filiosfamilias a conventa pœna immunes reddit , quatenùs contradicentibus juſtè Parentibus , eorumque voluntati obſequendo a ſponſalibus, & Matrimonio ſub pœna promiſſo , rece-

cedere debent; multoque magis si Filius sponsalia contraxerit sub conditione Paterni consensus, quia tunc, quod ex irrationabili quoque Paterno dissensu Matrimonium deinde contrahere non debeat, sentire videtur *Rot. in Majoricen. Sponsalium 25. Aprilis 1746.§.Ex eo autem cor.R.P.D Bussio.*

Postremò ad omnem umbram difficultatis submovendam, & quodcumque æquivocum tollendum distinguendum venit inter *coactionem*, & *prohibitionem*, & inter Matrimonium *in genere*, & Matrimonium *in specie*; Quando enim agitur de *cogendo* aliquem ad Matrimonium sive *in genere*, sive *in specie* ineundum, talis coactio, & violentia est omninò prohibita, nemo namque cogi potest ad Matrimonium *in genere*, quia hoc pertinet ad electionem status, quæ non ab aliena, sed a propria voluntate pendere debet, neque ad Matrimonium *in specie* cum aliqua particulari Persona, quia si talis persona Filio, Filiæve sit invisa uti moribus indigna, vel turpis nulla vi cogi debent ad ineundum indissolubile vinculum individuam, perpetuamque vitæ consuetudinem continens cum ea persona illis exosa, *l.12.ff. de sponsal.* cum qua nunquam pacem haberent, & si cogantur, ex defectu liberi consensus nullum, ac invalidum est Matrimonium; Quando vero agitur de *prohibendo* alicui Matrimonium, iterùm est distinguendum inter Matrimonium *in genere*, & Matrimonium *in specie*, si etenim prohibeatur Matrimonium *in genere*, hæc prohibitio est omninò vetita, quia paritèr adversatur libertati electionis status; si verò *in specie* cum aliqua particulari Persona Parentibus invisa prohibeatur, id utique fieri potest, quia non impeditur libera status Matrimonialis electio, cum Filius, Filiave cum alia Persona Parentibus non invisa liberè Matrimonium contrahere valeant.

Concludendum itaque, quod
173 dum Ecclesia sartam tectam Filiisfamilias libertatem circa Matrimonium reliquit, hujusmodi libertatem eis tantummodò competere voluit, quando agitur de Matrimonio *in genere*, quia hoc pertinet ad electionem status, undè si Filius eligere velit statum Conjugalem, nèc a Parentibus, nèc a quibusvis aliis impediri potest, aut contra propriam voluntatem cogi ad statum Cœlibem amplectendum, quemadmodum è contra Sancta Mater Ecclesia statuit, quod si Filius statum Cœlibem amplecti velit, neque Parentes, neque ullus alius Propinquus, vel Extraneus ejus voluntati se opponere valeat, aut illum invitum compellere ad amplectendum statum Conjugalem, nam in status electione solus consensus Eligentis, non autem 174
alterius est attendendus; At quando agitur de Matrimonio *in specie* a Filiisfamilias cum hac, vel cum illa Fœmina contrahendo, nunquam Ecclesia 175
decrevit eisdem licere Parentum spernere voluntatem *Card. Palestt. de Noth. cap.8. circa med.* = ibi = *Sed quis unquam contrarium statuit?* = & cum hac eadem distinctione loquitur *Francisc. Salern. Consilior. lib.1. cons 15. num.18.* = ibi = *Etsi Pater nullam habeat potestatem quoad Matrimo-* 176
nium absolutè contrahendum, vel non contrahendum, obtinet nihilominùs jus quodpiam quoad modum contrahendi, ut scilicèt cum hac, illave Persona ineatur, vel minimè ineatur = quod egregiè confirmatur *ex D. Thoma 2. 2. quæst.104. artic.5. in corp. lit.E.* ubi inquirit an Filius præ- 177
cepto Patris compelli possit ad Matrimonium, & negativè resolvit, quia liber est, ut maneat Cœlebs, nèc se subjiciat perpetuæ, quæ ex Matrimo- 178
nio inducitur, quasi servituti = ibi = *Non tenentur Filii Parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel de Virginitate servanda* = idemque docet *in 4. Sentent. distinct.29. artic.4.* supra *num.133.* in contrarium allegat. = ibi = *Pater non potest cogere Filium ad Matrimonium* = Nunquam autem somniavit asserere, quod si Filius statuat inire Matrimonium, & Uxorem ducere, ei liceat eligere illam in specie, quam Pater prohibet rationabili cau- 179
sa ductus, ut optimè animadvertit *Megal. in 1.2. par.lib.2. cap.23. n.61. Franc. Salern. loc. cit. num.23.* ubi *num.26.* subdit = *Neque verò putes quid-*

quidquam obstare, quod Sanchez nobis objectat, puta quod Homo per Matrimonii contractum perpetuæ subditur servituti, proindèque rectam rationem postulare, ut in illo contrahendo omninò sit liber &c. Etenim, prætterquamquod ea servitus non vera, sed quasi servitus a S. Thom. &c. existimatur &c. Homo penitùs liber existit, poterit namque ei sese subdere, prout ipsi libuerit, etiam Parentibus prorsùs invitis, ut supra satis exposuimus. Quod verò huic, illive subjiciatur, nil mirum esse debet, quod in eo a Parentum consensu dependeat &c. Quod Parentibus liberorum bono indultum est, quo scilicèt iis benè consulant in re maximi ponderis, ac momenti = & infra *num.* 30. confutat *Sanctium* docentem conditionem hanc legato adjectam = *Si Filius Uxorem cum Parentis consensu ducat* = secundùm plures Doctores esse rejiciendam, ostendens contrariam opinionem esse veriorem, eosque Doctores talem conditionem improbantes censendum esse loqui *non quoad modum*, sed *absolutè, & quoad Matrimonii substantiam*, nimirum *si Filius Conjugalem eligat statum ad Parentum voluntati obsequendum*, conditio utique rejicienda, quia status electio ab assensu Patris pendere non debet, cum ad Filium liberè spectet.

180

181

Quantum igitur certum est, quod Ecclesia nunquam tollit, aut tollere potuit libertatem Filiis circa Matrimonium *in genere*, quia hoc pertinet ad electionem status, quæ a cujusque libero arbitrio dependet, tantum improbum esset supponere, quod eam effrenatam libertatem circa Matrimonium *in specie* Filiis tribuere voluerit, ut eis liceret insciis, vel justè invitis Parentibus Fœminam particularem eisdem Parentibus invisam in Uxorem ducere, nam id nunquam est legere nèque in Conciliis, nèque in Pontificum Decretis, quia hoc repugnat Juri Divino, hoc est *IV. Decalogi Præcepto*, super quo Ecclesia dispensare non potest, nèc unquam dispensavit, imò talia Connubia *semper detestata est, atque prohibuit*; Et optima quidem providentia, cum enim Ecclesia Filiisfamilias, libero Matrimonio *in genere* relicto, omnimodam unà simul libertatem iisdem concessit in Uxorem eligendi quamcumque Fœminam inter innumeras Catholicas Fœminas de Mundo, præter illam Parentibus invisam, facilè quicumque percipit, quod sic neminem ad ineundum Matrimonium coegit, nèc ullam cujusque libero arbitrio fecit injuriam, quisque enim in sua libertate remansit eligendi statum Conjugalem, vel Cœlibem; cum verò eligentibus Conjugalem statum ducere Fœminam Parentibus invisam interdixit, abstinuit, prout abstinere debuit a dispensando super Jure Divino, a fovenda Filiorum impudentia, & a cooperando eorum verosimili æternæ damnationi propter peccata, quæ ab hujus generis Matrimoniis oriuntur.

182

183

184

185

186

187

Horum etenim primum est dehonoratio Parentum contra prædictum *IV. Decalogi Præceptum*, prout huc usque probavimus; Alterum *Sacrilegium*, quia si Filii in actu ineundi tale Matrimonium invitis justè Parentibus graviter peccant, necessariò sequitur eos simul Sacrilegium committere, quatenùs sine debita dispositione justitiæ ad Sacramentum vivorum accedunt Gratiæ sanctificanti ponentes obicem, ut omnes DD. in hoc conveniunt teste *Perez de Matrim. sect.* 8. *n.* 1. Tertium pariter *Sacrilegium*, quia Sacramentum impiè ministrant in peccato mortali, si in administratione Sacramenti Matrimonii Contrahentes uti Ministri habeantur, juxta communniorem sententiam receptam ab Ecclesia, quæ Matrimonia, dissentiente Parocho, contracta etiam sub ratione Sacramenti pro validis habet, utque tenent *S. Thom.* 3. *par. quæst.* 64. *artic.* 6. *Card. de Lugo de Sacram. in gener. disput.* 8. *sect.* 9 *num.* 150. *Castropal. par.* 5. *de Sponsal. disput.* 2. *punct.* 4. *num.* 2. & 3. latè *Perez de Matrim. disput.* 19. *dict. sect.* 8. *num.* 3. & *seqq.*; Quartum similiter, quia alter alteri cooperatur, ut sacrilegè hoc magnum Sacramentum recipiat, prout in simili argumentatur *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 11. *num.* 11. *tom.* 2. Quintum quoque nascitur ex

188

189

190

191

eo, quod hujusmodi Contrahentes sta-
192 tum Conjugalem regulariter non amplectuntur cum eo primario fine propagandæ sobolis, nam eo casu aliam æqualem Fœminam, seu Virum ejusdem indolis, pulchritudinis, & conditionis, consentientibus Parentibus, eligerent, sed contra eorum voluntatem ad illam particularem Fœminam, seu Virum eos trahit sola, & unica causa explendæ libidinis, quæ pariter illos privat gratia (quæ cum
193 peccato stare non potest) & divina benedictione *Tob. cap. 6. vers. 22.* = ibi = *Accipies Virginem cum timore Domini, amore Filiorum magis, quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in Filiis consequaris* = qua gratia, & benedictione deficientibus, infelicem, ac tristem exitum parere
194 solent talia Connubia contra laudabilem ritum, ac interdictum Ecclesiæ subdolè, illicitoque cœco amore duce non sine Familiarum, & publicæ pacis perturbatione contracta, ut communitèr, & veluti in adagio est apud Doctores, & apud eos ipsos
195 Causidicos, qui licet ante factum tàm in voce, quàm in scriptis sub prætextu somniatæ libertatis coram Judicibus Filiosfamilias in eorum pertinacia contra Parentes justè illorum Nuptiis adversantes defendant, illosque suo pravo consilio in hujusmodi ærumnarum abyssum præcipitent, attamen post factum, dum deplorabilis exitus subsequitur, revoluto pallio, eorum cœcitatem in contemnendis Parentum mandatis cum abusu libertatis in Tribunalibus declamant, & hoc idem sine horum testimonio experientia nos docet.

196 Absit ergo, quod Ecclesia talia Connubia improbare non potuerit, seu non improbaverit; absit quod nos hujusmodi Connubiis manus, & auxi-
197 lium, aut consilium præstare debeamus, quoties a Deo, & ab Ecclesia non approbantur, infelicem eventum habere solent, & animæ Contrahentium coinquinantur enunciatis lethalibus culpis, quæ de illarum damnatione valdè timere nos faciunt. Aut enim tales Contrahentes usque ad obitum
198 de simili Matrimonio contenti permanent, & hoc casu difficile est, quod illos peccatorum Matrimonium concomitantium contritos pœniteat, recogitantes, quod sine peccato intentum minimè assequuti fuissent, qua pœnitentia deficiente, veniam a Deo impetrare non possunt; Aut expleto libidinis ardore, cessat ex parte unius, vel utriusque libidinosus amor, & affectus, prout plurimum accidere solet, & ultra jurgia, diffidia, desperationes, contentiones, & quandoque verbera inter Conjuges, quibus succedunt, præcepta, Processus, & nonnunquam carcerationes, tandem ad invicem consensu reciproco separantur, & ad adulteria unus, vel alter, aut uterque cor, animumque convertit, itaque unusquisque eorum usque ad ultimum vitæ spiritum sibi viam sternit ad damnationem.

Ratum itaque sit, atque validum Matrimonium inter Filiosfamilias initum, vel Clandestinè propter defectum 199
denunciationum, vel Clandestinè propter ignorantiam, sive justum expressum dissensum Parentum, sed cum peccato tamen, & cum aliis animæ præjudiciis, quæ ut plurimum subsequuntur, ideoque illicitum; prout ratum,
& validum est Sacramentum Baptismi 200
a Parocho excommunicato collatum, &
Sacramentum Eucharistiæ a Sacerdo- 201
te irregulari confectum, sed quemadmodum, & Parochus, & Sacerdos prædicti ad id illicitè, & sacrilegè facien- 202
dum a Superiore Ecclesiastico non habente facultatem eos absolvendi, seu dispensandi licentiam obtinere nequeunt, sed potius, ut irregulares, & excommunicatos a sacrilega administratione arcendos, & si ministrent,
severè puniendos esse omnes Catholi- 203
ci affirmant, ita quoque Filiosfamilias, ita quoscumque, qui notorio sacrile-
gio magnum Matrimonii Sacramentum 204
violare adnituntur, Judicis auctoritate compescere par est, & vi cohibere ne peccent, non autem eis licentiam concedere, ut peccata, & sacrilegia committant.

Ex quibus prudens Adolescens, de quo agitur convictus, ab hujusmodi Matrimonio abhorrens statim a sponsalibus recessit, qui recessus justus,

205 ftus, & licitus evadit ex fola confideratione Paterni diffenfus, quemadmodum hucufque pro veritate demonftravimus, ac in propofito, & ad rem noftram firmavit *Rot. in Viennen. prætenforum fponfalium* 12. *Junii* 1705. §. *Quinimo cor. Kaunitz*, inter impreffas *cor. eod. decif.* 77. *n.* 5. *tom.* 1., *& in Comen. fponfalium* 10. *Junii ejufdem anni* §. *Hanc autem juftam cor. Molinef.* inter impreffas *cor. eod. decif.* 979. *n.* 2. *tom.* 4. *& in Tuden. fponfalium* 21. *Martii* 1746. §. *Cæterum cor. R. P. D. Caprara*.

Et ita &c.

ANONYMA SPONSALIUM

ARGUMENTUM

Nec invitis, nec confentientibus Parentibus Filiisfamilias licet cum indigna Perfona contrahere Matrimonium.

SUMMARIUM

1 *Facti fpecies*, & n. 2. 3. 4. 5.

6 *Filiifamilias infciis, vel invitis juftè Parentibus fub pœna culpæ lethalis Matrimonium inire non poffunt* & n. 46. 109.

Et peccant contra pietatem, juftitiam, & caritatem, n. 7. 46. 89.

7 *Multo magis injuria afficiunt Parentes, & graviffimè peccant, fi illud ineant cum perfona indigna* & num. 12. 13. & feqq., & n. 26. 27. 28. 59.

8 *Hoc docent etiam DD., qui Filiisfamilias circa libertatem favere videntur*, & n. 10. 17. 23.

9 *Theologi Collegii Salmaticenfis filiorum extollunt libertatem circa Matrimonia*.

11 *Non eft in facultate Patris cogere filium, ut hanc, vel illam in Uxorem ducat*.

18 *Etiam Canoniftæ prædicta Matrimonia invitis Parentibus contracta fub pœna culpæ lethalis reprobant*, & n. 19. & feqq.

22 *Quorum nonnulli Parentes ab obligatione dotandi Filiam indignè nuptam immunes effe declarant*.

24 *Sententiam Filiis contrariam circa prædicta Matrimonia Forenfes etiam amplectuntur*.

25 *Item Rota Romana*.

26 *Prædictum Filiorum Matrimonium eft actus culpofus, ac Reipub. damnofus, ipfique Filii funt puniendi*.

29 *Connubia Filiorum indigna Diluvii caufa fuerunt*.

30 *Filii Dei erant Sethidæ, Filii Hominum Cainitæ*.

31 *Nolebat Deus Sethi pofteritatem, ex qua Meffias originem trahere debebat, per nefanda Cainitarum Connubia deboneftari*.

32 *Sethidæ cum Cainitis Connubia contraxerunt injuffu Parentum*.

33 *Qui indigna Connubia contrahunt, Deum a fe, & a fua mente excludunt, fuæ libidini vacant, & in hos poteftatem habet Dæmonium*.

34 *In facro Codice Ifraelitis interdicta funt Conjugia cum Cananeis, non folum propter cultus difparilitatem*;

35 *Verum etiam propter difparilitatem conditionis*.

36 *Interdicta non erant cum Ægiptiis, Madianitis, Moabitis, cæterifque idololatris*.

37 *Hebræis Ancillas ducere non licebat, & Patriarchæ illas retinebant utConcubinas, non ut Uxores*.

38 *Prifci quoque homines intellexerunt nonnifi inter pares ritè Nuptias confiftere*.

39 *Quare Nuptiæ dictæ fuerunt Conjugium*.

40 *Tam Romani, quam Gentes univerfæ Nuptias æquales effe voluerunt*, & num. feqq.

41 *Exercere dicuntur artem ludicram Saltatores, Saltatriculæ, Scenici omnes artifices, & thymelici, & quæ funt alia plura theatralis rei nomina, artes ludicræ funt*.

42 *Apud Romanos Ingenui Nuptias contrahere non poterant cum indignis impofita quoque pœna*.

43 *In Jure præfumptio Matrimonii in dubio inter pares admittitur, non autem inter inæquales*.

44 *A paritate Conditionis dictum eft Paragium*.

45 *Nuptiæ sunt consortium omnis vitæ; divini, & humani Juris communicatio, quæ in imparibus personis vix est, ut eveniat.*

46 *Filii ineuntes Matrimonium invitis Parentibus peccant contra pietatem, justitiam, & caritatem,* & n 89.

47 *Nemini licet dehonorare Parentes, nèc Proximo ignominiam afferre, nèc scandalo, odiis, & inimicitiis maximè inter domesticos viam aperire, nèc quartum Decalogi præceptum conculcare.*

48 *Sancta Dei Ecclesia Nuptias invitis Parentibus a Filiis contractas semper detestata est, atque prohibuit,* & n.119.152.188.

49 *Quartum Decalogi præceptum, etsi videatur affirmativum, continet tamen. præceptum negativum de non dehonorando Parentes.*

50 *Filiis prohibetur adversus Parentes quælibet injuria, irrisio, contristatio, odium, & similia; imò ne vultu quidem lædenda pietas est Parentum.*

51 *Quæ levis adversus alios offensio censetur, adversus Genitores est gravissimum crimen impietatis.*

52 *Mortaliter peccat Filius, si leviter Parentem percutit, si manum elevat in signum percutiendi, si illi detrahit vel præsenti, vel in absentia.*

53 *Si eum torvo intuetur oculo, aut asperè alloquitur, si eumdem afficit tristitia, licèt opus, ex quo contristatur, alius grave malum non sit, dummodo ejus tristitia prævisa fuerit.*

54 *Vix inveniri poterit aliud præceptum tàm frequenter, tan isque modis ac istud in sacris literis inculcatum.*

55 *In opere, & sermone, & omni patientia honorandus est Pater, nèc contristandus in ejus vita.*

56 *Maledictus est, qui non honorat Patrem.*

57 *Qui affligit Patrem ignominiosus est.*

58 *Oculum, qui subsannat Patrem, effodiant eum Corvi.*

59 *Gravius peccant nihilominus Filii, qui cum indigna contrahunt.*

60 *Ignominia, & tristitia, quæ ex indignis Nuptiis Filiorum Parentibus resultat, nullatenus comparanda cum Parentum irrisione, aliisque prædictis injuriis,* & n 61.

62 *Quartum Decalogi præceptum utrumque Genitorem comprehendit.*

63 *Genitores tamquam Dei simulacra a Filiis suo modo respiciendi sunt.*

64 *Maledictus est a Deo qui exasperat Matrem.*

65 *Filius honorare debet Patrem, & gemitus Matris non debet oblivisci, & meminisse debet, quod nisi per illos natus non fuisset, unde illis retribuere tenetur.*

66 *Mortuo Patre omnia Jura reverentialia coalescunt favore Matris.*

67 *Sacri Canones in Filiorum Nuptiis requirunt indistinctè consensum Patris, & Matris.*

68 *Idque docent Sancti Patres, cæterique Doctores,* & n.69.

70 *Cum agitur de honestis Connubiis a Filiis ineundis sufficit Parentum consensus.*

71 *Sed in Connubiis indignis* Parentum *vocabulum etiam ad Propinquos extenditur.*

72 *Ideoque sub hoc nomine veniunt Mater, Fratres, & Consanguinei, quibus Justitia præbet facultatem prohibendi, ne tam impares Nuptiæ contrahantur,* & num.73.74.75.76.

77 *Si Filius his invitis indignas Nuptias contraheret, peccaret contra Justitiam.*

78 *Et contra pietatem.*

79 *Ubi de indignis Connubiis agitur, nedum peccat Filius, sed etiam Pater, si consenserit, & quare,* & num.81.

80 *Ex his Connubiis sequuntur odia, jurgia, simultates, & interminabiles dissensiones.*

82 *Qui se infamat lethaliter non peccat.*

83 *Hoc nonnulli DD. tamen affirmant Declara ut* num.84.

85 *Non licèt infamato, vel contumelia affecto in præjudicium alterius*

rius sui honoris, vel famæ injuriam condonare.

86 *Alias condonatio, seu remissio non est valida, nec obligatio justitiæ ad damna reparanda extinguitur.*

87 *Honor, & Fama pari passu procedunt.*

88 *Honor, & Fama non magis sermone, quam opere læduntur.*

90 *Scandali malitia in eo sita est, ut quis dicto, vel facto præbeat proximo occasionem peccandi.*

91 *Scandali malitia inducit culpam mortalem, quando contemnitur salus Proximi, ut si pro ea conservanda quis non prætermittat facere, quod sibi libuerit.*

92 *Ad vitandum scandalum ortum habens ex Proximi nedum malitia, sed & ex infirmitate, bona temporalia, & quandoque spiritualia dimitti, vel occultari debent.*

93 *Filiifamilias Connubia indigna contrahentes omnibus Consanguineis, vel Affinibus multifariè occasionem præbent peccandi.*

94 *Vix innotescit tractatus hujusmodi Connubiorum, statim suboritur in omnibus indignatio, per quam detractiones hinc inde dissemi-nantur.*

95 *Illicò mutuæ benevolentiæ communia, & specialia signa penitùs cessant.*

96 *Pater Filium, Frater Fratrem alloqui respuit, ac salutare.*

97 *Sequuntur odia, discordiæ, obstinatæ lites, maledictiones, insidiæ, aliquando homicidia,* & num. 118.

98 *Qui utitur Jure suo nulli facit injuriam.*

99 *Libertas, quæ cuique competit in Matrimoniis ineundis, malè intelligitur.*

100 *In multis casibus non est permissum absque lethali culpa uti Jure suo.*

101 *Caupo vendens vinum Hospiti, quem agnoscit se inebriaturum peccat.*

102 *Item scandali reus est, qui in die jejunii carnes vendit ei, quem non credit a servando jejunio legitimè excusatum.*

103 *Pictor vendens imaginem Puellæ Juveni turpitèr illam amanti peccat.*

104 *Ex quibus arguitur, quod semper non est permissum uti Jure suo, nec etiam Filiis in contrahendis Matrimoniis, quando adest peccatum,* & num. 113.

105 *Libera est electio status, & vitæ Conjugalis.*

106 *Nullibi constat, nulla lege cavetur, nullaque auctoritate comprobatur, quod Filii Jus habeant ad indignas Nuptias,* & num. 110.

107 *Qualitas dignitatis, & æqualitatis Nuptiarum potiùs favet, quam adversetur Matrimonio.*

108 *Libertas in Matrimoniis ineundis non ita intelligenda est, ut adversetur Juri Divino, cui leges Canonicæ nunquam adversantur.*

111 *Licet quis habeat Jus in re, illo tamen uti nequit quando injustè, aut impiè, aut contra Charitatem agere debeat.*

112 *Non licet Virgini pati stuprum citra injustitiam, quamvis habeat dominium sui Corporis, quia ex illius stupro Parentibus damnum emergit.*

114 *Non licet Filio etiam consentientibus Parentibus inire Matrimonium cum Hæretica, non obstante libertate Matrimonii.*

115 *Esset tamen validum, sed illicitum, quia vetitum ab Ecclesia.*

116 *Et sine peccato contrahi non posset.*

117 *Propter pericula, quæ inde manare possunt.*

118 *Eodem modo, non obstante libertate Matrimonii, non licet Filio contrahere Nuptias cum indigna, seu Parentibus invisa propter peccatum, & propter alia pericula, quæ enumerantur,* & n. seqq.

120 *Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis vetita sunt ex præcepto Ecclesiastico,* & n. 123.

121 *Matrimonia Filiorum dissentientibus Parentibus vetita sunt ex præcepto Ecclesiastico, & Divino,* & n. 124.

122 *Et si Filii illa contrahant quartum*

tum Decalogi Præceptum in materia gravi contemnunt.

125 *Ex Connubiis Filiorum cum indignis sequuntur mali effectus numero plures, quam ex Connubiis cum Hæreticis.*

126 *Filii ineuntes Matrimonium, dissentientibus Parentibus, peccant contra pietatem, justitiam, caritatem, & contra religionem.*

127 *Accedentes enim in peccato mortali ad recipiendum Matrimonii Sacramentum sacrilegium committunt.*

128 *Alterum sacrilegium committunt administrantes Matrimonii Sacramentum in peccato mortali.*

129 *Peccant etiam, quia ut plurimum contrahunt Matrimonium non primario ad propagandam sobolem, sed ad saturandam libidinem.*

130 *Peccant insuper, quia alter alteri cooperatur, ut sacrilegè hoc Sacramentum recipiat.*

131 *In his Connubiis inest illa inhonestas, per quam alii clamant* = Quod tibi non vis, alteri ne feceris =

132 *Hæc est prima naturæ notio in qua lex, & Prophetæ consistunt.*

133 *Quam sibi injuriam Filiifamilias a suis filiis nascituris sibi inferri nolunt, eam ipsi Parentibus, & Propinquis inferre non debent.*

134 *Ex his Connubiis oritur scandalum Filiorum, qui ex tali peccaminoso Matrimonio procreati, vel exemplo Parentum similia discunt Matrimonia contrahere;*

135 *Vel Matrem indignam honorare dedignantur, seu potius illam verbis dehonorare non verentur;*

136 *Vel conqueruntur adversus Patrem, qui talem indignam Fœminam sibi copulavit, ut esset illorum vilis, aut ignominiosa Mater;*

137 *Vel indolem vilissimæ Matris sectantes, pravis, inhonestisque moribus imbuuntur;*

138 *Vel si Matrem diligant, rixas, aut duella suscipiunt contra Nobiles, qui eamdem sive tractare recusant, sive ejus conditionem irrident;*

139 *Vel maledicunt Parentes, illorumque Matrimonium, si propter illud mendicare cogantur, aut vilem artem exercere.*

140 *Indignæ Nuptiæ dicuntur illæ, quæ sunt impares.*

141 *Indignus est ille Conjux, cui alter Conjux, attenta progenie, divitiis, moribus, aliisque circumstantiis absque dedecore copulari non potest.*

142 *Et præcipuè attenta infamia.*

143 *Innoc. III. concessit Indulgentias iis, qui in Uxores ducerent Meretrices*, & num.144. 148.

Distingue ut num.150.

145 *Laudandus est Osee Propheta, qui Meretricem duxit Uxorem.*

Contrarium num.179.

Declara ut num.180. 181.

146 *Commendatur Vir generosus, qui in Uxorem duxerit Mulierem per occasionem corruptam.*

Declara ut num.183. 184.

147 *Non dantur magis indignæ Nuptiæ iis, quæ cum publica Meretrice contrahuntur.*

149 *Nec Theologorum, nèc Juris Interpretum auctoritas legem condere, aut Sacros Canones infringere valet.*

150 *Text.Innoc. III. circa Meretrices ducendas in Uxores procedit quoad illos Viros, qui sunt sui Juris.*

151 *Non autem quoad Filiosfamilias*, & num.174.

152 *Non est enim præsumendum, quod Papa eos ad hujusmodi Nuptias allicere voluerit contra Jus Ecclesiasticum, Naturale, & Divinum.*

153 *Quemadmodum allicere noluit eos Voto simplici Castitatis adstrictos, ne illos induceret ad peccandum, ita nèc Filiosfamilias, ne peccarent contra quartum Decalogi Præceptum.*

154 *Nec est præsumendum, quod Papa allicere voluerit Viros Nobiles, quamvis essent sui Juris, & quare*, & num.174.

155 *Quemadmodum in Rescriptis, & gratiis,*

gratiis, ita in elargiendis Indulgentiis nunquam Summi Pontifices intellexerunt tertio præjudicium inferre.

156 *Potissimum ubi agitur de iis, quæ Juri naturali adversantur.*

157 *Prout essent Nuptiæ sive a Filiis, sive a quibuslibet aliis contractæ cum dedecore Parentum, Fratrum, Sororum, atque totius Familiæ.*

158 *Summi Pontifices pro reparandis collapsis Ecclesiis, aut pro novis construendis ad excitandos Fideles ad elargiendas eleemosynas nonnumquam iis Indulgentias concedere solent,*

159 *Nemini tamen licet in iis casibus æs alienum erogare, aut Familiam fraudare honestis alimentis, ut eleemosynam tribuat ad lucrandas Indulgentias.*

160 *Nec Filiofamilias Parentibus egenis non providere, ut opem ferens locis Terræ Sanctæ, Indulgentiis perfruatur.*

161 *Nec Filio, aut Fratri Matrem vetulam, aut Sororem innuptam ejus necessario auxilio, & assistentia privare, & ad loca Sancta, aut Apostolorum limina accedere, ut Jubilei fructum assequatur.*

162 *Nec Patrifamilias Uxorem, Prolemque sua opera nutriendam deserere, ut procedens ad bellum contra Infideles, easdem impetret Indulgentias.*

163 *Hæc enim utpotè contra pietatem, justitiam, & caritatem ab omnibus reprobantur.*

164 *Nec Pontificia Diplomata ad prædicta invitantia, præfata Personarum genera comprehendunt.*

165 *Ad obtinendas Indulgentias quinam possint Uxores ducere Meretrices*, & num. 172. 173.

166 *Sæculo XII. numerus Meretricum in immensum excreverat.*

167 *Volco Præsbyter Parisiensis Meretrices convertit, & Habitu Religionis induit; Alias dotatas Matrimonio conjunxit. Ad hoc Scholares Parisienses 250. libras, Burgenses verò mille, & ultra tribuerunt.*

168 *Ipsi gregarii Milites, & Homines infimæ conditionis eas in Uxores ducere nolebant proptèr Infamiam.*

169 *Ideò Innoc. III. eas ducentibus Indulgentias concessit*, & num. 170.

171 *Sed ita noluit Adolescentium amores, impudentiamque fovere, nèc impietati ergaParentes præsidium ferre.*

175 *Ducentes Meretrices hodiè quoque notantur ea infamia, qua notabantur tempore Innoc. III.*

176 *Qui fuit Meretricis Maritus non potest ad Ordines admitti, quia est Bigamus, vilis, & ignominiosus.*

177 *Qui ducunt Uxores viles, abjectas, vel Meretrices sunt infames.*

178 *Damnatus ad ultimum supplicium potest effugere hanc mortem Infamem, si se offerat subire aliam infamiam, desponsando Meretricem.*

185 *Exempla iniquissimorum Hominum, & iniquè gestorum sæpè usurpantur a SS. Patribus eo modo, quo in sacris Literis, vel etiam a Christo Domino non semèl fuere deducta,*

186 *Ut sunt exempla de villico fraudolente, & Judice iniquitatis.*

187 *Quæ accipienda non sunt quasi nobis ad imitandum proposita.*

189 *Matrimonium Filiifamilias injussu Parentum contractum est illicitum, sed validum.*

190 *Sponsalia uti revocabilia prohibere nè fiant, idem est ac irritare jam facta.*

VOTUM II.



Ego admodùm commendabili quidam Vir Nobilis ad conservandam non solùm agnationem, sed multò magis Familiæ decorem, ac sanguinis puritatem in suo ultimo, cum quo decessit, Testamento Primogenituram instituit ad favorem sui Primogeniti Filii, ejusque Filiorum, atque

que Nepotum in infinitum, ea addita
conditione, quod si aliquis ex futu-
ris Primogenitis indignam Uxorem
clàm ducere tentasset, illicò Primo-
genituram amitteret, eique tali
casu Secundogenitum substituit, qua-
tenùs actu, vel in spe adesset, sin
minùs Primogenitum sui Germani
Fratris cum eodem ordine, & condi-
tione ad eamdem Primogenituram
vocavit, factis deinde pluribus sub-
stitutionibus, de quibus in præsenti
non est agendum.

Filius non solùm Primogenitus,
sed etiam unicus Filii Primogeniti
2 Testatoris jam defuncti, Adolescens
ætatis annorum 18. circitèr, nullo li-
terarum usu, atque ingenitæ honesta-
tis præsidio suffultus, tametsi elapso
anno Nobiles sibi oblatas cum pin-
gui dote spreverit Nuptias, & tribus
ab hinc Mensibus omnem moverit la-
pidem, ut inferioris notæ Mulierem
in Uxorem duceret, nunc præter id,
quod a Matre, & a Propinquioribus
Consanguineis sperabatur, mutata in
deteriùs Persona, sed non consilio,
quodam veluti furore correptus, nèc
Supremi Numinis iram, nèc gravis-
simum Genitricis dolorem, nèc justas
Consanguineorum veritus querimo-
nias, ac demùm nihili faciens in sui,
suorumque futurorum Filiorum præ-
judicium pinguis Primogenituræ amis-
sionem, cum quadam Muliercula ex
infima, atque obscurissima Plebe per
summum dedecus Sponsalia per verba
de futuro contraxit. Hujus Fœminæ
3 Pater vilibus, quoad vixit, ministe-
riis addictus miserrimam vitam tran-
segit: Mater adhuc superstes vestium
sordes continuò abluendo victum
quæritat: Patruus actualitèr Caupo-
nam exercet: Frater in domo Merca-
toris famulatur, necnon Sponsa, ac
altera ejus Soror in summa rerum
egestate plurium servitio mancipatæ
panem hactenùs habuerunt ferè cum
probro.

Vix Consanguinei Nobilis Juve-
nis de hac re certiores facti, nihil in-
4 tentatum reliquerunt, ut illum a
proposito revocarent, ipsaque Mater
precibus, & hortationibus, lacry-
mis, & minis conata est eumdem ad
sanam reducere mentem; Cumque
hæc omnia in irritum cesserint, tan-
dem convolavit afflicta Parens ad op-
portuna Juris remedia, & allegando
legitimam, quam habent Parentes fa-
cultatem prohibendi filiis ejuscemodi
inauspicata Conjugia, obtinuit in no-
stra Episcopali Curia suo nomine ap-
poni = *Nihil transeat* = eumque Filius
illud lacerari, & mandari procedi ad
ulteriora in Denunciationibus postu-
laverit, nos rejecta, prout Juris est, 5
illius instantia, ac justissimæ petitioni
Matris annuentes, attentata sponsalia
esse nulla, & quatenùs opus, rescin-
denda, uti illicita, declaravimus.

Motiva Judicati ex eodem ipso
fonte promanant, unde limpidas hausi-
mus aquas, quibus *Voto I. per tot.* a
quibuslibet æquivocis, inanibusque
cavillationibus expurgatum nostrum
assumptum unà cum *D. Archiepiscopo
Muscettola*, aliisque Doctoribus Theo-
logis, & Canonistis, nèc non convin-
centissimis argumentis, atque rationi-
bus clarissimè comprobavimus nullo
jure permissum esse Filiisfamilias, in- 6
sciis, vel invitis justè Parentibus ini-
re Matrimonia sub pœna culpæ letha-
lis, etiamsi ducere vellent Fœminam
paris conditionis, quæ tamen ex ju-
stis causis Parentibus foret invisa.

Verùm in hypothesi majores
etiam urgent rationes; Filiifamilias
namque cum Persona indigna contra-
hentes majori injuria afficiunt Paren-
tes, atque Propinquos, plurimisque 7
modis, & præsertim contra *pietatem*,
justitiam, & *caritatem* gravissimè
peccant, ut apertissimè docent om-
nes Theologi, tùm etiam illi, qui in
opinando vel mitissimam viam affecta-
re consueverunt, tùm & ii pauci, qui
(cum æquivoco tamen, de quo *in d.
Vot. I. num.* 173.) nimium Filiis fa-
vere videntur circa Matrimonii li- 8
bertatem, unanimitèr hanc limitatio-
nem subdentes = *dummodò non indi-
gnè contrahant* = seu = *si tamèn Nu-
ptiæ non sunt indignæ* = ad quas nul-
limodè pertingere assertæ libertatis
arbitrium ostendunt, inter quos satis
esset allegare testimonium *Theologo-* 9
rum Collegii Salmanticensis, qui præ
aliis conantur Filiorum extollere li-
ber-

bertatem , quique nihilominùs tom.2.
Theol. moral. tract.9. cap.6. punct.2.
num.19. sincerè testantur = ibi = Si-
10 militèr est certum apud omnes pecca-
re mortalitèr Filios , qui cum indi-
gna nuberent cum dedecore Familiæ=
quibus tamèn ad abundantiorem ad-
dimus D. Bonavent. in 4. Sententia-
rum tom.5.distinct.29.quæst.3.artic.1.
in conclus. vers. respond. ad argum.
ubi favendo Filiis asserit non esse in-
11 facultate Patris cogere Filium , ut
hanc , vel illam in Uxorem ducat
cum hisce tamen duabus limitationi-
bus , nisi nempè Pater prohibeat Filio
contrahere cum Muliere mala , vel ex
alia rationabili causa , per quam Nu-
12 ptiæ alio quovis titulo judicantur in-
dignæ = ibi = Non potest Pater ad con-
trahendum cum hac, vel cum illa eum
obligare , nisi caritas , vel rationabi-
lis causa eum liget &c. Caritas verò
ligat , quando Pater prohibet Filio ,
nè contrahat cum Muliere mala = cla-
rius Tolet. lib.5.Instruct.Sacerd.cap.1.
13 sub num.8. = ibi = Rursus ducere Uxo-
rem indignam contra voluntatem Pa-
tris peccatum mortale est = quodque
teneatur Filius sub mortali stare con-
silio , & consensui Patris cum initu-
rus est Matrimonium , ex quo dedecus
Familiæ Patris oriri possit , apertissi-
mè affirmat Card. Lauræa in 4. Sen-
tent. tom.3. disput.17. artic.6 n.89.
quorum trium doctissimorum Purpu-
ratorum sententia communis est apud
omnes Doctores , ut præ cæteris tra-
dit P. Bruno Neussen. Ordin. Minor.
14 in absolutissima Paliantbea Theologo-
Morali Canonica disput. de Matrim.
quæst.1. resolut.3. = ibi = Veluti cer-
tum est Prolem non posse absque pec-
cato mortali , inconsultis , & invitis
Parentibus , inire Matrimonium cum
dedecore Familiæ , cum verosimili
prævisione scandalorum, periculorum,
inimicitiarum , perniciosarum rixa-
rum , discordiarum inter Familias ,
Consanguineos &c. Ita communissimè
Doctores . Ratio est , quia ex caritate
illa mala evitare tenetur = idque con-
firmant Navarr. in Manual. cap.14.
num.15. Giribald. de Sacram. tom.1.
par.2. tract.10. cap.5. dub.6. num.35.
= ibi = Conveniunt tertio peccare mor-
talitèr Filios nubentes inscils, & in- 15
vitis Parentibus , si ducant indignam
cum magno dedecore , & ignominia
Familiæ , si ex tali Matrimonio gran-
dia mala sequi posse timeatur , si im-
mineant scandala , pericula, inimici-
tiæ , amissio bonorum , perniciosæ di-
scordiæ , prout notant Aversa , San-
chez , Gutiier. , Bossius, Palaus, alii-
que communitèr = Item Marcus Serius
de 4. Decalog. Præcept. disput.4. dif-
ficult.1. quæst.3. num.6. = ibi = Pec-
catum mortale erit contrahere Matri-
monium absque Patris consensu, si Fi-
lius contra Patris voluntatem contra- 16
hat cum aliqua indigna ; scilicèt cum
aliqua infra statum suum notabilitèr,
quia fit Parentibus injuria , & debo-
noratur Familia = eamdemque pror-
sùs unanimitèr tenuere sententiam
Bassæus in Flor. Theol. verb. Filius
num 5. Duard. in Can. Omnes utrius-
que sexus tom.2.disput 21.sect.1.n.46.
Reginald. in prax. for. pænit. tom.2.
lib.20. cap.2. sect.3. num.18. Sayr. in
Clav. Reg. lib.7. cap.5. num.12. Ge-
suald. de Bonon. tom.3.tract.10.cap.1.
num.18. Boss. de contract. Matrim.
cap.11. § 8. num.87. Mezzer. tom.4.
Theol. tract.15. disput.54. artic.2.§ 2.
num.12. Azzor. instit. Moral. par.2.
lib.2. cap.2. quæst.6. Petr. a S. Joseph
in summ. de 4.Decal.Præcept. artic.2.
Dicastillo de Matrim. tom.3. disput.4.
dub.17. num.176. Itaque demùm , ul-
tra alios per nos allegatos in præcit.
Voto I., cuncti sentiunt Theologi, nèc
etiam exceptis illis omnibus , qui li-
bertati Filiorum ultra jus tribuentes ,
fatentur tantum eos sub mortali tene- 17
ri saltem ad consilium Parentum ex-
quirendum , verùm dum agitur de
non contrahendo cum indigna , una-
nimi consensu non satis esse consilium
audire , sed voluntati Parentum esse
prorsùs obtemperandum affirmant .

Nèc verum est , prout perperam
objiciebatur , quod Moralistæ tantum,
seu Theologi , licet probæ notæ, Ma-
trimonium cum indigna insciis , vel
invitis Parentibus contractum ad
unum fermè omnes illicitum esse cla-
ment , illudque e contra permittatur
a Canonistis ; Isti namque sic injustè
calumniantur , quia ipsi quoque ab 18

hac sententia communissimo Theologorum consensu approbata non diffident, inter quos *Præposit. in Cap. Tua n.5. Alex. de Nevo n.6. Fagnan. n. 15. de desponsat. Impuber.* ubi fatetur Filios peccare mortaliter, si contrahendo minùs dignè Parentibus non obe-
19 diant = ibi = *Quod absque dubio procedit saltem cum Pater movetur Familiæ inæqualitate, vel alia justa causa* = optimè *Navarr. in Manual. cap. 14. num. 15.* = ibi = *Peccat Filius, qui &c.*
20 *contra præceptum Paternum se minimè dignam Uxorem ducit* = fusiùs *Pirhing. in Jus Canonic. tom. 4. tit. 1. de sponsal. sect. 3. § 4. num. 92.* = ibi = *Verumtamèn negari non potest, quin peccent liberi, si absque justa causa*
21 *sine consensu Parentum Matrimonium contrahant. Imò proptèr extrinsecas causas, seu circumstantias occurrentes regularitèr non possunt liberi licitè Matrimonium inire sine consensu Parentum, ut quia Parentes gravem causam habent impediendi Matrimonium liberorum, quia v. g. volunt Matrimonium inire cum Persona inæquali, vel infami non sine dedecore Familiæ* = Imò non desunt Canonistæ, qui agnoscentes gravem injuriam per indignas Nuptias Parentibus illatam, eos ab
22 obligatione dotandi Filiam indignè Nuptam immunes esse declarant, inter quos *Ancharan. in Cap. Tua n. 6.* aliique ibidem collecti per *Fagnan. num. 19. de desponsat. Impuber.*, quod & tandem fateri compellitur *Covarruv. par. 2. de Matrim. cap. 3. § 8. n. 7. vers. Hæc omnia*, qui acerrimus li-
23 bertatis Filiorum in Matrimoniis contrahendis assertor, ibi tandem ita concludit = *Hæc omnia cessant, quando Filia nupsit indigno, ac ignominioso Viro &c. Non enim compellendus est Pater a Filia affectus injuria, & ignominia ei Dotem dare, quod receptum est communitèr* = & congerit concordantes. Hanc insuper opinionem, quod Filii nempè absque Parentum consensu Nuptias maximè cum indigna contrahere prohibeantur, non solum Theologi tuentur, quorum sententia cæteroquin juncta præsertim cum Canonistis prævalere debet aliis Doctoribus, sed ea vindicatur etiam

a nostris Forensibus, uti ex professo 24
docet *Piton. discept. Eccles. 59. a n. 83. ad 89.* = ibi = *Quidam Filiusfamilias amore captus Puellæ disparis conditionis eam desponsare volens, discessit de domo Parentum, propriamque conduxit, & non obstantibus ferocissimis Patris, & Matris contradictionibus, properabat ad contrahendum Matrimonium. Ego desuper consultus scripsi ad instantiam Patris infrascriptas rationes ad Ordinarium loci &c. Præmittebam igitur, quod in Jure nostro duæ sunt species Causarum obstantium Matrimonio, altera, quæ nedum impedit contrahendum, sed etiam dirimit contractum, ut est causa Consanguinitatis &c. altera species est, quæ simplicitèr impedit contrahendum, sed non dirimit contractum, ut est omissio Denunciationum absque legitima causa &c. & etiam contradictio Patris Matrimonio cum Sponsa indigna Menoch. in punct. &c. In casu præsenti concurrere asserebam plures causas sufficientes ad impediendum Matrimonium, & primo concurrit contradictio Patris, & omnium Consanguineorum data in causa legitima indignitatis Sponsæ, quod talis contradictio ita fundata possit impedire Matrimonium antequam contrahatur, firmat in terminis claris Menoch. conf. 69. &c. & in hac materia standum esse præcitato Consilio dicit Card. de Luc., Barbos., Costa, Guttier. &c. Neque hic obstare valet dispositio Tridentini sess. 24. cap. 1. ubi dicitur consensum Patris non requiri ad validitatem Matrimonii Filiifamilias, quia simplicitèr in eo textu Patres Concilii decreverunt Matrimonia sine consensu Parentum esse valida, ita antiquando contraria Jura tunc vigentia tàm Canonica &c. quàm Civilia &c. non autem disposuerunt Patrem non posse impedire Matrimonium antequam contrahatur, ut in puncto respondet Menoch. &c. concordat Fagnan. &c. Imò, quod Pater possit impedire Matrimonium contrahendum resultat ex ipsa mente Concilii, quando pro exterminandis Matrimoniis Clandestinis, illa non quidem prohibuit, sicut prohibuerunt antiqua Jura, sed jussit fieri denuncia-*

ciationes, ut tempore istarum Patresfamilias possent se opponere, & impedire, ut in puncto observat Menoch. &c. Altera causa impediendi Matrimonium consistit in acerrima discordia inter Patrem, & Filium, & inter Consanguineos Sponsi eum illis Sponsæ &c. quo casu in hoc proposito illam esse justam, rationabilem, & attendendam dixit Menoch. &c. Dicastill. &c. = Eamdemque sententiam
25 frequentèr amplexa est in pluribus *Decisionibus Sac. Rot. Roman.*, ut testatur *Card. de Luc. de Dot. disc.* 1. *per tot. & disc.* 142. *num.* 16. *& seqq.*, & signantèr *cor. Buratt. decis.* 498. *per tot. tom.* 1. & quamvis in iis non examinetur an, & quale peccatum committant Filii contra voluntatem Parentum ita ducentes Uxorem, satis
26 adhuc aperiunt proprium sensum affirmantes eos gravi injuria Parentes afficere, condigna pœna esse puniendos, eorumque Matrimonium esse actum culposum, parum honestum, mali exempli, ac Reipublicæ damnosum, quemadmodum testatur *Card. de Luc. d. disc.* 1. *num.* 19. ubi quod sic Contrahentes lethalis culpæ reos fecun-
27 dum plerosque existimari insinuat, idemque manifestissimè confirmavit ipsa *Rot. Roman. In Viennen. prætensorum Sponsalium* 12. *Januarii* 1705. § *Nèc præmissa cor. Kaunitz*, quæ est *decis.* 77. *inter recollectas cor. eod.* = ibi = *Licèt consensus Parentum non sit necessarius ad validitatem &c. cum tamèn Filius, vel Filia contrahentes Matrimonium contra placitum Pa-*
28 *rentum* PECCENT MORTALITER, *gravique injuria Patrem afficiant &c. non potest quis cogi ad nubendum contra reverentiam debitam Patri, & induci ad* PECCATUM LETHALE *inobedientiæ* =

In quam sententiam utique cœco ductu non descendit tam ingens utriusque Fori turba Doctorum, sed illis aperuit fortè intellectum ipsa *Divina Lex*, per quam indignas, atque impares Nuptias a Deo fuisse vetitas satis ex eo compertum habemus, quod
29 *Genes. cap.* 6. *vers.* 2. non alia Diluvii causa a Legislatore affertur, quam quod = *Videntes Filii Dei Filias Hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi Uxores ex omnibus, quas elegerant* = Cum ergo scitissimum sit *Filios Dei* non alios esse, quam Sethi- 30
das, ita per excellentiam dictos, quemadmodum *Montes Dei*, *Cedri Dei*, & similia; *Filios* vero *Hominum* esse Cainitas, non videtur dubitandum, quod magna esset inter eos disparilitas, ideoque inter has duas posteritates Deus Connubiorum jura disertè vetuerit, alioquin nunquam eas Nuptias alluvione totius terræ puni- 31
visset; Nolebat enim Deus sanctam, ac nobilem Sethi posteritatem, ex qua Messias originem trahere debuisset, per nefanda dehonestari Connubia, contracta quidem, non ex Parentum consensu, sed eorum injussu temerè, ac prorsus ductu cœcæ libidi- 32
nis, ut ostendunt ea verba = *quas elegerant* = per quæ talis pessima electio ipsis Filiis, non Patribus eorum tribuitur, de quibus similibus Nuptiis Raphael *Tob. cap.* 6. *vers.* 17. sic inquit = *Qui Conjugium ita suscipiunt,* 33
ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut Equus, & Mulus, quibus non est intellectus = atque in hos *potestatem habere Dæmonium* apertè concludit. Sæpissimè insuper in *Sacro Codice* interdicta legimus Israelitis Conjugia eum Cananæis, non solum 34
proptèr cultus disparilitatem, ne Cananæorum moribus polluerentur, sed etiam in primis, quia Cananæi Gens 35
vilis erat, Deoque exosa, quos vel exterminari, vel saltem pro vilibus mancipiis haberi lex jubebat, alias si sola cultus disparilitas hujus prohibitionis causa fuisset, etiam ad Connubia cum Ægyptiis, Madianitis, Moabitis, cæterisque Idololatris eadem prohibitio fuisset extensa, & nunquam cum eis Connubia permissa, quæ ta- 36
men passim absque difficultate permittebantur. Præterea Hebræis Ancillas ducere non licebat, nèc olim Patriarchæ Ancillas aliter, quam in 37
Concubinas, non autem in justas Uxores sibi copulabant teste *Josepho lib. IV. Antiq. cap.* 6.

Atque adeò ea est horum Connubiorum deformitas, & injustitia, ut priscis Hominibus ex naturæ ipsius

atque anticipatæ cujusdam notionis
38 ductu intellectum fuerit Nuptias nonnisi inter pares ritè consistere; quibus non alia de causa a *Jugo* nomen *Conjugium* dederunt, quam ad ostendendum, ut quàm ineptè imparia Jumenta Currui, aut Aratro junguntur, tàm etiam perversè impares inter se Matrimonio copulantur, & ut ait
39 *Ovidius*, quam malè inæquales veniunt ad aratra Juvenci, tàm malè Nuptiæ impares coalescunt.

Quæ quidem opinio communis fuit non tantum Romanis, sed & Gentibus universis paulò cultioribus, &
40 moratioribus. Celebre est illud *Solonis* apud *Ausonium* hoc est = *Par pari jungatur Conjux: quidquid impar dissidet* = cujus pleni sunt Græcorum libri, ut videre est penes *Plutarcum*, *Suidam*, *Laertium lib.* 1. *in Pittaco*, *&* *Euripidem* penes *Stobacum serm*. 58. Apud Indos cum alterius artis, aut generis Homine non celebrabantur Connubia, teste *Strabone*, & *Arriano*. Lacedæmonii, seu Spartani, ac Athenienses omnium sanè clarissimi, a quibus potissimum Romanorum leges, quibus vivimus, effluxerunt, dignum existimarunt, ne ex solis opibus, aut sola causa explendæ libidinis more Brutorum, aut ex obstinata voluntate temerè desponsandi quascumque Mulierculas imparis conditionis, sed ex *Virtute*, & *Ingenuitate* appeterentur Nuptiæ, adeout Spartani in eos animadverterent, qui benè dotatam potius, quàm *ingenuam*, *liberalem*, *bonisque moribus præditam ducere maluissent*, ut ex *Jul. Pol.*, *Ariston.*, *Plutarch.* latè observat *Heinnec. ad leg. Jul.*, *&* *Pap. Popp. lib.* 1. *cap.* 2. § 4. qui eum *Auber. dissert. Jur. Phil. par.* 11. *dissert.* 4. *cap.* 1. refert = *Pœnam vtguisse potissimum adversus illos, quibus in conditione quærenda* VIRTUS *postponeretur* NUMMIS, *quique mallent beatam, hoc est benè dotatam, & nummatam ducere Uxorem, quam* INGENUAM, LIBERALEM, SINE MALA FAMA, BONAM, BONIS PROGNATAM = tantumque fuit apud eosdem Lacedæmonios studium avertendi a Nuptiis non solius cœcæ libidinis tantum, sed ipsius lucri causam, ut statutum & illud per *Lycurgum* deinceps fuerit, ut Fœmlnæ quæcumque sine Dote nuberent, idque ob eam causam, ut hac de re interrogatus, teste *Plutarch. in Lycurg.*, ipse respondit = *Ut neque proptèr inopiam ullæ relinquerentur innuptæ*, *neque ob divitias expeterentur*, *sed ut Juvenum quisque ad Puellæ mores respiciens* EX VIRTUTE *faceret electionem* =

Pro Romanis teste *Dionisio Halic. lib.* 10. *in fin.* in iis duabus Tabulis, quæ adjectæ aliis decem constitueruut 12. Tabularum numerum *Gravin. de Jur. Natur. Gent. & duodecim tabul. cap.* 28. §. 23. celeberrima reperiebatur Lex Decemviralis, qua Patribus cum Plebeis Matrimonia interdicebantur, ac in ea sic erat præscriptum = *Ne Patriciis cum Plebeis essent Connubia* = Quod sane discrimen tamdiù mansit, quamdiù Respublica stetit apud Optimates, at lato Plebiscito, communicatisque cum Plebe honoribus, quia tunc inter Patricias Familias, & illustres Plebejas imparilitas intercedere non credebatur, Jura Connubiorum inter Patres, Plebejosque fieri decuit communia *Gravin. de Jur. Nat. Gent. & duodec. tab. dict. cap.* 28. abrogata illa priori lege per alteram, quam super hoc promiscuo Connubiorum usu Canulejus Tribunus Plebis promulgavit teste *Liv. lib.* 4. *cap.* 5.

Obrepente autem Republica ad Imperium, ipsummet revixit discrimen sub Papio Mutilio, & Q. Poppæo Secundo Coss. in vim *legis Pappiæ Poppæe*, cujus *primo capite* statutum fuit, ut = *Qui Senator est, quive Filius*, *Nepósve ex Filio*, *Pronepósve ex Filio nato*, *cujus eorum est*, *erit*, *ne quis eorum Sponsam*, *Uxoremve sciens*, *dolo malo habeto Libertinam*, *aut eam*, *quæ ipsa*, *cujusve Pater*, *Materve artem ludicram fecit*, *fecerit* = uti hoc *legis* caput in hæc verba restituit *Heinnec. ad leg. Juliam*, *&* *Pap. Popp. lib.* 1. *cap.* 5. § 4. quam pariter legem tulit Augustus, qua statuit, quod qui contra hanc legem coivissent, nèc hæreditatem, nèc legatum consequi possent, sed ea cum Dote mortuæ Uxoris caduca fierent juxta

juxta *cap.6.* ejusdem *legis* apud *Heinnec. loc. cit.* = ibi = *Neque hæreditatem, quæ eis lege obvenerit, legatumque ipsi Conjuges, neque inter se quidquam capiunt, mortuaque muliere Dos caduca est* = ac in ea lege artem ludicram exercentes, vel ab exercentibus natas ipse quoque Augustus complexus est, quia *Mimi*, *Pantomimi*, *Histriones*, aliique hujusce fuliginis Ludiones, qui saltandi, gesticulandi, pronunciandive causa operas suas in scenam locaverant, infamiam non opinione tantum, sed ex ipsa legis sententia contrahebant, ut in *l.1. ff. de his, qui not. infamia* = ibi = *Infamia notatur qui &c. artis ludicræ, pronunciandive causa in scenam prodierit* = Aliæ etiam inhibitæ fuerunt, Nuptiæ Senatoribus *Oratione Imperatorum Antonini*, *& Commodi*, prout scimus ex Ulpiano in *l.16.ff.de Sponsal.* nèc inhibitæ tantum, sed declaratæ nullum prorsus inducere vinculum *l.42.ff.de rit. Nupt.* = ibi = *Semper in Conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit, si Senatoris Filia, Neptis, vel Proneptis libertino, vel ei, qui artem ludicram exercuit, cujusve Pater, Materve id fecerit, nupserit, Nuptiæ non erunt* = Et in *lege Julia de maritandis ordinibus* plura sunt adhuc *capita*, quibus impares Nuptiæ vetabantur. Nam inter alias *l.44.ff.de rit. Nupt.* insigne *legis Juliæ* fragmentum complectitur, quo prohibentur Connubia inter Senatorios liberos, & eos, qui ipsi, aut eorum Parentes artem ludicram exercuerint, quam exercere
41 dicuntur, ut mox notavimus, Saltatores, & Saltatriculæ, & Scenici omnes artifices, & thymelici, & quæ sunt alia plura theatralis rei nomina, artes ludicræ sunt, de quibus *Franc. Ramos Del Manzano Nobilis J. C. in Comm. ad leges Juliam, & Papiam lib.2. cap.28. & seqq.*, ac de iis mentio fit in *Ulpiani fragmentis tit.13.* ubi ex *l. Julia* hæc habentur = *Cæteri ingenui prohibentur ducere lenam a lenone, lenave manumissam, & in adulterio deprehensam, & judicio pu-*
42 *blico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit &c.* = imposita quoque pœna Nuptias impares Contrahentibus in *l.1. Cod. Theodos. de Collegiatis* = ibi = *De quorum* (hoc est Collegiatorum) *agnatione hæc forma servabitur, ut ubi non est æquale Conjugium, Matrem sequatur Agnatio: ubi vero justum erit, Patri cedat ingenua successio* =

At ubi post falsæ Religionis tenebras lux Evangelicæ veritatis effulsit, nova opus fuit Jurisprudentia, quæ salvo contractarum fœdere Nuptiarum, Senatores imparibus Nuptiis commaculatos, valido existente Nuptiarum vinculo, alienos tantum faceret a Romanis legibus, eos scilicet dejiciendo ab adeptis honoribus. Huc respiciunt *geminæ Constitutiones*, quarum altera *Constantino*, altera *Valentiniano* & *Marciano* inscribitur relatæ in *l. Senatores 1. Cod. de Natural. liber. & in l. Humilem, vel abjectam Fœminam 7. Cod. de Incest. & inutil. Nupt.* Et licet *Justinianus* novum Jus inducere molitus fuerit per *l. Imperialis benevolentiæ 23. Cod. de Nupt.* qua in ipso sui Imperii initio Scenicis, aliisque famosis Fœminis Jus illustrium Connubiorum concessit, & rursus aliam similem promulgavit *Constitutionem*, eamque ad omnes Episcopos misit, quod & tertio inculcavit *Novell. 116. cap.6.* = ibi = *Constantini vero piæ memoriæ legem &c. per quam mulierum Conjunctiones* (*quas Constantini lex abjectas vocavit*) *ad quosdam Dignitatibus decoratos, prohibentur, nullo penitus modo valere permittimus, sed licentiam volentibus præbemus* (*etsi quibuslibet magis Dignitatibus decorentur*) *hujusmodi Mulieres sibimet copulare* = duo nihilominus certa sunt; Primum, quod causa mutandi Juris fuit in *Justiniano* libido contrahendi Nuptias cum scenica Muliere; secundum, quod hoc novum Jus cum ipso Justiniano interiit, atque exolevit, prout diligenter expendit *Heinnec. loc. cit.* §.4.

Et hinc evenit, quod etiam in Jure nostro præsumptio Matrimonii in dubio inter pares admittitur, non au- 43
tem inter dissimiles, & inæquales *Tiraquell. de leg. Connub. gloss. 1. par.5.*

par.5. n.31. & seq. cum aliis ab eo
congestis,a paritate namque conditio-
44 nis dictum est *Paragium*, ut pluribus
ostendit *Choppin. de feud.Andeg.lib.2.
tit.2. n.6. & 7.* quod non sine ratio-
ne prædictæ leges statuerunt, cum
juxta *Modestini* descriptionem *in l.1.
ff. de rit. Nupt.* aliud Nuptiæ non sint,
45 quam = *Consortium omnis vitæ ; Di-
vini,& Humani Juris communicatio*=
non magis nempe corpora, quam ani-
mi, & quæ utrisque adjacent permi-
sceri, & in unum conflari oportet,
quæ omnimoda communicatio in im-
paribus Personis vix est, ut eveniat.

Quantò magis igitur debuerunt
pernecesse in hanc eamdem abire sen-
tentiam Theologi, & Canonistæ, qui
Divinis legibus edocti, Sacrarum
Scripturarum exemplis excitati, Ca-
tholicæ Fidei lumine, & *Sacri Con-
cilii Tridentini* testimonio satis in-
structi, perspicuè agnoverunt non so-
lum extrinsecam hujusmodi Connu-
biorum deformitatem, sed quoties
46 invitis Parentibus iniantur, insitum
in illis peccatum ratione *pietatis, ju-
stitiæ, & caritatis*, quia nemini li-
47 cet dehonorare Parentes, proximo
ignominiam afferre, scandalo, odiis,
& inimicitiis maxime inter domesticos
viam aperire, nec *IV.Decalogi Præce-
ptum* conculcare, ad quæ respiciens
Sancta Mater Ecclesia hujusmodi pec-
48 caminosa Matrimonia *semper detesta-
ta est, atque prohibuit*, ut testatur
*Sac. Concil. Trident. Cap.1. Sess.24.
de reformat. Matrim.*

Et meritò per Ecclesiam hujus-
modi Matrimonia damnata sunt, at-
que interdicta, habemus enim Præ-
ceptum æque naturale, ac Divinum
de cultu exhibendo iis, qui nos ge-
49 nuerunt, quod etsi videatur *affirma-
tivum*, quatenùs dicit =*Honora Pa-
trem, & Matrem* = continet nihilo-
minùs præceptum *negativum* de illis
nunquam dehonorandis, illiusque
transgressio inter gravissima crimina
connumeratur, ut diximus in *superio-
ri Voto I. num.136.* Hinc eo Præcepto
50 Filiis prohibetur adversùs Parentes
quælibet injuria, irrisio, contristatio,
odium, & similia, imò *ne vultu qui-
dem lædenda pietas est Parentum
D. Ambros. lib.8. in Evang. S. Luc.
pag. mihi 231. lit.l.* quæque levis ad-
versùs alios offensio censetur, adver-
sùs Genitores gravissimum crimen im- 51
pietatis evadit; Ideòque si Filius le-
viter Parentem percutit, aut etiam
manum elevat in signum percutiendi,
si illi detrahit vel præsenti, vel in 52
absentia, si eum torvo intuetur oculo,
aut aspere alloquitur, si eumdem af-
ficit tristitia, licet opus, ex quo con-
tristatur, aliàs grave malum non sit,
dummodò ejus tristitia prævisa fuerit, 53
ex unanimi Thelogorum, ac Casui-
starum sententia contra hoc Præce-
ptum mortaliter peccat, ut tradunt
*Bonaccin. Theol. Moral. tom.2. in 4.
Decal. Præcept. disput.6. quæst. unic.
punct.2. num. 3. Navarr. in Ma-
nual. Confessar. cap. 14. a num.11.
Sayr. in Clav. Reg. lib.7. cap.5. n.8.
Cajetan. in Summ. tit. Filius potest
verb. Filii peccata Marcb. in Tribun.
Sacram. tom.2. tract.5. tit.1. quæst.1.
in princ.* ubi hæc perspicuis *Sacræ
Scripturæ* verbis authorizat; Vix
enim invenire poterimus aliud præ- 54
ceptum tam frequenter, totque di-
versis modis, ac istud in *Sacris Lite-
ris* inculcatum, & signanter in *Eccle-
siastic. cap.3. vers.9. & 14.* = ibi = *In
opere, & sermone, & omni patien- 55
tia honora Patrem tuum &c. Non
contristes eum in vita illius* = & pari-
ter in *Deuteron.cap.27.vers.16.*= ibi =
Maledictus, qui non honorat Patrem = 56
rursus in *Proverb. cap.19. vers.26.*
= ibi = *Qui affligit Patrem ignomi- 57
niosus est* = & similiter *cap.30. vers.17.*
= ibi = *Oculum, qui subsannat Patrem, 58
effodiant eum Corvi* = Aliaque similia
mandata centies in *Sacris Literis* re-
petita leguntur.

Quamobrem a fortiori gravissimè
peccant Filii, qui tristitiam maxi-
mam, maximamque injuriam Paren- 59
tibus irrogant, cum Fœminam vilem,
vel improbam desponsantes, ipsorum
famæ, & honori, ac reifamiliari gra-
vissimum afferunt præjudicium, ac sæ-
pè in eorum domum indignam Mu-
lierculam, & quandoque infame scor-
tum intrudere non valentes, ipsos vio-
lenter adigunt, ut eam in Nurum,
Filiamque sibi obligentur adscisci,
cujus

cujus nequidem famulatum ob decoris jacturam unquam admisissent. Hæc profectò ex indigno Filii Matri-
60 monio notabilis ignominia Parentum, per quam a sua decidunt conditione, per quam inter nobilitate pares nisi maximo cum rubore conversari, aut illorum conspectum vitare coguntur, per quam illos justissimo, ac indicibili mœrore confici facilè quisque sibi suadet, nullo prorsus modo compa-
61 rari valet cum Parentum irrisione, aliisque injuriis supra relatis, nèe ullus Theologus, aut Juris Interpres inveniri potest, qui tanti criminis reatum minuere, vel excusari non vereatur.

Nèc obstat objectum, quod in hypotesi non concurrat dissensus *Patris* jam defuncti, sed tantummodò *Matris*, sub cujus potestate Filius non reperitur; Tùm quia *Decalogi Præceptum* utrumque Genitorem compre-
62 hendit = *Honora Patrem*, ET MATREM = hoc enim debitum rationi consonum, ac naturæ maxime suadet summum, quod a Parentibus, post Deum, beneficium accepimus, illorumque dignitas, per quam, *tamquam Dei si-*
63 *mulacra*, a Filiis respiciendi suo modo veniunt, atque colendi, quemadmodum nos docet *Catechis. Roman. par.3. tit. de 4. Præcept. Decal. cap.5. num.9.* = ibi = *Sunt enim immortalis Dei* (Parentes videlicet) *quasi quædam simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur, ab iis nobis vita data est; iis Deus usus est, ut nobis animum, mentemque impertiret &c. merito nomen* MATRIS *in hoc Præcepto expressum, ut ejus beneficia, & merita erga nos consideremus quanta cura, quantaque sollicitudine nos in utero gesserit, quanto cum labore, & dolore peperit, ac educaverit* = unde Filius exasperans Matrem sibi Dei maledictionem acquirit *Ecclesiastic.cap.3.*
64 *vers.* 18. = ibi = *Maledictus a Deo, qui exasperat Matrem* = quia tàm per Patrem, quàm per Matrem nati sumus *Ecclesiastic.cap.7.vers.29.& 30.* = ibi = *Honora Patrem tuum, &* GEMITUS MATRIS TUÆ *ne obliviscaris: Memen-*
65 *to quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo, & illi tibi* = ac contra Filium eos dehonorantem maledictio repetitur in *Deuteron. d. cap.27. vers.16.* = ibi = *Maledictus, qui non honorat Patrem suum*, ET MATREM, *& dicet omnis Populus: Amen* = & quantum prodest Filiis obedientibus benedictio Patris, tantum illis inobedientibus officit maledictio materna *Ecclesiastic. cap.3. vers. 11.* = ibi = *Benedictio Patris firmat domos Filiorum, maledictio autem* MATRIS *eradicat fundamenta* = quod maximè confirmatur exemplo relato per *D. Augustin. lib.22. de Civit. Dei cap.8.* & fusiùs *serm.94. inter novos* de Matre, quæ Filiis sibi inobedientibus, atquè rebellibus maledicens, omnes illos continuò tremulos, ac vagos sine domibus, opibus, & honoribus undequaque miseros reddidit.

Tùm quia ultra recensita Divina Oracula tùm a Filiis, tùm a Judicibus non contemnenda, sed formidanda, nos non latet, quod, mortuo Patre, jura reverentialia universa coalescunt favore Matris, ut innuit etiam in proposito *Piton. discept. Eccles.52. sub num.83.* & confert *Rot. in Constantien. Sponsalium 26. Junii 1748.* §. *Accedit cor. R. P. D. Elephantutio*, & *Sacri Canones*, qui præcipuè in 66
hac materia spectandi sunt, requirendo indistinctè consensum Parentum non respexerunt ad Patriam Potestatem, & ad ejus effectus a *Jure Civili* introductos, sed ad obsequium, & reverentiam *Jure Divino*, ut supra, 67
æque debitam tàm Matri, quàm Patri, ex qua unica ratione ducti Sancti Patres, cæterique Doctores unanimi voto utriusque Parentis consensum exquisierunt, ut ex jam allegatis auctoritatibus apparet, in quibus vel Parentes indistinctè, vel Pater, & Ma- 68
ter in specie nominantur, uti disertissimè docet *Vessembec, in lib.23. ff. de rit. Nupt. tit.2. §.4.* = ibi = *De Jure Divino, & ex Præcepto Decalogi idem* 69
debetur honos Matri, qui Patri, & ideò Canones utrorumque Parentum consensum indistinctè requirunt =

Tùm demum quia sumus in casu, in quo, ultra *pietatem* erga Parentes, caput effert *Justitia*, quæ non patitur,

titur , ut sub nomine Parentum ve-
niant soli Genitores, prout si ageretur
de honestis Conjugiis , respectu quo-
70 rum satis est , si Genitoribus debitus
honor habeatur , nèc , iis justè relu-
ctantibus,Matrimonium a Filiis cum
Persona iisdem Genitoribus invisa con-
trahatur , sed agitur de Nuptiis indi-
71 gnis, circa quas *Parentum* vocabulum
latiùs est accipiendum, ut etiam ad
Propinquos extendatur , quemadmo-
dum pro quibusvis *Propinquis* ea vox
usurpata fuit a *Tertulliano* , *Lampri-
dio Capitolino in utroque Codice* , &
a posterioribus Scriptoribus , unde
D. Hieronymus in II. contr. Rufin.
hoc declarans vocabulum *Parentes
militari* , *vulgarique sermone Cogna-
tos* , *&* *Affines* nominari testatur ;
ideòque sub eo nomine veniunt non
solum Mater , sed etiam Fratres , &
72 Consanguinei , quibus , cum interesse
habeant , damnumque sentiant , *Ju-
stitia* præbet facultatem prohibendi ,
ne tam impares Nuptiæ contrahantur .
Si enim iis totius Familiæ honor , fa-
ma , ac decus deprimitur , ad quæ
conservanda nedum Parentes , verum
& cæteri Consanguinei Jus strictum
habent , nil mirum ergo, si Parentum
nomine in hoc casu veniant in subsi-
73 dium etiam Proximiores Agnati , qui
gravi afficiuntur injuria ad *text. in l.
Unic. §. Et siquidem vers. Oportet
Cod. de rapt. Virgin.* = ibi = *Oportet
enim , ut quicumque Uxorem ducere
74 voluerit sive ingenuam , sive liberti-
nam secundum nostras leges , & anti-
quam consuetudinem Parentes , vel*
ALIOS QUOS *decet , petat , ut cum eo-
rum voluntate fiat legitimum Conju-
gium*= & similitèr in *l. In Conjunctione
20. Cod. de Nupt.*=ibi= *In Conjunctione
Filiarum in sacris positarum , Patris
expectetur arbitrium , sed si sui Juris
Puella sit , intra quintum , & vigesi-
75 mum annum constituta , ipsius quoque
assensus exploretur* = & deinde nulla
habita ratione de Patria potestate ab
ipso *Jure Civili* introducta sequitur=
Si Patris auxilio destituta , MATRIS ,
ET PROPINQUORUM , *& ipsius quoque
requiratur Adultæ judicium &c.* =
Hoc idem habetur in *Cap. Videtur 3.
Qui Matrim. accus. poss.* ac consenta-

neè in hac materia tenet *Boss. de Ma-
trim. cap. 11. §. 58. n. 88.* Ex hisce
namque indignis Conjugiis familiæ 76
honestas a Majoribus parta suo gradu
decidit , & vilescit , nèc semel Con-
sanguineis impedimento sunt , ne suis
Natalibus respondentes Nuptias asse-
quantur , quia ut plurimum Viri No-
biles dedignantur Filiam ei desponsa-
re, cujus Frater , vel alius Consangui-
neus mediante Matrimonio cum indi-
gna , sive vili , aut infami Muliere
contracto , totius progeniei honorem ,
famamque sua turpitudine denigravit .
Nemo igitur audebit asserere ,
quod Filius ita agendo non peccet evi- 77
dentissimè *contra Justitiam* . Si enim
ipse alienæ familiæ verbo , vel opere
tantum detraheret famæ , vel honoris,
quantum suæ propriæ famæ deficit ex
Matrimonio cum indigna , ab omnibus
certè de injustitia redargueretur, uti-
que a fortiori injustitiæ , & impietatis 78
reus habendus erit, si Fratrum , Soro-
rum , & maximè Parentum honorem ,
ac famam in facto tam enormiter de-
turpaverit . Quinimo ubi de indignis
Matrimoniis agitur , nedum peccat
Filius si nupserit , sed etiam Parentes, 79
si consenserint , folus namque Paren-
tum consensus tali casu non sufficit ,
unde etiamsi ipsi dent manus , adhuc
licita non erunt Connubia, quibus to-
ta propinquitas afficitur gravi injuria, 80
ex qua sequuntur odia , jurgia , si-
multates , & interminabiles dissensio-
nes , per ea , quæ docet *Aversa de
Sacram. Matrim. quæst. 3. sect. 7. vers.
Benè tamen* = ibi = *Si inirent indi-
gnum aliquod Matrimonium cum no-
tabili dedecore , & ignominia Fami-
liæ &c. quamvis cum consensu Paren-
tum, peccarent adhuc Filii contrahen-* 81
*do , & Parentes consentiendo , quan-
do Matrimonium esset indignum , &
perniciosum , & cum scandalo , &
cum dedecore aliorum propinquorum
de familia*= Quidquid secus dicendum
esset *quoad Consanguineos* , quando
Matrimonium non est indignum , nul-
la familiæ per illud affertur injuria ,
nec ignominia , licèt alter ex Sponsis
sit minus dives , minusque nobilis, al-
ter vero ditior , atque nobilior , quia
tunc illud benè procedit , quod spon-
salia

salia alieno arbitrio dissolvi non de-
bent, ut in his terminis dixit *Rot. in
Reatina Sponsalium* 29. *Januar.* 1753.
§. *Et reipsa* & §. *Consanguineorum
coram R. P. D. Buss.*

Nèc refragatur, quod quisque
sit ita Dominus sui honoris, ac famae,
82 ut seipsum infamando lethaliter non
peccet juxta plurium DD. opinionem,
quos colligunt *Molina tom.*4. *tract.*4.
*disput.*37.*n.*1.*Dicastill. de Justit.lib.*2.
83 *tract.*2. *disput.*12.*appendic.*1. *dubit.*4.
*n.*501. quod tamen impugnant alii
post *Cajet.* 2.2. *quaest.* 73. *art.*2. *vers.
Ad hoc* & videtur opinio *S.Thomae ibi-
dem*; In eo namque universi conve-
84 niunt, quod si infamia redundet in
alios, scilicet in Filios, Fratres, Fa-
miliam, Religionem, vel Patriam,
qui se infamat, lethaliter peccat
secundum expressam sententiam
*D. Thom. quaest.*73.*art.*4. *ad* 1.= ibi=
*Arbitrii est detrimentum suae famae
pati, nisi hoc vergat in periculum alio-
rum &c. non autem est sui arbitrii,
quod patiatur detrimentum fama alte-
rius &c.* = eumque unanimiter se-
quuntur Theologi, quos congerit *Di-
castill. de Justit. lib.*2. *disput.*12.*p.*3.
dub. 14. *Card. de Lug. de Just. tom.*1.
disput. 14. *sect.* 10. *n.* 167. Itaut nèc
etiam liceat infamato, vel contume-
lia affecto, in praejudicium alterius,
85 sui honoris, vel famae injuriam con-
donare, alias condonatio, seu remis-
sio non est valida, eaque non obstan-
86 te, obligatio justitiae ad damna exindè
exorta reparanda non extinguitur, ve-
luti solidè probat *Dicastill. dicta di-
sput.*12. *par.*3. *dubit.*14. *n.*240.=ibi=
*Quando infamia irrogata Patri ita
est injuriosa Filiis, ut eis damnum
afferat in fama a suis Majoribus par-
ta, etiamsi Pater remittat infamiam,
non est valida remissio &c. Et idem
est in similibus casibus &c.* = Quod
totum verificatur de contumelia, seu
87 quavis injuria contra honorem, cum
honor, & fama pari passu procedant,
ut ex communi DD. docet idem *Di-
castill. disput.* 12. *d. part.* 3. *dub.* 2.
*num.*400. Honor autem, ac fama non
88 magis sermone, quam opere laeduntur
*Card. de Lug. disput.*14. *sect.*11.*n.*191.
= ibi = *Ad contrahendam malitiam
gravem, satis est, si ex alio fine vis
id ponere, ex quo honor proximi gra-
viter laedatur* = de quo latè disputant
Molina, *Sotus*, *Lessius* ab eodem re-
lati *d. sect.* 10. *per tot.*

Praeterea Filii hujusmodi Con-
nubia ineuntes non solum graviter
peccant ratione *pietatis*, & *justitiae*, 89
ut hactenus demonstravimus, verum
etiam ratione *Caritatis*, cujus leges
perniciosè hoc scandalo conculcantur;
Notum est enim scandali malitiam in
eo sitam esse, ut quis dicto, vel fa-
cto ruinae spiritualis, hoc est peccati 90
occasionem proximo dederit, ut ex
*D. Hieron. sup. cap.*15. *S. Matth.* tra-
dit *D. Thom* 2.2. *quaest.*43. *artic.*1. *in
corpor.* quem omnes unanimiter se-
quuntur, & in *artic.*4. docet scandali
malitiam mortalem inducere culpam, 91
quando contemnitur proximi salus, ut
si pro ea conservanda quis non prae-
termittat facere, quod alias facere
sibi libuisset, ac *artic.*7. & 8. conclu-
dit, quod ad vitandum scandalum ex
proximi nedum malitia, verum & ex
infirmitate ortum habens, tàm bona
temporalia, quàm etiam quandoque
spiritualia dimittere, vel saltem oc- 92
cultare tenemur.

Filiosfamilias igitur, qui ab hisce
Matrimoniis abstinere, seu recedere
cum pertinacia recusant, & clandestinè
sine denunciationibus, seu annuente
injusto Judice illa contrahunt, non uni, 93
vel alteri, sed omnibus Consanguineis,
vel Affinibus multifariè peccandi oc-
casionem praebere non dubitabit qui-
cumque non ignorat, quod vix audito
similis Matrimonii solo tractatu, ma- 94
xima statim suboritur in omnibus indi-
gnatio, per quam detractiones hinc inde
disseminantur, illicò mutuae benevolen-
tiae communia, multoque magis specia- 95
lia signa penitus cessant; Pater Filium,
Frater Fratrem alloqui respuit, ac sa- 96
lutare, quibus maximis malis respon-
dent odia, discordiae, obstinatae lites, 97
atque utinam non saepè maledictiones,
insidiae, ac etiam aliquando homici-
dia, absque eo quod hoc gravissimum
scandali crimen Filius indignas paci-
scens Nuptias valeat effugere, nèc
ullo jure a pessundatis Caritatis legi-
bus se tueri.

Frustra autem noster incautus Adolescens tot undique pressus ineluctabilibus argumentis,& a suo Defen-
98 sore deceptus excipiebat, quod *qui utitur Jure suo nulli facit injuriam*, natura namque, legesque, ac præcipuè *Sacri Canones* Jus tribuunt Filiis ad Matrimonium, quod magis placet, amplectendum, ac proinde non impietatis, non injustitiæ, non scandali sunt accusandi, sed sibi imputent, qui peccandi occasionem ex ipsorum Nuptiis contra Jus sibi competens irrationabiliter sumunt.

Quandoquidem hæc libertas summa, omnimoda, & inviolabilis in Matrimoniis tantoperè a Causidicis commendata, utpote, ut ipsi malè; seu saltem cum patenti æquivoco opinantur, generaliter, & absque ulla limitatione a *Sacris Canonibus* sancita, præter argumenta, rationes, & Jura,
99 quibus evidenter, quam futilis sit, ac vero, rectoque *Sacrorum Canonum* sensui contraria, satis ostendimus in nostro præcit. *Vot. I. n.133. & seqq., & n.173. & seqq.* hoc unum insuper addimus, quod, aut prætenditur, quod cuique, & consequenter etiam Filiisfamilias ita libera sint Matrimonia, ut contra voluntatem Parentum ea cum quacumque Persona ad sui libitum contrahere valeant, quia a *Sacris Canonibus* nunquam fuere prohibita, & hoc est falsum, quia *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis ea semper detestata est, atque prohibuit* teste *Sac. Concil. Trident. cap. 1. sess. 24. de reformat. Matrim.* Aut prætenditur, quod, stante libero arbitrio, ita sint libera, ut nèc a Deo, nèc ab Ecclesia prohiberi potuerint, & hæc esset propositio hæreticalis, quemadmodum hæreticalis esset, si diceretur, quod Deus prohibere non potuerit fornicationem, adulterium, furtum &c. contra liberum hominis arbitrium, nèc prohibere potuerit Ecclesia contra assertam Matrimonii libertatem Conjugium Catholicorum cum Hæreticis, ac cætera Matrimonia, quæ, ob impedimenta impedientia, sive dirimentia, ab Ecclesia inducta, contrahi non possunt.

Falsum præterea omninò est, quod unicuique semper liceat uti jure suo, hæc etenim regula sic indefinitè sumpta totam scandali malitiam cohonestaret. Quidquid enim sit, an citra injustitiæ reatum possit quis cum alienæ salutis periculo uti Jure suo, certum omninò est, quod salvis Cari- 100
tatis legibus, in multis, multisque casibus id non est absque lethali culpa permissum. Hinc Caupo vendens vinum hospiti, quem agnoscit se inebriaturum, utitur sine dubio jure suo, quia rem vendit in ejus pleno domi- 101
nio existentem, sed nihilominùs peccat secundum receptam sententiam Theologorum, de qua *Ferrantin. tract. de scandalis quæst. 61. & 62.* Sic scandali reus erit, qui in die jejunii carnes vendat ei, quem non credide- 102
rit a servando jejunio legitimè excusatum; ita & Pictores vendentes imaginem puellæ Juveni turpiter illam amanti, utuntur jure suo, dum pre- 103
tium sui laboris quærunt, at a nemine a peccato excusantur *Azzor. Instit. Moral. par. 2. lib. 12. cap. ult. quæst. 9. Sanchez. in Summ. lib. 1. cap. 7. n. 40. Bonaccin. Theol. mor. tom. 2. de peccat. disput. 2. quæst. 4. punct. 2. § unic. n. 29.* Hæc, & innumera hujus generis exempla suppeditant Theologi tractantes de vitiis oppositis Caritati, quibus concludentissimè evincitur quam ineptè, & insulsè dicatur, quod Filii indignè contrahentes Matrimo- 104
nium *utantur jure suo*, & proindè a lethali culpa sint immunes.

Maximè quia præter coactionem ad certum Matrimonium ineundum, & ad electionem status, & consequenter 105
præter liberam electionem vitæ Conjugalis in genere, prout diximus in præd. *Vot. I. n. 173.* nullibi constat de tali Jure, nulla lege, nullaque au- 106
ctoritate illud est ipsis quæsitum, ut in proposito advertit egregiè *Card. de Luc. de Dot. disc. 142. n. 12.* =ibi=*Moventur ex ratione libertatis Matrimonii ex Jure Canonico resultantis, quæ futilis est. Nam Juris Canonici intentio nunquam fuit ob Matrimonii libertatem permittere turpia, & criminosa, prout est indignè nubere, solumque sustulit necessitatem consensus Paterni a Jure Civili requisiti* (scili-

cèt

eèt ad validitatem) *ſed cum ſuppoſito dignarum Nuptiarum, cum qualitas*
107 *hæc æqualitatis, & dignitatis potius faveat, & congruat Matrimonio, quam adverſetur &c.* = quæ diſertiſſimè confirmavit *Megal. inſtruct. Conf. & Pænit. lib. 2. cap. 23. quæſt. 1. n. 52.* = ibi =
108 *Hæc libertas non ita intelligenda erit, ut adverſetur Juri Divino, cui leges Canonicæ nunquam adverſantur &c. Sed Filia, quæ ſine conſenſu Patris Matrimonium contraheret, contra quartum Decalogi Præceptum peccaret, ergo libertas a Jure Canonico illi conceſſa, non ita intelligenda erit,*
109 *ut ſine conſenſu Patris cum offenſione Juris Divini contrahere poſſit* = optimè *Opatovius de Sacram. tract. de Matrim. diſput. 2. quæſt. 18. num. 159.* ubi firmat non licere Filiis, Parentibus invitis, ſe jungere Matrimonio, ſubdens = *Dices, quod Filius, & Filia habent Jus ad contrahendum. Reſpondeo illos habere, ſed non ad contrahen-*
110 *dum indignè, & cum peccato &c. E contra Pater habet Jus Divinum ex quarto Decalogi Præcepto, ne ignominia a Filiis afficiatur, quod accidit in Matrimonio indignè contrahendo* = Stat enim benè ſimul, quod quis habeat Jus in re, ac illius ſit verè
111 Dominus, ſed cum ea limitatione tamen, ut illo nonnunquam uti nequeat, ne injuſtè, aut impiè, aut contra Caritatem agat, quia ſcilicet ejus uſus Tertio damnoſus evadat, nam etiam Virgo dominium ſui Corporis habet quoad uſum Conjugii, illudque nubendo verè transfert in Virum, ſed nihilominùs ſine legitimo Conjugio ipſi minime licet ſe ſtuprandam offerre citra injuſtitiam, cum ex illius ſtu-
112 pro damnum Parentibus emergat, quam doctrinam late tradit *D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. artic. 6. per tot.* illumque omnes ejus Diſcipuli ſequuntur; ex quibus bene reſultat illius conſequentiæ vanitas, quod cum Filiifamilias Jus habeant contrahendi liberè Matrimonium, idcirco licet etiam
113 indignè, etiam invitis Parentibus, etiam cum alieni honoris jactura, cum Familiæ, ac Parentum dedecore, cum Reipublicæ ſcandalo Matrimonium contrahant, adhuc honeſtè, licitè, juſtè, & ſine peccato illud contrahere dicendum ſit, & propter Matrimonii libertatem a nemine ad ita contrahendum poſſe impediri.

Utque evidentiùs hæc veritas eluceſcat, incongruum non erit ſupponere, quod Adoleſcens, de quo agitur, ſi contrahere vellet Matrimonium non cum indigna, ſed cum Hæretica æqualis conditionis, conſentientibus quoque Parentibus, atque 114
Propinquis, id nihilominùs, *non obſtante libertate Matrimonii* tantopere magnificata, abſque diſpenſatione Apoſtolica, nullo modo ei permitti poſſet, nèque deberet, quia hæc Connubia *vetita ſunt ab Eccleſia*, ideòque etſi valida, ſunt tamen illicita, ac 115
proindè non permittenda tùm propter peccatum, ſine quo contrahi non valent, quia ſunt prohibita *S. Thom. 3. par.* 116
de Sacram. quæſt. 90. artic. 1. ad 5. tùm propter pericula, quæ inde ma- 117
nare poſſunt *Can. Cave Can. Non oportet*, & alii *28. quæſt. 1. Concil. Eliberit. ann. 305. cap. 16. Concil. Laodicen. ann. 320. cap. 31. Concil. Trullan. cap. 72. Conc. Toletan. ann. 694. cap. 20. Concil. Narbonenſ. ann. 1609. cap. 72.* Nos quidem in præſenti non agimus de Matrimonio Catholicorum cum Hæreticis, ſed nihilominùs etiam in caſu noſtro, eaſdem, imò & majores militare rationes arbitramur, ſi enim Filiifamilias inire velint Connubia cum indigna, ſeu Parentibus inviſa, ipſis Parentibus, aliiſque Propinquis reluctantibus, id perficere minimè poſſunt niſi contra pietatem, juſti- 118
tiam, & caritatem, niſi illicitè, niſi cum peccato, quia *Sancta Dei Eccleſia* ea pariter ſemper deteſtata eſt, atque *prohibuit*, & ex iis quoque 119
oriuntur, vel oriri poſſunt pericula ſcandalorum, diſſenſionum, & inimicitiarum &c. cum animæ Contrahentium, aliorumque maximo detrimento; Quoties igitur in primo caſu *Matrimonii libertas* non obſtat, quominùs idem Matrimonium impediatur, utpote illicitum, atque peccaminoſum, quia *ab Eccleſia vetitum*, multiſque periculis expoſitum, profectò ignoramus cur in ſecundo eadem *Matrimonii libertas* ejus efficaciæ, at-

que valoris esse debeat, ut idem Matrimonium impediri minimè possit, licet sit æqualiter periculis expositum, illicitum, atque peccaminosum, quia *ab eadem ipsissima Ecclesia expressè prohibitum*; eo insuper addito, quod Matrimonia cum Hæreticis, etiam accedente Parentum consensu,
120 vetita sunt ex *Præcepto Ecclesiastico*, Connubia verò insciis, vel dissentientibus justè Parentibus inita, tàm *ex Præcepto Ecclesiastico*, quàm *a Jure*
121 *Naturali*, *&* *Divino* prohibentur, quia Filii, qui ea sic contrahunt, ad sensum tàm Theologorum, quàm Canonistarum *IV. Decalogi Præceptum* in materia gravi contemnunt; Nos ignorare repetimus cur in primo casu asserta *Matrimonii libertas* vim ullam habeat præbendi facultatem violandi, & contemnendi SOLUM *Præceptum Ecclesiasticum*, ejusque *transgressores* gravitèr omninò *sint puniendi*, in altero verò *eadem Matrimonii libertas* ita *Præcepto Naturali*, *Divino*, *&* *Ecclesiastico* prævalere debeat, ut illud nedum *impunè* violare, & contemnere liceat, sed ne Matrimonii libertas lædatur, *licentiam potius transgressoribus* idem violandi, & contemnendi *necessario concedere* debeamus. Hæc apud Nos semper fuit,
122 semperque erit maxima, & innegabilis implicantia, paucis namque verbis est idem, ac dicere: Catholicus Matrimonium contrahere nequit cum Hæretica *non obstante libertate Matrimonii*, quia Matrimonium esset illicitum, & peccaminosum, utpote *ab Ecclesia prohibitum*; Filiusfamilias verò Matrimonium insciis, vel invitis justè Parentibus e converso liberè contrahere valet, nec illud a nemine impediri potest, *obsistente libertate Matrimonii*, quamvis sit æqualitèr illicitum, atque peccaminosum, quia illud non *Ecclesia* tantum, sed *Jus Naturale*, *Divinum*, & *ipsamet Ecclesia semper prohibuit*; cujus quidem diversitatis rationem nos adhuc nèc concipere, nèc invenire, nèc capere, nèc nobis suadere ullo modo potuimus. Quamobrem usque dum congrua ratio disparitatis unius casus ab altero nobis non assignetur, semper

in eo sensu constantes erimus, ut quemadmodum, non obstante malè intellecta libertate Matrimonii, Connubia cum Hæreticis absque dispensatione Apostolica permitti non possunt, 123
quia ab Ecclesia prohibita, ut habetur etiam ex *Gloss. in Can. Non oportet* 28. *quæst.* 1. = ibi = *Hæreticus non potest contrahere cum Christiana &c. et si contrahit, tenet Matrimonium, sicut si contraheret cum excommunicato* = ita a pari, imò a fortiori, majorique ratione Matrimonia Filiorum absque consensu Parentum rationabilitèr reluctantium nullatenùs permitti valeant, quia nedum *ab Ecclesia*, 124
verum etiam *ex naturali Jure*, *Divinoque Præcepto* vetantur.

Concurrentibus potissimum in Connubiis Filiorum contra Parentum consensum initis, maximè cum indignis, gravissimis malis numero pluribus iis, quæ ex Connubiis cum Hæreticis, consentientibus Parentibus, at- 125
que Propinquis, contractis evenire possunt, & evenire videmus. Siquidem peccant, ut diximus, contra pietatem, justitiam, & caritatem, 126
ultra peccatum contra Religionem, quia accedentes in peccato mortali ad recipiendum Sacramentum, sacrile- 127
gium committunt, nècnon alterum, administrantes Matrimonii Sacramentum culpa lethali innodati, si uti Ministri ejusdem Sacramenti ha- 128
beantur; Ultra aliud peccatum ex eo promanans, quia ut plurimum non primariò ad procreandam sobolem, sed tantummodo ad saturandam libidinem cum ea particulari, & speciali Fœmina, eam Uxorem ducunt, prout si 129
in illorum Patria, aut aliis in locis, vel in universo Orbe Catholico ulla alia Fœmina reperiri non posset; Ultra quoque aliud peccatum, quod inde emergit, quia alter, alteri coopera- 130
tur, ut sacrilegè hoc magnum Sacramentum recipiat, quemadmodum in *dict. Voto I. num.* 187. *& seqq.* satis, superque probavimus; Et ultra demum gravissima scandala desuper enumerata propter has impares Nuptias, in omnium oculos incurrit inhonestas illa, per quam Extranei quoque in- 131
dignantur, & clamant = *Quod tibi*

non

non vis, alteri ne feceris = quæ est
132 prima naturæ notio, & in ea le-
gem, & Prophetas consistere testatur
D. N. J. C. in *Evang. Matth. cap.7.*
vers.12. Etenim quam sibi injuriam a
Filiis nascituris inferri nolunt, eam,
133 haud par est, ipsos priores Parenti-
bus, & Propinquis inferre; Quibus
omnibus accedunt alia inconvenientia,
& peccata inter ipsos Conjuges, de
quibus in *d. nostro Voto I. n.30. 187,*
& seqq., nec non scandalum Filiorum,
qui ex tali peccaminoso Matrimonio
procreati, vel exemplo Parentum si-
134 milia discunt Matrimonia contrahere;
vel Matrem indignam honorare dedi-
gnantur, seu potius illam verbis de-
135 honorare non verentur; vel conque-
runtur adversus Patrem, qui talem
136 indignam Fœminam sibi copulavit,
ut esset illorum vilis, aut ignominiosa
Mater; vel indolem vilissimæ Matris
sectantes, pravis, inhonestisque mo-
137 ribus imbuuntur, itaut Filii potius
cujusdam Satellitis, quam Viri No-
bilis videantur; vel si Matrem dili-
gant, rixas, aut duella suscipiunt
contra eos Nobiles, qui eamdem si-
ve tractare recusant, sive ejus con-
138 ditionem irrident; vel maledicunt Pa-
rentes, illorumque Conjugium, si
Genitor propter tale Matrimonium
pinguem hæreditatem amiserit, &
idcirco ipsi ad alimenta sibi compa-
139 randa, aut vilibus artibus incumbere,
aut sine pane, sine vestibus, sine tecto
mendicare cogantur, unoque verbo dif-
ficile admodum est adamussim enarra-
re quanta in uno facinore sint crimina,
quibus Filiifamilias hæc Matrimonia
contrahentes alligantur, aliisque illis
se alligandi præbent occasionem.

Quod autem Nuptiæ, de quibus
in causa, indignæ sint, nullatenùs est
hæsitandum; indignas namque Nu-
140 ptias non alias esse, quam impares
facilè intelligitur ex omnibus Theo-
logorum, & Canonistarum locis, in-
ter quos *Sanchez de Matrim. lib.4.*
disput.26. a num.22. tom.2. Fragos.
de regimin.reipub.Eccles. par.1 lib.2.
disput.4. §.2. num.290., & ex Juris-
peritis *Piton. discept. Eccles.52. n.88.*
& seqq., *Menoch. de præsumpt.tom 2.*
lib.4. præsumpt.189. a num.85. aliis-
que concordantibus relatis *Card. de Luc. de Dot. disc.1. num.23. & seq.*, *& disc.142. num.21.* Quamobrem indignus est ille Conjux, cui alter Conjux, attenta progenie, divitiis, moribus, aliisque circumstantiis absque
dedecore copulari non potest juxta 141
prudentiam Judicis, cujus judicio id examinandum relinquitur *Bos. de contract. Matrim. cap.11. num.107* = ibi = *Porro ad dignoscendum an nupserit digno, vel indigno spectanda sunt utriusque Conjugis Progenies, seu Nobilitas, animi bona, mores, divitiæ, legitima Natalia, & alia, & secundum ea prudens Judex attentis moribus Civitatis judicabit* = concordat *Gratian. discept. forens. cap.163. num.14 tom.1.* = ibi = *Ad hoc, ut dicatur Uxor indigna non attenditur solum, an sit Concubina, vel Meretrix, cum etiam ex alio capite possit dici indigna, inspecta inæqualitate generis, Familiæ, divitiarum, nobilitatis, & similium, quæ faciunt esse considerabilem talem indignitatem ad Matrimonium contrahendum* =

Indignè proindè copulatur Filius nobilis, vel honestus cum Plebeja sive ex Catholicis orta Parentibus, sive Neophita, sive Innupta, sive Vidua, quæ antea Viro nobili nupserit, & deinde Vidua remanserit, quæque cum alio Viro nobili in Matrimonium conjungi præsumat. Vidua namque nonnisi impropriè, & per fictionem prærogativas Viri prædefuncti conservat *Cyriac. controv. forens. cap., 78. num.22. & 34. tom.2.* donec, & quousque in viduitate permanserit *Gratian. discept. forens. cap.623. n.4. tom.4. Sperell. decis.157. num. 15. vers. Prout*; adeout si transeat ad secundas Nuptias, cum amplius primi Viri non sit Uxor, illiusque desinat esse Vidua, amittit insimul, ac si nunquam habuisset, Viri defuncti prærogativas, semperque remanet Fœmina seu vilis, seu inhonesta juxta sua Natalia, propriosque mores, & nobilibus Nuptiis indigna *Ferdinand. de Valentib. discept.5. num.49. & seq. de re Eccles.*

Et non solum Filius Nobilis, vel honestus indigno Connubio conjungi-
tur

tur cum Plebeja, seu illegitima, aut malis imbuta moribus, aut ancilla, aut humili, aut vagabunda, aut recitando, seu canendo theatralibus scenis addicta &c. verum etiam Filius dives cum Fœmina paupere *Piton. discept. Eccles. 52. num. 89. Rot. in Tuden. Sponsalium 21. Martii 1746. §. Caeterum cor. R. P. D. Caprar.*, *& in Majoricen. Sponsalium 6. Martii 1752. §. Plurimum cor. R. P. D. Amadeo*, & quidquid sit de ditiori cum minus divite, aut de nobiliori cum minus nobili, quam inaequalitatem non obstare dixit *Rot. in d. Reatina Sponsalium 29. Januar. 1753. §. Et reipsa cor. R. P. D. Bussio*, Nos pro certo tenemus, quod aliquando contra Parentum consensum indignè, & cum peccato copuletur etiam pauper cum paupere, si nimirum Parentes obstent, ne Filia pauper Matrimonium ineat cum Viro paupere, & sine aliqua arte, quem prævident ad Matrimonium faciendum cum proprio lenocinio Uxorem esse ducturum. Ea verò potissimùm indignitas in dubium a nemine revocatur, quæ oritur ex infamia, qua Vir Satelles, vel aliis
142 infamibus artibus addictus, seu Mulier inhonesta, sive Meretrix sit, sive Concubina laborat.

Quin turbet dispositio *text. in Cap. Inter opera 20. de Sponsal.* per-
143 peram attributo CLEM. III. cum sit responsum INNOC. III., ut ex *Raynald. ad annum Christi 1198. num. 3.* observat *Gonzalez in d. Cap. Inter opera num. 1. litt. a.*, qui verè legitur inter *Epistolas* ejusdem INNOC. III. editas ab erudito *Stephano Baluzio l. 1. Epist. 112.* cujus integri *text.* verba apud *eumdem*, *& Gonzalez* sunt, quæ sequuntur = *Inter opera caritatis*,
144 *quæ imitanda nobis auctoritate sacræ paginæ proponuntur, sicut Evangelica testatur auctoritas non minimum est errantes ab erroris sui semita revocare, ac præsertim Mulieres voluptuosè viventes, & admittentes indifferentèr quoslibet ad commercium carnis, ut castè vivant, ad legitimum tori Consortium invitare. Hæc igitur Apostolica auctoritate attendentes, statuimus, ut omnibus, qui publicas Mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in Uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum* = Consonat dictum *S. Hieronymi* relatum in *Can. Non est culpandus 32. quæst. 1.*, ubi de Osee Propheta, qui 145
Meretricem sibi junxit Uxorem, sic loquitur = *Non est culpandus Osee Propheta, si Meretricem, quam duxit, ad pudicitiam convertit, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecit* = Adstipulatur quoque *D. Chrysostomus* scribens ad Theodorum Mo- 146
nachum *In parænes. prior. circ. med.* = ibi = *Si qua* (scilicet Mulier) *bonæ formæ, si ingenua, liberalique facie per occasionem in eam inciderit calamitatem, quemlibet generosum, eximiumque Virum nihil pudebit, vel Connubio sibi talem adjunxisse; tanta est apud Homines misericordia, tanta despectio vulgaris opinionis, quæ sæpenumero in propatulo effectas ignominia, liberat ab infami servitute, receptque in ordine Matronarum* = Ex quibus pro nostro parum oculato Adolescente Scribentes arguebant, quod si non dantur magis indignæ Nuptiæ iis, quæ cum Muliere in Lupana- 147
ri prostituta ineuntur, quas tamen laudant Sancti Patres, Ecclesiæ Doctores, & Summus Pontifex, qui & ad illas ineundas proposita peccatorum indulgentia Fideles omnes invi- 148
tat, multo minus indignæ dici debeant illæ, de quibus agitur, quinimò (quidquid in contrarium clament Theologi, seu Juris Interpretes, 149
quorum auctoritas novam legem condere, aut Sacros Canones infringere nunquam valuit) nulla dari subdunt Connubia, a quibus propter humilem conditionem unius ex Sponsis possint Filii, Filiævefamilias a Parentibus prohiberi.

Huic etenim objecto, opportunè respondet *Natal. Alex. Theol. Moral. tom. 6. lib. 2. de Matrim. cap. 2. artic. 2. de consens. clandest. reg. 24. vers. Sexta* = ibi = *Viro*, QUI SUI JU- 150
RIS EST *Meretricem lupanari eductam ducere licet Uxorem, ut eam a peccato revocet, idque in remissionem peccatorum proficere respondet* CLEM. III. = imò INNOC. III. ut supra innuimus.

Lau-

Laudatus itaque *textus* procedit
quoad eos, *qui sunt sui Juris*,
nec ullo jure obligantur aliorum pe-
tere consilium, ac exequi præceptum,
quemadmodum Filiifamilias Paren-
151 tum consilium petere, eisque obe-
dire tenentur, idque clarius explicat
idem *Natal. Alex. loc. cit. cap. 2. art. 1.
reg. 15. pag. 466.* = ibi = *Filius nam-
que prorsus tenetur obedire Patri pro-
hibenti, ne ducat Uxorem &c. ma-
lè moratam, aut infamem, vel dis-
paris longè conditionis. Tenetur enim
quisque lege Naturæ periculum suum
vitare, honori suo consulere, Fami-
liæque suæ dignitatem, vel honesta-
tem sartam tectam tueri. Tenetur
Parentibus justa præcipientibus obedi-
re* = Nec unquam est temerè præsu-
mendum, quod aliquando Summus
Pontifex eos ad indignas Nuptias alli-
cere voluisset, quos etiam dignas con-
trahere, insciis, vel invitis Parentibus,
152 *Ecclesia semper detestata est, atque
prohibuit*, & quidem cohærenter dis-
positioni Juris Naturalis, ac Divini
ex *quarto Decalogi Præcepto* manife-
stissimè resultanti, & quemadmodum
noluit allicere ad hujusmodi Matri-
monia eos, qui emisissent Votum sim-
plex Castitatis, ne illos induceret ad
peccandum, ita nec Filiosfamilias,
153 ne peccarent contra *IV. Decalogi Præ-
ceptum* allicere voluisse dicendum.

Nec etiam insuper præsumen-
dum venit, quod Papa reliquos etiam
154 nobiles, honestosque Viros, quam-
vis essent sui Juris, in dedecus Familiæ,
& Propinquorum ad similes indignas
Nuptias invitare voluerit, cum indu-
bitati Juris sit, quod quemadmodum
in rescriptis, & gratiis, ita in elar-
giendis indulgentiis nunquam Summi
155 Pontifices intellexerunt tertio præju-
dicium inferre, ut ex vulgatis *text. in
Cap. Ad aures 8. de Rescript. Cap. Su-
per eo 15. de offic., & potest. Judic.
Delegat.* tradunt communitèr DD.,
quos cumulant *Barbos. in d. Cap. Su-
per eo 15. num. 3. Koning. princ. Jur.
Can. lib. 1. tit. 3. §. 9. num. 10. vers. Re-
gula tertia*, & potissimùm ubi agitur
156 de iis, quæ Juri naturali adversantur,
ut ex *Fulgos. cons. 61. num. 4.*, prout
essent Nuptiæ sive a Filiis, sive a qui-
buslibet aliis contractæ cum dedecore
Parentum, Fratrum, Sororum, at- 157
que totius Familiæ, veluti communi
nedum Theologorum, sed & Juris In-
terpretum, Sanctorum Patrum, ac
plurium Summorum Pontificum au-
ctoritate, ac solidissimis argumentis
hucusque comprobavimus.

Et quidem quamvis Summi Pon-
tifices ad excitandos Fideles ad elar-
giendas eleemosynas, sive pro repa-
randis collapsis Ecclesiis, sive pro 158
novis construendis, sæpius hujusmodi
eleemosynas in satisfactionem pœnæ
pro peccatis cessuras indulgeant, ni-
hilominus in hisce, ac similibus casi-
bus nemini licebit æs alienum in has
eleemosynas erogare, aut Familiam
iis fraudare subsidiis, quibus ad ho- 159
nestam sustentationem indiget, ut
Ecclesiæ, vel Pauperibus ad lucran-
das indulgentias opituletur; Nec Fi-
liosfamilias Parentibus egenis non pro-
videre, ut opem ferens locis Terræ
Sanctæ, promissis indulgentiis per- 160
fruatur; Nec Filio, aut Fratri Ma-
trem vetulam, aut Sororem innup-
tam ejus necessario auxilio, & assi-
stentia privare, & ad Loca Sancta,
aut Apostolorum limina accedere, ut 161
Jubilæi fructum assequatur; Nec tan-
dem Patrisfamilias Uxorem, prolem-
que sua opera nutriendam deserere,
ut procedens ad bellum contra Infide- 162
les peccatorum valeat impetrare re-
missionem; hæc etenim, utpote contra
pietatem, contra justitiam, contra 163
caritatem, ab omnibus reprobantur,
& Pontificia Diplomata reliquos Fi-
deles ad enarrata virtutum opera,
proposita spe veniæ, invitantia, hu-
jusmodi Personarum genera non com-
prehendere satis compertum habe-
mus. Meretrices igitur e cœno erue- 164
re poterunt, & peccatorum obtinere
remissionem ii, qui, si alias ducant,
nulli infamiam irrogant, Parentes
gravi dolore non afficiunt, neque
Fratribus, neque Sororibus ad pares
Nuptias copulandas impedimentum
præstant, neque scandali, aut rixa-
rum occasionem præbent, neque de- 165
mum infelicis exitus periculo se, &
quas ducunt Uxores exponunt.

Porrò animadvertendum est,
quod

quod Summus Pontifex ex duplici motivo æternæ Meretricum saluti legitimo Connubio occurrere voluit; Primo nempè, quia cum antea Meretricibus Matrimonium interdictum fuisset non solum per legem a Deo Moysi datam *Joseph lib.4. antiquit. cap. ult.* = ibi = *Nèc Meretrici sit Jur Nuptiarum, cujus, proptèr injuriam suo corpori factam, Nuptiale Sacramentum Deus non admittit* = sed & ab antiquis Canonibus relatis per *Gonzalez in d. Cap. Inter opera de Sponsal.* intuitu proindè aliqualis misericordiæ antiquorum Canonum rigorem operæ pretium duxit corrigere, ut qui Meretrices uti Concubinas retinebant, in legitimas Uxores ducere possent, *Gonzalez in d. Cap. Inter opera n.15. in fin.* Secundò sciendum est, quod
166 Sæculo XII. numerus Meretricum in immensum excreverat, de quibus in Parisiensi Regione grassantibus ad finem prædicti Sæculi mentionem facit *Otto de S. Blasio*, ubi de Volcone Parisiensi Præsbytero loquitur, cujus verba apud *Bzovium ad annum* 1198. *num.*21. referuntur = ibi = *Meretricum autem sectam omnimodè in ea regione deposuit, easque verbo prædicationis conversas, plures truncatis crinibus, habitu Religionis induit professione perpetuæ castitatis. Alias autem, quæ se continere non præsumebant, casum ex fragilitate timentes, data eis in dotem non modica pecunia, le-
167 gitimo Connubio reformavit, ad quod efficiendum Parisienses Scholares* 250. *libras, Burgenses vero mille, & amplius erogaverunt* = Cumque eo tempore vel infimæ conditionis Homines,
168 imò ipsi gregarii Milites eas in Uxores ducere non auderent propter infamiam, quæ ab earum Nuptiis jure Canonico retrahebatur, idcirco ne tales Mulieres sine spe Matrimonii sibi damnationem, aliisque scandalum quærere continuarent, Innoc.III., su-
169 blata aliquamdiù infamia, cum prædicto Indulgentiarum lucro illis sollicitè providere curavit, ut satis indicant *Historiæ* illius temporis, atque ipsa Summi Pontificis verba, ut observat *Raynald. tom.13. ad ann. Christi* 1198. *num.*38. = ibi = *Innocentius in perditas illas Mulieres, quæ pudicitiam, quibusve obviis, animas Dæmonibus prostituebant, miseratione ductus e cœno facilius abducendas ratus, si Viros, qui eas ducerent, nancifcerentur, infamiam, quæ in jungenda
sibi Meretrice erat, amovere conatus est, atque indulgentias iis proposuit, qui ex Christiana pietate hujusmodi Meretriculas Uxores ducerent, quo maritali fœdere coercitæ a scelere impudicitiæ sibi temperarent* = Nunquam autem somniavit Pontifex Adolescentium amores, impudentiamque 170
fovere, eorum libidini, ac impietati 171
erga Parentes præsidium ferre, sed eos dumtaxat, oblatis indulgentiis, ad hujusmodi Connubia excitare intellexit, qui procul ab omni injuria Consanguineorum, Christianæ caritatis stimulo ad miserrimas Meretriculas e
cœno impudicitiæ sublevandas addu- 172
cerentur, ut ea ipsius *Epistolæ* verba clarè demonstrant = ibi = *Inter opera Caritatis non minimum est errantes ab erroris sui semita revocare, ac præsertim Mulieres voluptuosè viventes, ac admittentes quoslibet ad commercium Carnis, ut castè vivant, ad legitimum tori consortium invitare. Hoc igitur &c. attendentes &c.* = Ex quibus manifestè resultat, quod Innocentius eos Apostolico favore prosequi voluit, qui absque Paren-
tum, & Conjunctorum injuria perdita 173
scorta ad viam salutis convertere, atque ab immunditia carnis, quantum fas est, satagunt emundare; Non verò Filiosfamilias, non nobiles Adolescentes, non Viros præclaræ, seu
honestæ stirpis, qui non ad acquiren- 174
das indulgentias, sed ad peccandum contra pietatem, justitiam, & caritatem, nullatenus student invenire alium Virum infimæ conditionis, qui tales Fœminas ducant, quo casu etiam de fructu indulgentiarum participarent, sed ipsimet ad earum indignas Nuptias aspirant, & amore capti, atque libidine obcœcati euicumque easdem desponsare volenti præferri prætendunt cum propria, totiusque Familiæ, & Propinquorum ignominia, probro, & dedecore.

Ea enim Juris infamia, qua tempore

175 pore INNOCENTII III. Viri ducentes in Uxores publicas Meretrices notabantur, hisce quoque temporibus nedum communi Theologorum, sed & insignium Canonici Juris Interpretum calculo comprobatur, ut videre est apud *Barbos. in Can. Si quis Viduam 2. distinct. 34.* post *Gloss.* ibique *Turrecremat. Majol. de Irregularit. lib. 3. cap. 1. num. 5.* = ibi = *Ob eam-*
176 *dem causam si quis Meretricis Maritus fuerit, ad Ordines non admittetur, non solum quia Bigamus, sed etiam quia ignominiosus, & vilis est; vilem etenim Uxorem ducens, vilis ipse efficitur* = & inter gravissimæ notæ Theologos *Card. Bellarmin. tom. 1. contr. vol 2. lib. 1. de Cleric. cap. 24. in fin. Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 84. num 9. tom. 2. Gibalin. de Irregular. cap. 5. quæst. 4. proposit. 3. pag. 384. vers. Deinde, Gabriel a S. Vincent. de Censur. disput. 10. quæst. 8. §. 6. num. 242. in fin.* aliisque prætermissis *Suyr. in Thesaur. tom. 1. lib. 7. cap. 11. num. 7.* = ibi = *Item infames*
177 *sunt, qui ducunt Uxores viles, & abjectas, vel Meretrices &c.* = Quinimò apud cordatos, & honestos Viros tanti æstimatur hujus infamiæ nota, ut non desint, qui censeant Reum ad ultimum supplicium damnatum debere hanc infamem effugere
178 mortem, si se offerens paratum ad desponsandam Meretricem, hanc alteram infamiam subire non dubitaverit, ut videre est apud *Barbos. in d. Cap. Inter opera 20. num. 4. de Sponsalib.*

Tantum autem abest, ut *D. Hieronymus* Matrimonium cum Meretrice commendaverit, quin potius ipsius testimonio apertè evincitur improbum, ac infamem eum apparere, qui Mulierem publicam in Uxorem accipere non detrectaverit, nèc in excusando Osee tantoperè laborasset, nisi magna in Conjugio ejusdem Prophe-
179 tæ apparuisset turpitudo, de qua in *Præfatione sui Commentarii* sic ait = *Quis enim non statim in fronte libri scandalizzatur, & dicat: Osee primus omnium Prophetarum Meretricem habere jubetur Uxorem, & non contradicit? Non saltem nolle se simulat, ut rem turpem facere videatur Invitus? &c. Osee audiens a Domino: Accipe Uxorem fornicariam: non frontem rugat, non mærorem pallore testatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonstrat, sed pergit ad lupanar, & scortum ducit ad lectulum* = Quam difficultatem profectò sic arduam censuit, ut ad illam explanandam, ad mysterium esse recur- 180
rendum existimaverit = ibi = *Hæc igitur audientes quid possumus respondere, nisi illud propheticum; quis sapiens, & intelliget ista, intelligens, & cognoscet ea? Unde & nobis dicendum est cum David: Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua* = & deindè *Initio sui Commentarii*, ubi sunt verba relata in *Can. Non est culpandus 32. quæst. 1.* iterum ipsius Prophetæ excusationem aggreditur, quam præcipuè in eo reponit, quod non libidinis impetu, sed Dei jussu Meretricem acceperit, ad comprobandum, quod Deus hoc Con- 181
nubio Mysterium præsignare statuerat = ibi = *Non est culpandus Osee Propheta, si Meretricem, quam duxit, ad pudicitiam convertit, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecit. Præsertim cum Beatus Osee non OB CAUSAM LUXURIÆ, NON LIBIDINIS, NON PROPRIA FECERIT VOLUNTATE, sed Dei paruerit imperio, ut quod in isto carnalitèr legimus, in Deo factum spiritualitèr probaremus* =

D. Chrysostomus verò scribit Theodoro Monacho in apostasiam lapso, illumque ad resipiscendum hortatur proposita spe veniæ, eamque ex Dei misericordia, ac immensa erga spiritualem animam caritate ni- 182
titur confirmare, atque inter cætera exemplum Hominum profert = ibi = *Num vides, quod deformes, impudentesque Mulieres prostitutæ vix possunt obtrudi gladiatoribus, & iis quoque, qui cum bestiis depugnare soliti sunt? Cæterum si qua bonæ formæ, si ingenua, liberalique facie per occasionem in eam inciderit calamitatem, quemlibet generosum, eximiumque Virum nihil pudebit, vel Connubio sibi talem adjunxisse* = & deindè concludit = *Si tanta est apud homines misericordia &c. quanto benignior faci-*

facilitas erit apud Deum erga animam propter superni generis præstantiam? = Quare neque ex verbis, neque ex mente S. Doctoris approbatum dici potest Matrimonium cum
183 Meretrice. Non verbis, quia verbis de Meretricibus testatur totum oppositum. De aliis verò Mulieribus ingenuis, non vulgaris conditionis, non Meretricibus, non prostitutis, sed per occasionem in eam lapsis calamitatem narrat quidem illas quandoque a generosis Viris haberi Uxores, sed tamen factum neque improbat, neque commendat. Non mente, quia, licet ad Divinam misericordiam extollendam ipsorum utatur similitudine, vel exemplo, quasi quod non in-
184 dignas, sed dignas hujusmodi Nuptias autumasset, nihilominùs novum non est, quod exempla iniquissimorum Hominum, & iniquè gestorum sæpe
185 usurpantur a SS. Patribus eo prorsus sensu, quo in Sacris Literis, vel etiam a Christo Domino non semel fuisse adducta nos docuit *D. Augustinus lib.2. quæst. Evangel. quæst.34.*, ut
186 sunt exempla de Villico fraudolento *Luc.16.* de Judice iniquitatis *Luc.18.*, ac alia plura hujus generis, quæ ac-
187 cipienda non sunt quasi nobis ad imitandum proposita *D. August. Luc.16. loc. cit.* = ibi = *Sed etiam e contrario dicuntur istæ similitudines, ut intelligamus, si laudari potuit ille a Domino, qui fraudem faciebat, quanto ampliùs placent Domino Deo, qui secundum ejus Præceptum illa opera faciunt. Sicut etiam de Judice iniquitatis, qui interpellabatur a Vidua, comparationem duxit ad Judicem Deum, cui nulla ex parte Judex iniquus conferendus est* = & rursus *qu.45. circ. fin.* = ibi = *Hic ergo iniquus Judex non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Dominus quanto certiores esse debeant, qui Deum perseveranter rogant &c. cum apud iniquissimum Judicem usque ad effectum implendi desiderii valuerit perseverantia deprecantis &c.* =

Quibus ita se habentibus, supervacaneum est quærere, an Sponsalia per præfatum Adolescentem jam contracta subsistant, quoties enim *Sacra Tridentina Synodus* testatur, quod Nuptias Parentum auctoritate defectas 188
Sancta Dei Ecclesia semper detestata est, atque prohibuit, perneceſſe sequitur, quod tàm Matrimonium, quàm Sponsalia sint illicita cum eo tantum discrimine, quod Matrimonium, licet illicitum, ubi attamen est ratum, nexum in- 189
dissolubilem habet, at Sponsalia, utpote revocabilia, prohibere ne fiant, 190
idem est, quod irritare jam facta *l. Non dubium 5. Cod. de legib.* = ibi = *Ea, quæ lege fieri probibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licèt legislator fieri prohibuerit tantum, nèc specialitèr dixerit inutile esse debere, quod factum est* = ideòque ea non obstare declaravimus, quominùs Sponsus, obsequendo præcepto Matris, ad Familiæ decus omninò servandum, multoque magis ne peccata, & sacrilegia committat, ab enunciatis indignis Nuptiis adimplendis omninò teneatur recedere, prout ipsum recedere expresè mandavimus, & utrumque Sponsum pristinæ libertati restituimus.

Et ita &c. utraque &c.

ANONYMA SPONSALIUM
SEU
CAPITULORUM MATRIMONIALIUM

ARGUMENTUM

Sponsalia a Filiisfamilias contracta, licet in scriptis redacta, reluctantibus tamen justè Parentibus, non sunt adimplenda.

SUMMARIUM

1 *Quamplures Adolescentes Conjuglum ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente temerè excludant, suæque libidini tantummodo vacent.*

2 *Eorum Matrimonia invitis, & justè reluctantibus Parentibus contracta, seu contrabenda Sancta Dei Ecclesia semper detestata est, atque prohibuit*, & num.85.125.

3 *Quia vetita sunt ex præcepto naturali, & Divino.*

4 *Instan-*

4 *Instantia cujusdam Fœminæ pro adimplemento Sponsalium.*
5 *Adducitur* Canon Illiberitan. 54.
6 *Idem Canon declaratur.*
7 *Olim qui constantibus Sponsalibus cum altera Persona Nuptias contrahebat, dicebatur committere Adulterium.*
8 *Ex Romano, & Gentium Jure Patres pro Filiis Sponsalia contrahebant.*
9 *Ex Jure Romano liberum erat Patri filiorum Sponsalia distrahere.*
10 *Ex sponsalibus sive verbo, sive scripto firmatis oritur inter Sponsos obligatio contrahendi Matrimonium.*
11 *Sponsalia sunt reciproca promissio futurarum Nuptiarum.*
12 *Ex promissionibus mutuis, & acceptatis oritur obligatio adimplendi promissum.*
13 *Qui sine justa, & rationobili causa renuit stare Sponsalibus, lethalitèr peccat*, & num. seqq.
16 *Unde oriatur prædicta obligatio.*
17 *Nihil tàm fidei congruit humanæ, quàm pacta servare;*
18 *Juxta principia Juris Naturalis, Divini, & humani.*
19 *Obligatio servandi promissionem in sponsolibus factam non oritur ex sola virtute fidelitatis.*
20 *Sed & ex justitia commutativa.*
21 *Virtus fidelitatis respicit solummodo debitum liberalis promissionis.*
22 *In Sponsalibus adest ultro, citroque obligatio correspectiva, ex qua rigorosum Justitiæ debitum pro adimplemento resultat*, &n.25.
23 *Sponsalia reducuntur ad Contractum Innominatum* = facio, ut facias =
24 *Et habentur etiam pro Contractu Nominato.*
26 *Nonnulli Theologi, & Canonistæ negant prædictam obligationem locum habere in Foro Fori, & nonnulli id affirmant.*
27 *Alii tenent, quod si Sponsalia sint nuda, Judex ad adimplementum compellere nequeat, secus si fuerint jurata.*
28 *In praxi sive nuda, sive jurata obligant in Foro Fori, & Sponsus sine rationabili causa renuens potest compelli ad ineundum Matrimonium.*
29 *De Jure veteris Latii ex Sponsalium stipulatione actio ex Sponsu dabatur.*
30 *Sed ex Jure Romano Pandectarum, & Codicis talis stipulatio nullam in foro externo parit actionem.*
31 *Et alii nubere licèt cum causa, & sine causa.*
32 *Et alterutri Sponsorum permissum est pœnitere.*
33 *Hoc tamen intelligi debet procedere, si utriusque Sponsi interveniat consensus.*
34 *Sive dicendum, quod talis Juris Civilis dispositio a Jure Canonico fuerit correcta.*
35 *Curiarum praxis cogendi Sponsum ad adimplendum nuda Sponsalia non apertè ex Jure Canonico comprobatur.*
36 *Nonnulli enim ex textibus, qui ad id allegantur, loquuntur vel de sponsalibus per verba de præsenti contractis, quæ sunt verum Matrimonium;*
37 *Vel de promissionibus juratis*, & num. seqq.
40 *Vel nullam mentionem faciunt compulsionis in Foro Fori, sed tantum obligationis in Foro conscientiæ.*
41 *Qui de Matrimonio contrahendo sibi mutuam dedere fidem, ad eamdem servandam moneri debent.*
42 *Utriusque Sponsi dissensu sponsalia rescinduntur.*
43 *Judex potest suadere Sponsos, ut fidem datam servent, sed non potest illos compellere.*
44 *Nisi fuerint juramento firmata.* *Declara ut supra* num. 27. & 28.
45 *Non ita facile nec etiam hoc casu ad Censuras deveniri potest;*
46 *Quatenus obstet aliqua rationabilis causa;*
47 *Quæ non requiritur gravis, sed sufficit etiam levissima.*
48 *Quia coactiones hac in re infelices exitus habent.*

49 *In quocumque casu Compulsio Judicis in hac materia non debet esse præcisa, sed moderata.*

50 *Præstabilius est Censuris parcere, quam illis uti, ne contemnantur.*

51 *Et si Judex prævidet Censurarum contemptum, abstinere debet a coactione.*

52 *Si vero eas fulminet, & post declaratoriam altera pars pertinacitèr nubere renuat, renuens est absolvendus, etiamsi non petat, & quare* num.53.

54 *Est potius monenda, quam cogenda Mulier renuens ei nubere, cui se nupturum juraverat.*

55 *Compulsio adhiberi potest contra renuentem, quando rationabilis causa non obstat.*

56 *Et in Sponsalibus validis, non quando a Filiis, invitis Parentibus, sunt contracta*, & num.58.

57 *Ex quibus nulla proditur actio, & liberum est ab illis recedere.*

58 *Filii, & Filiæ solum contradicere possunt, cum Parentes eis Sponsos moribus indignos, & turpes eligunt.*

59 *Secundum antiquam Jurisprudentiam Pater Romanus Matrimonia Filiorum jam contracta distrahere poterat, sed secundum jurisprudentiam posteriorem dissolvere tantum sponsalia non impeditur.*

60 *Unde arguitur sponsalia invitis Parentibus contracta de Jure Civili esse irrita.*

61 *Et proinde etiam de Jure Canonico, quia ab eo Jus Civile in hac parte non est correctum.*

62 *Sponsalia, & Connubium pari passu procedunt.*
Contrarium num.63. & seqq.

64 *Sponsalia a Nuptiis differunt nomine, etymologia nominis, & definitione.*

65 *Item Causa efficiente.*

66 *Forma.*

67 *Fine.*

68 *Item quia Matrimonium est Sacramentum, & inter Puberes contrahitur irrevocabiliter.*

69 *Sponsalia vero etiam inter Impuberes stipulantur, non sunt irrevocabilia, nec Sacramentum.*

70 *Jura Sponsaliorum, ac Connubiorum Contractum emptionis, & venditionis imitantur.*

71 *Quanta est differentia inter promissionem de vendendo, & actualem venditionem, tanta intercedit inter Sponsalia, & Matrimonium.*

72 *In Contractu emptionis venditio distinguitur a traditione, per quam venditionis Contractus consumatur.*

73 *Sponsalia venditionem, seu promissionem venditionis referunt, subsequens Matrimonium traditionem complectitur.*

74 *Per nudam venditionem sine traditione acquiritur Jus ad rem, traditio largitur Jus in re.*

75 *Per Sponsalia Jus ad rem, per secutum Matrimonium Jus in re paritur.*

76 *In Contractu venditionis, & Sponsaliorum arrhæ dantur, & recipiuntur.*

77 *Venditio, si intercedant arrhæ, ante traditionem revocabilis est, ita & Sponsalia ante Matrimonium.*

78 *Ab Emptione potest recedi, si Emptor recedens arrhas datas relinquat, aut recedens Venditor, quas accepit, reddat duplicatas.*

79 *A Sponsalibus recedens acceptas arrhas restituit duplicatas, & si minor sit, simplas.*

80 *Venditio irrita, interdum accedente traditione roboratur.*

81 *Sponsalia invalida subsequente Matrimonio convalescunt.*

82 *Venditio posteriori Emptori facta per priorem vitiatur, nisi posteriori accesserit etiam traditio.*

83 *Secunda Sponsalia per priora infirmantur, nisi secundis Matrimonium etiam accesserit.*

74 *Valorem, quem Tridentinum tribuit Nuptiis invito Patre factis, non tribuit furtivis Filiorum Sponsalibus.*

86 *Matrimonium, & Sponsalia a Filiis inita invitis Parentibu sunt illicita.*

87 *Matrimonium, licèt illicitum, dissolvi non potest*, & num. seq.

89 *Spon-*

89 *Sponſalia verò illicita poſſunt diſſolvi, imò ſunt irrita.*

90 *Sponſiones, pacta, & ſtipulationes turpes nullius ſunt roboris,* & num.ſeq.

92 *De Jure Canonico alter ex Sponſis hortationibus, & aliquando minis urgetur ad implendum Sponſalia.*

93 *Ubi de juſto diſſenſu Patris conſtat, nèc Filius, nèc Filia citari poſſunt ad adimplendum Sponſalia.*

95 *Judex cavere debet, ne a Filiis, invitis Parentibus, Matrimonia contrahantur,* & num.100.

96 *Non ſolum antè, ſed etiam poſt Sponſalia,* & num.101. 115.

97 *Quia promiſſio circa rem illicitam non obligat,* & num. 98. 102, 149.

99 *Nèc tenetur Sponſus perficere Sponſalia, quando imminet grave damnum, ſeu ſcandalum.*

103 *Omnes Theologi conveniunt, quod Sponſalia a Filiis invitis Parentibus contracta, præſertim cum impari, vel ſunt invalida a principio, vel reſcinduntur in caſibus, in quibus aliquod grave peccatum, aut incommodum ſequi poteſt,* & num ſeqq.

104 *Quia virtus Juſtitiæ obligare nequit ad actum, qui ſine peccato impleri non poteſt,* & num. 111, 112. 113.

117 *Ex hiſce Matrimoniis graviſſima peccata, ut plurimum, oriuntur, & oriri poſſe ſemper eſt timendum.*

118 *In praxi inſtantibus Sponſis, licet Filiisfamilias, Epiſcopi, & Vicarii Generales interponunt Decreta de contrahendo, & ne turbentur a Parentibus Nuptiæ, dant veniam contrahendi ſine denunciationibus.*

119 *Id tantum practicatur, ſi conſtat de irrationabili diſſenſu Parentum.*

120 *Secus ſi rationabilis fuerit diſſenſus.*

121 *Prout ſervari debet, atque ſervatur in Epiſcopalibus Curiis.*

122 *Et ubi non ſervatur, id Hominum, non legum imbecillitati eſt tribuendum.*

123 *Nec imitandi ſunt Prælati, qui ita ſe gerunt, ſed qui prudentiam Juris utriuſque apprimè tenent, eique prudentiæ virtutem adjungunt.*

124 *Toliſque praxis petenda eſt a Summorum Pontificum reſponſis, & a Sacris Canonibus Conciliorum ſive Generalium, ſive Provincialium, qui ſemper hujuſmodi Matrimonia ſunt deteſtati.*

126 *Nonnullorum Forenſium ſcripta non ſunt attendenda, & quare,* & num.129.

127 *Damnum, quod afferunt.*

128 *Quorum Juriſconſultorum libri ſint attendendi.*

130 *Hodie ſuis auctoritatibus non carent ea, quæ perſpicuæ legum ſententiæ opponuntur.*

131 *Si alter Sponſorum reluctetur, altero inſtante Ordinarius urget refractarium ad ſervandam Sponſaliorum fidem etiam invitis Parentibus.*

132 *Sed tantum in caſu id fieri debet, quo aliqua Fœmina fuerit a Filiofamilias ſtuprata, & ſit æqualis conditionis.*

133 *Priora Sponſalia invitis Parentibus, & cum perſona indigna contracta infirmare dicuntur poſteriora Sponſalia auctore Patre cum digna Perſona celebrata,* & num.136.

Contrarium num.134.

Declara ut num.135.

137 *Ad quod impedimentum removendum Sponſi Parentes ad falſitates, & perjuria confugiunt.*

138 *Præcidi debent occaſiones perjuriis,* & num ſeq.

139 *Non licèt deferre Juramentum ei, quem ſcias perjuraturum.*

140 *Ad impedienda prædicta perjuria, ad quæ Sponſi Parentes confugiunt, quid expediret.*

141 *Si reſcindantur Sponſalia a Filio, invitis Parentibus, contracta, utriuſque Sponſi minuitur libertas, aut Jus Fœminæ quæſitum injuſtè, ac turpitèr læditur.*

142 *Hic tamen eſt error, in quem incidunt parum experti Forenſes, & aliqui Confeſſarii,* vel

vel in officio, vel in scientia tyrones.
143 *Qui officio suo desunt, & inferunt animabus ruinam.*
144 *Si rescindantur prædicta Sponsalia, non impeditur, neque minuitur libertas, & quare*, & num. seqq.
145 *Libertas Matrimonii debet esse citra scandalum aliorum.*
146 *Nec Jus habet Filius ad Nuptias Patri injuriosas.*
148 *Libertas ad malum faciendum potius est defectus, & imperfectio voluntatis.*
149 *Nec læditur Jus Fœminæ quæsitum, quia nullum Jus consurgit ex promissione, quæ sine culpa impleri nequit.*
150 *Judex potest, & debet prohibere, ne suo Jure utatur, quem videt vel in suo, vel in aliorum perniciem abusurum.*
151 *Judex non lædit Justitiam, si Prodigo interdicat suorum bonorum administrationum.*
152 *Per quod interdictum Prodigo remanet adempta facultas testandi, & testamentum ab eo conditum irritum habetur.*
153 *Justitiam minime lædit, qui retinet alterius bona, nèc illa restituit, si certo agnoscat illarum restitutionem Domino, vel alteri nocituram, et si restituat tenetur ad damna*, & num.155.
154 *Dari non debet gladius ei, quem illum petit ad se vulnerandum, nèc pecunia, qua uti vult ad se inebriandum, vel fornicandum.*
156 *Judex impediens prædicta Matrimonia non lædit Justitiam, sed consulit utilitati Sponsorum*, & num.157. 158.
159 *Nemo Matrimonium invitis justè Parentibus initum a peccato reddit immune.*
160 *Nullum peccatum est permittendum, & multo minus peccato sive Mortali, sive Veniali cooperandum.*

VOTUM III.



Irum æquè, ac lacrymabile portentum hac nostra ætate protulit quamplurium Adolescentium impudentia, qui Conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente temere excludant, suæque libidini tantummodo vacent, & quamvis eos non lateat, 1
quod Sancta Dei Ecclesia Matrimonium invitis, ac justè reluctantibus Parentibus contractum, seu contrahendum *ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit*, uti docet 2
Sac. Concil. Trident. sess.24. cap.1. de reformat. Matrim. propterea quod *præcepto Naturali* simul, ac *Divino* 3
statutum fuit = *Honora Patrem, & Matrem* = nihilominus eas solummodo Nuptias appetunt, ex quibus justa indignatio Parentum emergit, Familiarum nobilium, seu honestarum depressio promanat, ac inter Consanguineos odia, & diffidia perpetua confoventur.

Hoc sane in numero nuperrimè recensuimus Nobilem Juvenem, quem, reluctante Matre, atque Propinquis, cum indigna Matrimonium inire non posse jam declaravimus. Erat quidem illius in facultate vel acquiescere nostræ sententiæ, vel appellare, sed ad præfatas indignas Mulierculæ Nuptias anhelans, cum pecunia non esset adeo provisus, ut in supremis Tribunalibus Causam in gradu appellationis prosequi posset, a suis Defensoribus plane deceptus, meliorem sortem experiri putavit, si Fœmina coram nobis comparens exhibuisset, prout exhibuit, Capitula Matrimonialia, nullo tamen Juramento fulcita, cum eodem Juvene celebrata, utque suspicabatur, post nostram emanatam sententiam cum antidata per ipsum Juvenem characteribus suo proprio sanguine rubicundis exarata, quorum causa autumabat, quod quamvis Matrimonium invitis Parentibus a Filiisfamilias contrahi nequeat, adhuc in casu, quo præcesserint *in scriptis* Capitula Matrimonialia, Filio ab illis recedere non liceat

ceat contradicente Sponsa, cujus fa-
vore in vim eorumdem Capitulorum
expressam emiserat obligationem ab
4 ipsa jam acceptatam, quæque judi-
cialitèr dicta Capitula, seu Instru-
mentum Matrimoniale per nos man-
dari exequi postulabat, allegando po-
tissimum contra Matrem Adolescentis
Canonem Illiberitanum 54. ubi habe-
5 tur = *Si qui Parentes fidem fregerint
Sponsaliorum, triennii tempore ab-
stineant se a Communione: Si tamen
iidem Sponsus, vel Sponsa in illo gra-
vi crimine fuerint deprehensi, excu-
sati erunt Parentes. Si verò in eodem
fuerint vitio, & polluerint se consen-
tiendo, superior sententia servatur* =

At his non obstantibus, Sponsa
quoque succumbere debuit; *Sponsa-
liorum* enim, quorum fractores a præ-
6 citato *Canone* damnantur, longè diver-
sa natura est a nostris *Sponsalibus*, quia
in eo Sponsaliorum fractio *crimen* vo-
catur, & fractores eatenus *in illo gra-
vi crimine* deprehendi posse dicuntur,
quatenus loquitur de eo Sponso, qui
constantibus Sponsalibus cum altera
7 Persona Nuptias contrahebat, quod
Adulterium tunc esse *Canon Trullan.*
98. ostendit, eaque Sponsaliorum fra-
ctio nonnunquam non Sponso refracta-
rio, sed ipsius Parentibus tribuebatur,
8 quia ex Jure Romano, imò & Gen-
tium Patres pro Filiis Sponsalia con-
trahebant, quibus contractis, inju-
stum visum fuit sine justa causa Paren-
tes ab illis recedere, ideòque si da-
tam fidem deindè fregissent, ab allega-
to *Canone Illiberitano* in pœnam com-
munione ad triennium privabantur,
a qua pœna tamen excusabantur, si
alter ex Sponsis, constantibus Sponsali-
bus ab ipsius Parentibus pro eo jam
initis, ad alias Nuptias sine culpa eo-
rumdem Parentum convolasset, secus
si iidem Parentes ad easdem novas
Nuptias per Filium ineundas consen-
sum præbuissent, ut innuunt ea ver-
ba = *Si verò in eodem fuerint vitio,
& polluerint se consentiendo, supe-
rior sententia servatur* = In casu au-
tem, quod Parentes Filiorum Spon-
salia sine illorum scientia, sive con-
sensu a Filiis contracta dissolvissent,
nullam mœrebantur pœnam, quia ex
eodem Jure Romano, & Gentium li-
berum erat Patri Filiorum Sponsalia 9
distrahere, ut inquit *Ulpianus in l. In
potestate* 10. *ff. de Sponsal.* = ibi = *In
potestate manente Filia, Pater Sponso
nuntium remittere potest, & Sponsa-
lia dissolvere* =

Non negamus tamen, quod (ad
differentiam Sponsalium Hebræorum,
quæ tunc valida, & rata censentur,
cum in scriptis legalitèr redacta sunt,
addita, vel testium subscriptione, vel
juramento coram testibus præstito
*SS. D. N. Bened. XIV. in suo Bullar.
tom. 2. Constit.* 28. incipien. *Apostolici
ministerii* §. 65. & 66.) ex nostris
hodiernis quoque Sponsalibus sive nu-
dis, sive juramento fulcitis, sive ver-
bo, sive scripto firmatis oriatur inter 10
Sponsos obligatio contrahendi Matri-
monium, quia nil aliud sunt, quam
reciproca futurarum Nuptiarum pro- 11
missio ad *text. in l. 1. ff. de Sponsal.
Can. Nostrates* 30. *quæst.* 5. = ibi = *Fu-
turarum sunt Nuptiarum promissio* =
itaque tenent unanimitèr Theologi
post *Magistr. Sententiar. in 4. dist. 27.
D. Thom.* ibi *quæst. 2. artic. 1. in corp.
D. Bonaventur. tom. 5. distinct. 28.
artic. 1. quæst. 1. in conclus.*, & Ca-
nonistæ, nempè *Præposit. Butr.*,
aliique apud *Sanchez de Matrim lib. 1.
disp. 5. num. 1. tom. 1. Covarruv. tom. 1.
in Epit. in 4. Decretal. par. 1. de Spon-
sal. cap. 1. num. 1. Perez de Matrim.
disput. 1. sect. 2. num. 1. & seq.* Qua-
re quemadmodum ex cæteris promis-
sionibus mutuis, & acceptatis oritur
obligatio adimplendi promissum, ita 12
ex Sponsalibus consurgit debitum con-
trahendi Matrimonium, nisi tamen
justa, & rationabilis causa excuset,
ita ut qui renuat sine causa stare Spon- 13
salibus lethaliter peccet *D. Thom. loc.
cit. ad* 2. = ibi = *Dicendum, quod ex
tali promissione obligatur unus alii ad
Matrimonium contrahendum, & pec-
cat mortalitèr non solvens promissum,
nisi legitimum impedimentum inter-
veniat* = Idem confirmat *D. Bonavent.
loc.* paritèr *cit.* = ibi = *Si dicat quis
ego consentiam in te &c. se consensu- 14
rum promittit &c. Quia verò est pro-
missio, ideò est obligatio &c. secundum
enim Jura cogendus est Vir, ut Mu-
lierem*

lierem accipiat in Uxorem , nisi ali-
quis casus interveniat , qui solvat
Sponsalia = concordat D. *Antonin. in*
Summ. par.3. tit.1. cap.18. §.1. , ac
alii , quos congerunt *Gonzalez in d.*
15 *Cap. Praeterea 2. num.5. vers. Defi-*
niuntur de Sponsal. Sanchez de Matrim.
lib.1. disput.5. num.20. & disp.27.
num.2. tom.1. Perez disp.6. sect.1.
Boss. de contract. Matrim. cap.11. §.5.
num.36. Card. de Laurea in 4. Sentent.
tom.3. disput.37. artic.7.

Hæc autem obligatio oritur ex
16 ea generali ratione pacti , & Contra-
ctus , per quam sibi aliquid invicem
promittentes , promissum exequi te-
nentur sub gravi , si materia sit gra-
17 vis , cum nihil tam fidei congruat hu-
manæ , quam ut pacta serventur *l.1.*
ff. de pact. Cap.1. 2. & 3. eod. tit. ju-
18 xta principia Juris naturalis , Divini ,
& humani *Boss. d. cap.11. n.36.* neque
ex sola virtute fidelitatis hæc obliga-
19 tio procedit , ut sentire videtur *Hur-*
tadus de Matrim. lib.1. disput.1. diffi-
20 *cult.6. n.223.* sed & ex justitia com-
mutativa , ut post *Sanchez de Matr.*
lib.1. d. disput.5. n.27. tom.1. conclu-
dit , solidèque confirmat *Perez eod.*
tract. disput.6. sect.2. Virtus enim fi-
21 delitatis respicit solummodo debitum
liberalis promissionis , at in Sponsali-
bus adest ultrò citròque obligatio cor-
respectiva , & promissio repromissio-
22 ne compensatur , prout in reliquis
Contractibus onerosis , ex quibus stri-
ctum Jus quæritur pro utroque Con-
trahente , & rigorosum Justitiæ debi-
tum pro adimplemento resultat , qua
data paritate , sive sponsalia reducan-
23 tur ad Contractum Innominatum *fa-*
cio , ut facias , ut observat *Sanchez*
de Matrim. d. disput.5. n.10 tom.1. si-
24 ve habeantur pro Contractu nomina-
to , prout tenent *Konig. sup. tit.1. de*
sponsal. n.5. vers. Ad hæc & Scambo-
25 *gen. eod. tit. n.25.* ex iis stricta obli-
gatio ad adimplendum promissa con-
surgit , ne Justitia lædatur *Gonzalez*
in d. Cap. Præterea n.8. vers. Est ergo
de sponsal.

Et quamvis nonnulli inter Theo-
26 logos , & Canonistas negent prædi-
ctam obligationem locum habere in
Foro Fori , nonnulli id affirment, alii
vero teneant , quod , si Sponsalia sint
nuda, Judex ad adimplementum com- 27
pellere nequeat , secus si fuerint ju-
rata , nos nihilominus , juxta praxim
in Curiis Ecclesiasticis receptam non
improbamus Sponsalium obligatio-
nem , sive sint nuda , sive jurata, pro-
cedere etiam in Foro Fori, & renuen-
tem esse compellendum ad ineundum 28
Matrimonium, nisi ex rationabili cau-
sa excusetur , ut voluerunt *Gonzalez*
in d. Cap. Præterea n.5. de Sponsal.
Boss. de Contr. Matr. d. cap.11. num.35.
cum innumeris ab eo congestis *Ricc.*
resolut.406. & 419. par.4. Card. de
Laurea in 4. sentent. tom.3. n.232. di-
sput. 37. d. artic. 7. Perez disput. 6.
sect.2. n.6. Card. de Luc. de Matrim.
disc. 8. n. 2. & 3. Adden. ad Rot. de-
cis.431. n.65 part.4. tom.2. recen. &
decis.96. n.1. & seqq. cor. Pamphil. &
decis.1112. n.1. tom. 2. cor. Seraphin.

Nec obstare insuper admittimus ,
quod licèt de Jure Veteris Latii apud
Gellium lib. 4. cap. 4. ex Sponsalium
stipulatione olim actio ex Sponsu da- 29
retur, adhuc ea ex Jure Romano *Pan-*
dectarum , & *Codicis* nullam in Foro 30
externo pariat actionem ad text. *in*
l. 1. Cod. de Sponsal. = ibi = *Alii de-*
sponsatæ renunciare conditioni , &
nubere alii non prohibentur = ubi
Gloss notat id licere cum causa , & 31
sine causa , cui consentire videntur
Cin. Gratian. & Panormit. & notat
Aversa de Matrim. quæst. 8. sect. 8.
vers. Quinto dubitatur , ideòque al-
terutri Sponsorum etiam sine causa 32
esse pœnitere permissum .

Etenim vel præcitatus *textus*
æquiorem recipit interpretationem , 33
quatenùs intelligatur procedere sup-
posito pro dissolutione consensu utrius-
que Sponsi , ad differentiam Matri-
monii , quod nèc etiam utriusque
Sponsi consensu dissolvitur, vel dicen-
dum Civilis Juris dispositionem in 34
hac parte a Jure Canonico fuisse cor-
rectam , ut præter relatos advertit
Konig. sup.4. Decretal. tit.1. de Spon-
sal. num. 51.

Fatendum tamen est , quod hæc
DD. opinio , & Curiarum praxis co-
gendi Sponsum renuentem ad adim-
plendum *nuda* Sponsalia nullatenùs 35
Ju-

Juramento firmata non ita apertè ex
Jure Canonico comprobatur, quidquid
dicant vel cursim, vel ad opportunitatem
scribentes allegantes *textus*, qui loquuntur vel de Sponsali-
36 bus per verba de præsenti contractis,
quæ sunt verum Matrimonium, ut
sunt *textus* in *Can. Conjuges Can. Desponsatas Can. Atbo 27. quæst. 2.* quorum
casus erat de Matrimoniis ratis,
ut ex illorum tenore, & ex *gloss.* animadvertit
Perez de Matrim. disput. 6. sect. 1. vel de promissionibus juratis,
in quibus apparet perpendi specialem
37 rationem Juramenti ad inducendam
obligationem, prout constat ex *Cap. Ex literis* 10. *de Sponsal.* ubi ratio
decidendi maximè in Juramento fundatur = ibi = *Quia igitur prædicto*
38 *G. periculosum est contra suum Juramentum venire, mandamus &c.* = Item
ex *Cap. Requisivit* 17. *de Sponsal.*, ubi,
quod Mulier, Jurisjurandi religione
39 neglecta, nubere renuit cui se nupturam
interposito juramento firmaverat.
Et pariter ex *Can. Juramenti* 22. *quæst.* 5. qui dicitur a *Covarruv. in Epit. tom.* 1. *par.* 1. *de Sponsal. cap.* 4.
sub num. 2. ad comprobandam compulsionem
in Foro externo *optimus textus*; hujus namque verba ex *Chromatio*
desumpta non habent vim legis, nèc insuper ullam mentionem faciunt
nudæ promissionis, sed promis-
40 sionis juratæ, nèc ullo modo de compulsione
in Foro Fori loquuntur, imò
potius quod ibi statuitur de *Judicio Dei* solummodò, & consequenter
quoad *forum conscientiæ* tantum procedere declarant; Adeo ut unicum
textum, in quo nulla fit mentio Juramenti, habeamus in *Cap. Præterea 2. de Sponsal.*, in quo cavetur
eos, qui de Matrimonio contrahendo
41 sibi mutuam dedere fidem, commonendos,
omnibusque modis inducendos, ut datam fidem non frangant.
Verumtamen nequè ex hoc *textu* elicitur compulsio, non solum quia agitur
ibi de Sponsis, qui reciprocè resilire statuerant, quo casu neminem
42 latet liberum esse cuilibet spondenti
a Sponsalibus recedere, ut innuit ibi
Summarium = *Sponsalia de futuro dissolvuntur, si Sponsi se dissolvunt,*
etiamsi fuerint jurata = ad regulam
text. in *Cap.* 1. *de regul. Jur.* = ibi =
Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur = &
concordat *text. in l. Nihil* 36. *ff. eod.*
= ibi = *Nihil tàm naturale est, quàm eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est, ideò verborum obligatio verbis tollitur; nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur* =
cum similibus *Sperell. decis.* 95. *n.* 25.
verum etiam quia ex verbis literæ
manifestè deducitur posse illos per
Judicem suaderi, minis urgeri, sed 43
non planè compelli ad Matrimonium
contrahendum, ut, non obstante quoque
Juramento, habetur etiam in
d. *Cap. Requisivit* 17. *de Sponsal.* = ibi =
Cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere =

Quapropter non pauci Doctores,
quos colligunt *Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 6. *tom.* 1. *Antonell. de regim. Eccles. lib.* 5. *cap.* 2.
n. 4. inferunt Judici tunc solum incumbere
munus compellendi per censuras, ut Sponsalia de futuro impleantur,
cum constat ea fuisse Juramento 44
firmata, & in hoc etiam casu non ita
facilè, sed lento pede ad Censuras deveniendum
esse, nam in *Cap. Ex literis* 10. *de Sponsal.* etsi dicatur *Ecclesiastica Censura compellas*, non 45
omisso, quod hoc commodè potest
intelligi de mera comminatione Censuræ,
quocumque modo prætereà
prædicta verba interpretentur, ibidem 46
statim additur = *nisi rationabilis causa obstiterit* = quam non requiri
gravem, sed (quatenùs non fuerit
subsecuta copula, quemadmodum advertit,
sed obiter *Rot. cor. Ansald. decis.* 516. *n.* 8. *tom.* 5.) etiam levissimam
haberi pro rationabili, quia coa- 47
ctiones hac in re infelices exitus pariunt,
eamque sufficere, ut Judex 48
abstineat a coactione præclarè insinuant
Abb. in Cap. Requisivit de Sponsal. Præposit. in Cap. 1. *n.* 12. *de pact.*
aliique relati per *Mantic. de tacit. & ambig. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 13. *&* 17.
tom. 1. *Rot. cor. Molines decis.* 979. *n.* 4.
tom. 4. tàm si agatur de cogenda Foemina

H

mina *Rot. in Constantien. Sponsalium 26. Junii* 1748. § *Inapplicabilis cor. R. P. D. Elephantutio* , & 17. *Januar.* 1749. §. *Constabilita cor. R.P.D. De Vais*, quàm de cogendo Viro , cui pariter pro recessu aliqua probabilis causa suffragatur , ut colligitur ex pluribus *Decretis Sac. Congregat. Concilii* relatis in *Folio diei* 28. *Febr.* 1733. *in Gallipolitana Sponsalium* teste *Rmo P. Ubaldo Giraldi Scholar. Piar. Viro doctissimo ad Mascat. Instit. Canonic. tom.* 2. *lib.* 4. *tit.* 1. *de Sponsal. ad Cap. Ex literis* 10. nec non in *Not. ad Thesaur. de pœn. eccles. par.* 2. *verb. Matrimonium cap.* 7. *vers. Nota circa coactionem*, licet adversus Virum facilius admittatur coactio , quia resiliens a Sponsalibus gravissimum Sponsæ præjudicium infert , nam hujus honestas apud hominum opinionem suspecta remanet , cui malo non subjacet Sponsus, qui a Sponsa relictus alteram Fœminam, cui nubat, facilè poterit invenire juxta distinctionem , quam amplexa est quoque *Rot.* & nuperrimè *in Majoricen. Sponsalium* 25. *Aprilis* 1746. §. *Inapplicabilis*, & 16. *Januar.* 1747. §. *Nèc quidquam eor. R. P. D. Bussio & in d. Constantien. Sponsalium* 26. *Junii* 1748. §. *Inapplicabilis cor. R. P. D. Elephantutio* , & *in ejus Confirmatoria* 17. *Januar.* 1749. §. *Constabilita cor. R. P. D. de Vais*.

49 In quocumque tamen casu compulsio Judicis ad inducendum quoque Virum sine causa renitentem ad implenda Sponsalia non debet esse præcisa, sed moderata *Rot. d. decis.* 1112. *n.* 2. *cor. Seraphin* nèc ei incipere licèt a Censuris *Barbos. super Concil. Triden. sess.* 25. *de reformat. cap.* 3. *n.* 18. *vers. Censurarum remedium Rot. decis.* 142. *n.* 6. *par.* 15. *recen.* sed prius renuentem debito modo monere debet ad *text.* expressum in d. *Cap. Ex literis* 10. *de Sponsal.* = ibi = *Moneas, & si non acquieverit monitis &c. compellas* = & concordat *Can. Non invenitur in fin.* 23. *quæst.* 4. Deinde si monitione, minisque nihil proficiat , pœnam pecuniariam , & etiam aliquando carceres , aut alias pœnas corporis afflictivas adhibere poterit *Castropal. Oper. Moral. tom.* 5. *tit. de Sponsal. tract.* 28. *disp.* 1. *punct.* 8. *n.* 2. & demum si nèc hujusmodi remedia suppetant , tunc illi Censurarum gladio uti posse conceditur in *d. Cap. Ex literis* 10. *de Sponsal.* = ibi = *Et si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis Censuris compellas* = idemque generalitèr statuit *Sac. Concil. Triden. sess.* 25. *de reformat. cap.* 3. §. *Quod si executio.*

Quia vero præstabilius est Censuris parcere , ne contemnantur, pro- 50
ut Tridentini Patres *d. sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* generalitèr , graviterque monuerunt, quam generalem *Tridentini* sanctionem cordati Episcopi hodie sequuntur , quorum nullus acerbè nimis Censuris abutitur ad Sponsos urgendos , ut fidem impleant , idcirco quoties prævidetur Censuras quo- 51
que futuras inutiles , illasque facilè posse contemni , Judex Ecclesiasticus abstinere debet a coactione *Rot. decis.* 185. *n.* 5. *par.* 14. *recen.* & *eor. Pamphil. decis.* 96. *n.* 6. & si absque simili prævisione aliquando eas fulminari contingat , & post Declaratoriam altera pars pertinacitèr nubere renuat , sive sit Masculus , sive Fœmina , non est ulterius procedendum , sed re-
nuens venit absolvendus , etiamsi non 52
petat *Rot. decis.* 39. *n.* 19. *cor. Herrera* ex ea ratione , quæ militat tàm pro Masculis , quàm pro Fœminis , quod Matrimonia non debent esse coacta , sed libera *Cap. Requisivit* 17. *de Sponsal.* = ibi = *Cum libera debeant esse Matrimonia* = ne renuens fictè , ac sine consensu Matrimonium apparentèr contrahat , vel ita coactè consentiat , ut ex Conjugio pravus exitus timeatur , quemadmodum collectis concordantibus , plerisque *Sac. Rot. Roman. decisionibus* firmat *Barbos. in d. Cap. Requisivit* 17. *n.* 3. *de Sponsalib. Ea-* 53
dem Rot. decis. 142. *n.* 6. *par.* 15. *recen.* ubi *n.* 7. & 8. subjungit eumdem renuentem nèc damnari posse ad pœnam pecuniariam , ne pœnarum metu cogatur ad ineundum Matrimonium , in quo consensus liber , non coactus esse debet, & *decis.* 516. *n.* 5. & *seqq.* *cor. Ansald. tom.* 5. & in *Albanen. Sponsalium super Censuris* 26. *Junii* 1711. §. *Et hinc cor. Scot.* Et ita quoque *textus in Cap. Ex literis* 10. *de Spon-*

Sponsal., ubi dicitur compellendum esse per Censuras renuentem adimplere Sponsalia, conciliari posse videtur cum altero *text. in Cap. Requisivit* 17. *eod. tit.* ubi statuitur potius monendam esse, quàm cogendam Mulierem
54 renuentem ei nubere, cui se nupturam juraverat, ut præter a *Barbos. loc. cit.* relatos tenent *Boss. de Contract. Matrim. d. cap.* 11. *num.* 43. *Avers. de Matrim. quæst.* 8. *sect.* 8. *vers. Quinto dubitatur Antonell. de regim. Eccles. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. *Albit. de inconst. in fid. cap.* 9. *n.* 20. *Panimoll. decis.* 23. *num.* 18. *tom.* 1.

Hanc igitur praxim ita sumptam, & cum præmissis modis, ac cautelis exercendam sive Sponsalia sint nuda, sive jurata, nos quoque libentèr amplectimur, satisque novimus nullo ex recensitis Juris remediis in casu, de quo agitur, opus esse ad cogendum prædictum Adolescentem, ut adimpleat promissum, quippe qui in præterito Judicio omnes conatus adhibuit, ut Matrimonium suum haberet effectum, sed ut jam præmisimus, sive compulsio contra renuentem, sive licentia ineundi Matrimonium ad fa-
55 vorem utriusque Sponsi exequi Sponsalia petentis locum solummodò habere possunt, quando valida sunt Sponsalia, & rationabilis causa non obstat, non autem in hypotesi, ubi Sponsalia nullius roboris sunt ex ea gravissima, & rationabili causa, quia
56 invitis justè Parentibus fuere contracta, ut de Jure Civili est *text. in l. In Sponsalibus* 7. *ff. de Sponsal.* = ibi = *In Sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in Nuptiis desideratur* = & proindè nequaquam obligatoria, quia ex eis nulla proditur actio, quinimò liberum est nun-
57 tium remittere, & ab illis recedere *l.* 1. *Cod. de Sponsal. l.* 2. *Cod. de Repud. l.* 2. *Cod. de Inutil. stipulat. l.* 2. *ff. de Divort.* undè *Matthæus Monachus* cognomento *Blastares in Syntagm. Alphab.* apud *Berveregium tom.* 2. *pag.* 78.
58 sub lemmate legum recitat = *Tunc autem Filii, & Filiæfamilias contradicere dumtaxat possunt, cum moribus indignos, & turpes eis Sponsos Parentes eligunt. Si tales autem non sint, qui eis despondentur (licèt exhæredari se liberi malint, modo ne Parentum voluntati, sed suæ satisfaciant) omninò non valere eorum institutum sancimus. Nam cupiditates Juvenum ad exeidium, & interitum proprium tendentes omni modo coercendas esse leges ipsæ statuunt* =

Si Pater ergo Romanus, qui contracta jam Matrimonia Filiorum distrahere pro sua voluntate nequibat secundum posteriorem Jurisprudentiam, ut innuit *Paulus J. C. lib.* 2. *Sententiar. tit.* 19. = ibi = *Eorum, qui in potestate Patris sunt sine voluntate ejus Matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur* = (nam secundum antiquam id poterat) non impediebatur tamen Sponsalia 59
pro sua maxima voluntate dissolvere, explorati propterea Juris est Sponsalia, quibus Pater minimè consensisset, fuisse de Jure Civili penitus irrita, 60
cumque *Jus Romanum* in hac parte a *Jure Canonico* nusquam correctum reperiatur, idcircò dicendum est, quod ea Juris Civilis dispositio, qua hujusmodi Sponsalia irritantur, ha- 61
ctenus robur suum nunquam amiserit.

Hinc ruit objectum, quod Sponsalia clàm Patre facta tunc pro irritis habita fuerint, cum etiam Matrimonium invitis Parentibus contractum irritum erat, & proindè postquam *Jure Canonico* novissimo his Nuptiis, licèt illicitis, suus tributus est valor, censeri simul etiam debeat Sponsalibus suum valorem esse tributum, quasi 62
quod Sponsalia, & Connubium pari passu procedere videantur.

In primis enim nullo modo subsistit, quod secundum posteriorem Jurisprudentiam, ut diximus, tàm Matrimonia, quàm Sponsalia per Filiosfamilias insciis, vel invitis Parentibus inita habita fuerint invalida, sed tantummodò Sponsalia tamquam irrita Pater dissolvere poterat, circa quæ cum Jus Canonicum nihil expressè innovaverit, ideò in eodem statu ea reliquisse censendum ad *text. in l. Præcipimus* 32. *in fin. Cod. de appellat.* Præterea nèc etiam dici potest, quod Sponsaliorum, & Connubii contractus pari passu procedant, sed ita in- 63

H 2 ter

ter se sunt diversi, ut plures inter
eos intercedant disparilitates. Spon-
salia namque a Nuptiis differunt *No-*
64 *mine*, & *etymologia* Nominis; *Defi-*
65 *nitione*; deindè *Causa efficiente*, quæ
in illis est consensus sponsalitius, in
66 his consensus nuptialis; Item *Forma*,
quia Sponsalia perficiuntur pactione
de futuro Conjugio, Nuptiæ verò præ-
senti traditione, cohabitatione, & in-
dividua vitæ societate; & similitèr
67 *Fine*, qui in Sponsalibus est animo-
rum exploratio ad futuras Nuptias,
in his autem finis est ipsarum Nuptia-
rum adimplementum; pariterque Ma-
68 trimonium est Sacramentum irrevo-
cabile, & inter Puberes contrahitur,
Sponsalia nèc Sacramentum sunt, nèc
irrevocabilia, nèc solum inter Pube-
69 res, sed etiam inter Impuberes sti-
pulantur, diversosque habent effectus;
Tandem Jura Sponsaliorum, ac Con-
70 nubiorum contractum emptionis, &
venditionis imitantur *Tiraquell. de
leg. Connub. leg.4. num.5.* Nam quan-
ta est differentia inter promissionem
de vendendo, & actualem venditio-
nem, tanta intercedit inter Sponsa-
71 lia, & Matrimonium; neque in hoc
solum contractum emptionis, & ven-
ditionis Sponsalia sequuntur, sed in-
super quemadmodum in contractu em-
ptionis venditio distinguitur a tradi-
72 tione, per quam venditionis contra-
ctus consummatur, sic in re Conjugali
Sponsalia quidem venditionem, seu
promissionem venditionis referunt, &
73 subsequens Matrimonium traditionem
complectitur; Et sicuti per nudam
venditionem sine traditione Jus dum-
74 taxat ad rem acquiritur, traditio ve-
rò postmodum largitur Jus in re, sic
etiam Jus ad rem per Sponsalia, Jus
75 in re per secutum Matrimonium pa-
ritur; Ulterius in utroque contractu
tàm venditionis, quàm Sponsaliorum
76 arrhæ dantur, aut accipiuntur, &
utræque arrhæ eamdem vim habent,
nam quemadmodum hujusmodi ven-
ditio ante traditionem revocabilis est,
77 & potest a venditione, & emptione
recedi, si aut Emptor discedere vo-
lens arrhas datas relinquat, aut re-
78 cedens Venditor, quas accepit, red-
dat duplicatas *l. Contractus 16. in fin.
Cod. de fid. Instrument.* sic etiam ante
Matrimonium revocabilia sunt Spon-
salia, sed qui Sponsaliorum fidem non
vult implere, acceptas arrhas Spon-
salitias restituit duplicatas, aut si mi- 79
nor sit, simplas *l. 1.* ibique *Gloss.* &
l. Mulier 5. in princ. Cod. de Sponsal.
Insuper sicuti venditio irrita, inter-
dum accedente traditione roboratur, 80
sic etiam Sponsalia invalida, subse-
quente traditione, hoc est Matrimo-
nio, convalescunt, eoque modo,
quo venditio posteriori Emptori fa- 81
cta per priorem vitiatur, non ta-
men si posteriori venditioni etiam 82
traditio accesserit *l. Quoties 15. Cod. de
rei vindicat. l. Traditionibus 20. Cod.
de pact.* sic in re Connubiali secunda
Sponsalia per priora infirmantur,
Cap. Sicut 22. de Sponsal., sed si se-
cundis Sponsalibus traditio corporum,
hoc est Matrimonium, accesserit, hæc 83
Sponsalibus prioribus prævalere non
dubitatur.

Præterea quantum distat a veri-
tate, quod Matrimonium, & Sponsa-
lia, ut vidimus, pari passu procedant,
tantum abest, quod Tridentini Patres
eo modo, quo Nuptiis sine Patre fa-
ctis vigorem tribuerunt, sic eumdem
vigorem furtivis Filiorum Sponsalibus 84
tribuere voluerint. Quoties enim *Con-
cilium Tridentinum sess.24. cap.1. de
reformat.* testatur, quod Nuptias Pa- 85
rentum auctoritate defectas *Sancta
Dei Ecclesia semper detestata est, at-
que prohibuit*, sequitur, quod tàm
Matrimonium, quàm Sponsalia sint 86
illicita cum hoc discrimine, quod Ma-
trimonium licet illicitum, nexum in-
dissolubilem habet, quem non modo
dissolvere, ubi rectè coaluit, sed ne 87
tunc quidem, ubi subolet vitium, pro
infirmo, seu dissoluto haberi expedit, 88
nam in iis, quæ irrevocabilia sui natura
sunt, non solemus ex illicito, ac pro-
hibito pernecesse etiam nullitatem in-
ferre; at in Sponsalibus longe aliter
se res habet, in quibus utpote revo-
cabilibus, prohibere ne fiant, idem
est ac irritare jam facta, ut innuimus
in *Voto II. num.189.*, unde Sponsalia
post fidem alteri datam contracta,
quia Jure Canonico sunt prohibita,
continuò etiam sunt invalida; nam in
Spon-

Sponſaliorum , & pactorum omnium legibus tantumdem eſt prohibere ne quid fiat , ac factum infringere , dum enim lex aliquid paciſci , ſeu ſtipulari prohibet , idem eſt ac ſi illud turpe declaret ; Certi autem Juris eſt ſponſiones , pacta, & ſtipulationes tur-
90 pes nullius eſſe roboris *l. Generalitèr 26.l.Si Plogii123.ff. de verb.obligat. l. Jurisgentium 7. §. Si paciſcar verſ. Et generalitèr l. Si unus 27. §. Pacta, quæ turpem ff. de pact. l.5.Cod. de legib.* ſive ea turpitudo ex naturali honeſtate , ſive ex legum prohibitione promanet , & utraque hæc turpitudo his Sponſalibus citra ſcientiam, vel conſenſum Paternum contractis indubitantèr ineſt , quia & *naturali ratio-*
91 *ni*, ut ex *Inſtit. initio tit. de Nuptiis* colligitur, & etiam *Juri Civili* æqualiter adverſantur.

Ex hiſce igitur Sponſalibus, quibus obſtat rationabilis Cauſa Paterni diſſenſus nullam dignoſcitur pari obligationem , nullamque exinde rationem prodi ad illa ſervanda non tantum Jure Civili , ſed ne Canonico
92 quidem, quia talia Sponſalia Paterno conſenſu deſtituta uſque ab initio fuerunt invalida , adeout ne citari quidem Filius , aut Filia poſſit , ut in Ju-
93 dicio ſiſtat , ubi de juſto Patris diſſenſu non dubitatur, cumque talia Sponſalia deteſtanda ſint , atque prohibita,
94 poteſt tùm Jure patriæ poteſtatis multis modis compeſci Filius , ne fidem præſtet , tùm vero jam data fide Ju-
95 dex imploratus debet omnibus Juris remediis huic malo obviam ire ad impedienda , quæ prænotavimus in *Vot.I. n.*30. 120. 187. *& ſeqq.* & *Vot.II.n.6.* 7. 12. 13. *& ſeqq.* , *& n.26.* 27. 28. 46. 59. 77. 78. 80. 89. 93. *& ſeqq.* , 109. 126. *& ſeqq.* ſcandala , atque peccata *Del Bene de Immunit. tom.* 1. *par.*8. *dub.*19. *ſect.*9. *n.*43. = ibi = *Ad Judicis officium pertinebit cavere , ne contrahantur ſimilia Matrimonia , Quod non ſolum locum habet antequam*
96 *celebrata ſunt Sponſalia , ſed etiam poſt , quia promiſſio , quæ verſatur circa rem illicitam , ſcilicèt Matri-*
97 *monium cum ſcandalo , & peccato contrahendum* , NON OBLIGAT . *Quare tunc locum habet Juris regula 69. In 6. In malis promiſſis &c.* = quam obligationem Judicem habere confirmat *Bonaccin. Theol. Moral. tom.* 1. *tit. de iis , quæ pertin. ad Matrim. quæſt.*4. *punct.* 17. ubi *ſub n.*26. *verſ. Neque obſtat* ſubdit = ibi = *Neque obſtat vinculum Sponſaliorum jam celebratorum , tùm quia Sponſalia* NON 98
OBLIGANT *ad rem illicitam , tùm quia Sponſus non tenetur perficere Sponſalia , quando ex eorum adimpletione grave imminet malum , ſeu ſcanda-* 99
lum = Item *Layman Theol. Moral. lib.*5. *tract.*10.*cap.*1. *n.*14. *verſ. Enim vero* = ibi = *Si ex Matrimonio , quod Filius , aut Filia contrahere cogitat , ob diſparitatem Sponſorum timeatur Familiæ dedecus &c. tunc Parentes illud impedire poſſunt, ac debent, implorata etiam Judicis auctoritate, ad cujus officium pertinebit cavere , ne* 100
talia Matrimonia ineantur, ex quibus ſcandala , vel infelices exitus ſequi ſolent . Idque non tantum locum ha- 101
bet antequam Sponſalia celebrata ſunt, ſed etiam poſtea , quia &c. promiſſio NON OBLIGAT,*quæ verſatur circa rem illicitam , videlicèt circa Ma-* 102
trimonium cum ſcandalo , & peccato contrahendum,quare locum habet Juris regula ; In malis promiſſis fidem non expedit ſervari =

Hinc omnes Theologi conſentiunt prædicta Sponſalia nullatenus eſſe executioni demandanda , licèt non omnes eodem innitantur principio ; Plures ſiquidem ea præſertim inter impares invalida ab initio affirmant , reliqui vero putant diſparitatem Sponſorum non inficere valorem, ſed illum evaneſcere docent in caſibus, 103
in quibus vel proximorum injuria,vel ſcandalum , vel detrimentum pietatis, vel aliud grave incommodum ſequeretur , ut videre eſt apud Filliuc. *tract.* 10. *cap.*7. *n.*255. *Trullench. In prax. Sacram. tom.*1. *lib.*7. *cap.*2. *dub.*12. *n.*2. *Florentius Coq. tom.*3. *princ. Theol. cap.*12. *ſect.*3. *n.*10. *Silv. tom.*4. *In ſupplement. ad* 3. *par. D. Thom. quæſt.*43. *articl.*1. *quæſt.*2. *verſ. De priori Petr. a S. Joſeph in Theol. Sacram. lib.*4. *cap.*2. *reſolut.*7. *Eſcobar Theol. Moral.tom.*3. *par.*2. *lib.*24. *ſect.*2. *dub.*23. *verſ. Profecto Texeda tom.*2.

tom.2. lib.4. tract.1.n.79. = ibi = Cum
tanto dedecore Patris, & Propinquo-
rum scandalo implere non tenentur
promissionem, neque Matrimonium exe-
qui, quia Justitiæ virtus OBLIGARE
NON DEBET ad actum, qui sine peccato
104 impleri non potest, qualiter interve-
nit, si Puella tàm Nobilis cum Viro
inæquali Matrimonium contrahat cum
propria ignominia, & Patris mœro-
105 re = & paritèr Gobat. Experiment.
Theolog. tract.10. cas.3. n.105. = ibi =
Si tamen Matrimonium Filii, aut Fi-
liæ esset cessurum in probrum Paren-
106 tum, Sponsalia non subsisterent, utpote
conjuncta cum injuria Tertii = conve-
nit Reginald. in prax. pœnit. tom. 2.
107 lib. 31. cap.36.n.264. in fin. = ibi = Si
lædetur proximi caritas, dissolvetur
Parentum pietas, & Cognatorum ami-
citia, cum peccatum sit talitèr con-
trahere Matrimonium, Sponsalia, qui-
bus id promissum est, quia sine peccato
108 impleri non possunt, censeri debent di-
rempta = Eamdem sententiam ample-
ctitur Castropal. par.5. tract. 28. di-
sput.1. punct.27. n.7. = ibi = Si alte-
rius Partis Parentes obstinatè contra-
dixerint, ex qua contradictione time-
ri merito possit discordia gravis inter
Parentes, seu Consanguineos Sponso-
109 rum &c. uterque a Sponsalibus solvi-
tur, quia in eo eventu utrique durus
est Contractus, & gravi periculo ex-
positus mali exitus = nec non Gibal-
lin. de Usur. lib.3. cap.2. artic.6.n.5.
= ibi = Si grave aliquod scandalum ju-
remeritò timeatur ex futuro illo Ma-
110 trimonio, contrahendum non erit, si-
ve verè, sive fictè fuerit promissum =
nèc dissentit Mastrius in 4. sentent.
disput.7. quæst.9. artic.3. n.275. cæ-
terisque plurimis omissis concordat
111 Perez de Matrim. disp.5. sect.3 = ibi =
Virtus Justitiæ OBLIGARE NEQUIT ad
actum, qui sine peccato impleri non
potest, ut certum est, at contrahere
Matrimonium cum magno scandalo est
culpa lethalis, cum notabilitèr cari-
tas proximi lædatur, & Cognatorum
amicitia dissolvatur &c. Hinc colligo
112 posse Patrem impedire Sponsalia Filii,
vel Filiæ contra ejus voluntatem ini-
ta, interveniente magno scandalo.
His accedit auctoritas Canonista-
rum, inter quos Engel. Jur. Canon.
tom.3. lib.4. tit.2. num.11. Guttierez
de Juram. confirm. par.1. cap.51. n.4.
post med. & lib.1. quæst. Canonic.
cap.20. præcipuè num.23. & de Ma-
trim. cap.4. num.3. = ibi = Valida sunt
Sponsalia de futuro &c. = & num.4. =
Superior tamen sententia limitanda
est, nisi scandalum magnum ex eo
Matrimonio timeretur, nam virtus
Justitiæ OBLIGARE NON POTEST ad
actum, qui sine peccato adimpleri non
potest, sed contrahere Matrimonium
cum magno illo scandalo est apertè le- 113
thalis culpa, quia notabilitèr caritas
proximi læditur, dissolvitur Paren-
tum pietas, & Cognatorum amicitia;
Ergo &c. = & pariter Zipæus Respons.
tom.1. lib.4. de divort. respons.3. n.4.
in fin. ubi, etsi scribens ad opportu-
nitatem pro tuenda Virgine turpiter
decepta, quam non fuisse imparis con-
ditionis respectu Viri contendit, ni-
hilominùs ex communi Doctorum fa-
tetur = Inæqualitatem Contrahentium
obsistere, quando ex inæqualibus Nu-
ptiis scandala, odia, similiave incom-
moda oritura sint, qualia evitare ju-
beat caritas, & quæ sine peccato mor- 114
tali admitti vix possint = idque repe-
tit consult. Canon. lib 4. de Sponsal. tit.1.
n.18. pluribusque citatis Zaul. ad Stat.
Favent. rubr.26. n.40. lib.4. tom.1.
ubi firmat esse impedienda talia Ma-
trimonia etiam post contracta Sponsa- 115
lia, necnon Card. de Luc. de Matrim.
disc.8. num.11. & seqq., ubi agens de
justa causa solvendi Sponsalia num.17.
concludit = Quoniam ubi ratione inæ-
qualitatis scandalum in Civitate, vel
in Cognatione, seu aliquod dedecus Fa- 116
miliæ, vel Domui resultat, adhuc dici-
tur justa causa ex deductis per Sanchez
de Matrim. lib.1. disp.14. num 3. & 4.
apud quem concordantes = quibus præ
aliis addimus Navarr. in Manual. cap.
16 n.18. Gonzalez in d. Cap. Præterea 2.
n.8. vers. Quando verò de Sponsal. Felin.
cons.26. Pignattel. consult.11. num.1.
tom.4., & ex Civilis Juris Interpreti-
bus De Marin. resolut. quotid. lib. 2.
cap.132. num.7. tom.2. Perez ad l.1.
tit.1. lib.5. ordinam. Pasch. de Patr.
potest. par.2. cap.5. & signanter n.21.
Costa aut scieb. aut ignor. dist.40.
cent.2.

cent.2. in responso ibidem impresso num.61.

Quæ cum ita sint, nullatenus tuta conscientia favere potuimus instantiæ prædictæ Fœminæ contra expressam voluntatem Matris, & Consanguineorum Sponsi justissimè reluctantium, nèc in his terminis aliquem Judicem inveniri posse putamus, qui nihili faciens tot gravissima peccata,
117 quæ ex Matrimoniis hujusce generis, ut plurimum, oriuntur, & oriri posse semper est timendum, se eorumdem debitorem facere non dubitet, nisi sit aliquis Judex, qui tollat peccata Mundi, quodque est peccatum non impediri debere, sed eidem quemcumque Judicem impune cooperari posse maximo cum errore opinetur.

Quare perperam objiciebatur praxis Curiarum Ecclesiasticarum, in quibus Sponsalia injussu Parentum peracta valida videntur haberi, nam,
118 instantibus Sponsis, Episcopi, & Vicarii Generales non solum interponunt Decreta de contrahendo, verum etiam, ne turbentur a Parentibus Nuptiæ, dant veniam contrahendi sine præviis denunciationibus, de qua praxi incidenter loquitur *Molina tom.2. de Justit. disput. 271. num. 4. Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 9. num.10. tom.1.* cum nonnullis etiam Forensibus.

Isti siquidem vel loquuntur de ea praxi non contemnenda, sed omnino servanda in iis casibus, in quibus, attentis omnibus circumstantiis,
119 irrationabiliter, & immeritò Parentes dissentiunt, vel si loquuntur de praxi concedendi licentiam Filiisfamilias ineundi Matrimonium, relu-
120 ctantibus justè Parentibus, nequaquám sunt attendendi.

Tum quia nullam reperiri posse credimus Episcopalem Curiam, in qua Pater opponens suum justum dissensum rejiciatur, sed imo & audiri
121 Parentes pro certo habemus, & illorum dissensum actis Matrimonialibus insinuari, ac hujus dissensus debitam haberi rationem, sed tamen sicubi forte minor habetur ratio, quam par sit, id hominum, non legum imbecillitati est tribuendum, nec id quærendum est, quod unus, vel alter 122
Prælatus in suo Tribunali sequatur, verum quid ii præ cæteris faciant, qui prudentiam Juris utriusque apprimè tenent, quique ad hanc prudentiam studio partam, illam alteram animi facultatem, quam prudentiæ virtutem appellant, æqualiter adjungunt, a 123
quibus in hac parte Curiæ praxis est omnino petenda, inter quos merito connumerari potest *Ricc.* qui ut testatur in *decis.24. par.3.* in simili casu fuit auctor, ut quoddam Matrimonium quod invitis Parentibus, & Propinquis cum Fœmina imparis conditionis Filius contrahere cupiebat, in perpetuum impediretur, nec non eadem praxis petenda est a Summorum Pontificum responsis, a sacris Canonibus Conciliorum sive Generalium, sive Provincialium, de quibus in *nostro Vot. I. num.41. & seqq.*, fidem clarissimam facientibus veram Ecclesiæ praxim semper fuisse in detestandis, profligandisque Nuptiis etiam 124
ex solo Parentum rationabili dissensu illicitis reputatis, & maxime a *Sac. Concilio Tridentino cap.1. sess.24. de reform.*, ubi testatur, quod Connubia Filiorumfamilias, & consequenter etiam Sponsalia sine consensu Parentum contracta *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est*, 125
atque prohibuit.

Tum quia quoadForenses non omnes pro veritate loquuntur, sed nonnulli Causidici mercede conducti non parendi studio,sed Causæ, nec veritati 126
servientes, sed studio Partium abrepti per mille ambages, ac mæandros id tantum enixè laborant, ut cum nigro album, & cum albo nigrum effingant, & ubi sua defuncti sunt opera, quæcumque per calorem, atque concertationis æstum in suis scripturis exaraverunt, ea *Allegationes*, *Disceptationes*, *Consultationes*, *Consilia* aut *Singularia &c.* inscribentes in Volumina componunt,& in publicum edunt, eaque jam pro *Prudentum responsis* haberi incipiunt, jam eorum scitis, & auctoritate Fora personant, iisque 127
præsertim Tyrones imbuuntur, qui deinde patrocinio Causarum addicti Clien-

Clientes decipiunt, & ipsi decipiuntur, quod cum maximo litigantium præjudicio non eveniret, si ad præbendum justum Clientibus consilium, & ad suadendum sapientissimorum Judicum animum, non a prædictis Voluminibus, sed ex *text.*, *Bartol.*, *Bald.*, quorum excellentium Juris Interpretum scripta immeritò neglecta vix hodie reperiuntur, nècnon ex iis aliis *Auctoribus* Juris articulorum enodationes ab initio peterent, qui magno cæteroqui
128 judicio præditi veritati, non Partium studio inservire suis in Commentariis tantummodò studuerunt, quique, dum per otium in suo scripsere secessu, induentes Judicis animum, atque mentem, ac veluti pro Tribunali sedentes, absque ulla pecuniæ, seu victoriæ libidine excitati, non quid dicendo probabile effici possit, sed omninò quid verum, & justum sit perscrutati, ea demum victuris chartis commendarunt, ad differentiam prædictorum Causidicorum, qui scribendo, quæ sua sunt, suorumque Clien-
129 tum quæsierunt, per quos hodie eo ventum est, ut jam legalis prudentia, criminumque, & quæstionum severa olim disciplina miro prorsus scepticismo laboret, nèc jam suis carere auctoritatibus ea videmus, quæ per-
130 spicuæ legum sententiæ opponuntur, ut in proposito his ferè verbis advertit etiam *D. Canonicus Alexius Symmacus Mazochi* Vir literis, & eruditione clarissimus in *not. ad dictam Dissertat. super Sponsalibus Filiorumfamilias doctissimi D. Archiepiscopi Muscettola*.

Ejusdem irrelevantiæ est alterum objectum, quod si alter Sponsorum reluctetur, altero instante Ordinarius
131 urget per Juris remedia refractarium ad servandam Sponsaliorum fidem; Id enim si aliquando practicatur, invitis etiamParentibus, profectò evenit, aut saltem evenire debet, cum aliqua Fœmina, habita fide de futuro Conjugio, fuerit a Filiofamilias sub hac
132 fide stuprata, modo sit æqualis conditionis, nèc Sponsi Familia per tale Matrimonium deturpetur.

Ad illud autem quod opponebatur ad ulterius demonstrandum, quod hujusmodi Sponsalia a Prælatis validissima reputantur ex eo, quia aliquis ex illis, reclamante Patre, post Sponsalia per ejus Filium cum indigna contracta Matrimonium retardat, sed hæc priora Sponsalia esse valida existimat, quoties infirmare opinatur posteriora auctore Patre cum digna persona ce- 133
lebrata, & impedire, ne hæc secunda Sponsalia per consensum de præsenti transeant in Matrimonium, quamvis verum sit, quod animum alicujus Judicis hoc scrupulum torquere soleat, attamen ad idem tollendum placuit Scribentium pro Matre Adolescentis, de quo agitur, opportuna responsio, quod *Tridentina Synodus* videtur saltem implicitè ea prima Spon- 134
salia habuisse irrita, & invalida, dum ait Ecclesiam illa detestatam semper esse, ac *prohibuisse*, quemadmodum pro invalidis habentur a Theologis, utpotè quæ Juris Canonici, & Civilis generalibus regulis de turpibus promissionibus adversantur; quare cum *Ricc. loc. cit.* Matrimonio subjungebant afferri quidem impedimentum impediens per prima Sponsalia secundis, modo tamen prima sint valida, non autem invalida, prout invalida esse Sponsalia injussu Parentum contracta præter supra laudatos docet *Franc. de Amic. tom.9. disput.29. sect.4. num.71.* = ibi = *Casu, in quo cum probabili periculo futuri scandali Sponsalia contraherentur, quia non possent executioni mandari sine peccato, quod committeretur in ipso Matrimonio ineundo*, INVALIDA *forent* = & rursus *disput.31. n.1. in fin.* = ibi = *Quia cum Sponsalia sint promissio ex justitia obligans ad Matrimonium futurum contrahendum, nullaque illicita promissio possit promissorem ex justitia ad promissum servandum obligare, quotiescumque Matrimonium est illicitum, etiamsi sit validum*, INVALIDA *erunt Sponsalia* = convenit *Cotton. contr. celeb. lib.5. contr.1. de Matrim. cap.2. n.43.* = ibi = *Obligant, nisi prævideantur secutura scandala inter Consanguineos, namtunc impleri non possunt sine peccato, & promissio, quæ impleri sine peccato nequit*, IRRITA EST = idem confirmat *Ferdin. de Valent. discept.5. n.29.*

de re

de re Eccles. & in terminis generalibus *Dicastillo tom. 3. de Sacramen. tract. 10. de Sponsal. disput. 1. dub. 31. a num. 432.* = ibi = *Generaliter loquendo, qui nequit contrahere licitè, etiam nequit* VALIDE' *promittere, neque enim* VALET *promissio, quam promittens implere non potest licitè, nulla enim promissio rei illicitæ* VALET, *aut* OBLIGAT = disertius *Konig. sup. 4. Decretal. tit. 1. de Sponsal. §. 6. num. 24.* = ibi = *Materia, seu objectum Sponsalium est Matrimonium licitum; dixi licitum, enim vero* VALIDE' *promitti nequit, nisi per se licitè contrahi possit. Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, aut impossibile de jure, vel de facto* NULLAM OBLIGATIONEM INDUCIT = undè clarè patet esse impedimenta tantum moratoria,
135 seu dilatoria comparatè ad Matrimonium cum diversa persona, non vero peremptoria, aut absolutè impedientia, per illa namque mora injicitur Nuptiis, at mox constito ea fuisse invalida, Decretum de contrahendo impetratur.

Revera tamen, ut diximus, nonnunquam accidit, quod aliquis Judex illa pro invalidis habere renuat, ex quo sequitur, non quod ex illius sententia Sponsalia cum indigna contracta non retardentur, sed quamvis illis contra justam Parentum voluntatem, atque dissensum pro tunc executionem dan-
136 dam non esse decernat, per ea tamen impedimentum alteri digno Matrimonio, consentientibus Parentibus, celebrando afferri supponit, ad quod impedimentum removendum non aliud efficacius remedium Parentes invenire so-
137 lent, quam viles testes pecunia corruptos producere perjuraturos illorum Filium præcedenter fidem dedisse alteri Mulierculæ, quæ & in idem perjurium se se componit, quæque hoc præstito Juramento, suaque intentione cum falso prædictorum Testium comprobata testimonio, consensum deinde præstat eidem Filio, ut Matrimonium cum altera de Parentum consensu contrahere valeat; & quidem non alia seges est perjuriorum feracior, quam hæc, quæ ab hujusmodi fictorum Sponsalium falsis, calumniosisque probationibus oritur. Nihil igitur magis e re Christiana, & publica esset, quam a quolibet Judice invalida, ut par est, declarari Sponsalia a Filiisfamilias injussu Parentum contracta, seu verius attentata, ad præcidendas occasiones 138
perjuriis, propter quæ hodiè malè audit Christianum nomen, cum enim nulla sit Divini nominis reverentia, nulla jurisjurandi religio, non tantum non licet deferre Juramentum ei, 139
quem scias perjuraturum, sed & præcludendas esse necessarium videtur perjuriis rimulas omnes, per quas perreptare possint; Hinc si a quolibet Judice, inhærendo prælaudatæ *Sacri Concilii Tridentini* sanctioni, eadem furtiva, atque indigna Sponsalia usque ab initio nulla declararentur, impe- 140
dita remanerent prædicta perjuria, quibus aliquæ Episcopales Curiæ polluuntur, tunc enim non opus haberet Pater ad has falsitates confugere, si quæ impugnat Filii Sponsalia, habeantur invalida, nèc in futurum Mulierculas instrueret testaturas sibi antea fidem fuisse datam ab illius Filio de secum ineundo Conjugio, quando hæc etiam ficta anteriora Sponsalia, non secus ac posteriora, irrita forent habenda, utpote utraque cum indigna, & invito Genitore contracta.

Et quamvis nullam hactenus Pontificiam invenire potuerimus Constitutionem hujusmodi Sponsalia invitis justè Parentibus inita usque ab initio invalida apertissimè declarantem, urget nihilominus ea potissima ratio, quod sicuti Sancta Dei Ecclesia *semper* illa detestata est, atque prohibuit, ita *semper* eadem *turpia* ex hac sola prohibitione fuerunt, ideoque uti *turpia*, si fiant, nullum robur habere debent.

Urget etiam saltem implicitamens *Sacri Concilii Tridentini* nullatenus præsumenda contraria in materia peccati Juribus tàm Civilibus, quàm Canonicis, quæ sæpissimè clamant pacta, & stipulationes turpes nullius esse roboris, nullosque producere effectus *l. Generaliter 26. ff. de Verb. obligat.* cum aliis supra relatis *num. 90.* nèc promissionem cum Juramento quoque firmatam de re inhonesta, & illicita mortaliter, seu venialiter ullam parere obligationem

Cap. Si vero 8. *Cap. Quanto* 18. *Cap. Cum contingat* 28. *de Jurejur. Cap. Quamvis* 2. *de pact. in* 6. *Canon. Si publicis Can. Est etiam Can. Quod David Can. Juravit David Can. In malis promissis Can. si aliquid Can. Unusquisque Can. Non est observandum Can. Si quis Can. Si ad peccatum Can. Mulier Can. Inter cætera Can. Innocens* 22. *quæst.*4.

Et quemadmodum perperam contristatus est Herodes propter jusjurandum, cum ab eo vigore Juramenti petitum fuit Caput Præcursoris, quia promissio per ipsum genericè facta, ideoque juxta erroneam illius opinionem pactum etiam turpe, & peccaminosum involvens, usque ab initio, & in radice fuit invalida, & nullius roboris, atque momenti, prout si nunquam facta fuisset, nulloque Jure cogente ullam parere potuit obligationem ad illam adimplendam, quia *sine peccato* eam adimplere nequibat, ita nulla fuit usque ab initio, nulliusque roboris, & momenti, nullamque parere potuit obligationem promissio Filiifamilias, quia promisit, vel juravit in Sponsalibus, quod tàm *de Jure naturali, & Divino*, quàm *de Jure Canonico* contra Parentum voluntatem, vel iis inconsultis, *sine peccato* adimplere non poterat.

Et hinc est quod non videtur in Jure temerarium, imo veritati consentaneum esset asserere, quod si post justam Parentis oppositionem adversus attentata Filii Sponsalia, ipsemet Parens moriatur, Filius cogi nèc etiam deinde possit ad desponsandam Fœmininam vigore eorumdem Sponsalium, contradicente Parente, initorum, sed cum ea usque ab initio nulla fuerint, qua nullitate attenta, vivente Parente exequi non potuerunt, ideo post illius obitum opus sit novo consensu, seu nova promissione ad ea validanda, quæ tamen nova promissio, sive consensus nèc etiam sufficeret, si ageretur de Sponsalibus indignis, ad quæ impedienda non solum Parentes, sed & Consanguinei plenum Jus habent.

Ulterius *quoties urget justa causa* vel rescindendi, vel nulla declarandi Sponsalia, pia Mater Ecclesia Sponsis primævam libertatem restituere consuevit, ut testatur *Rot. decis.*497. *n.*1. *part.*1. *divers. & decis.*242. *n.*2. *cor. Duran. & decis.* 296. *sub n.*8. *cor. Dunozet Jun.*, *& decis.* 979. *n.*3. *cor. Molines tom.*4. itaque decrevit *Sac. Congregat. Concil. in Senogallien. Sponsalium* 1. *Septembr.*1714. *& in Majoricen. Sponsalium* 24. *Aprilis* 1723. *& in Mediolanen. & Salernitan. Sponsalium* 13. *Junii* 1725. *& in Neapolitana* 17. *Aprilis* 1728. *& in Gallipolitana Sponsalium* 28. *Feb.* 1733.

Inani tandem conatu Fœminæ Defensores nobis insinuare studebant, quod sive pro invalidis habitis, sive Judicis ope rescissis, atque solutis hisce Sponsalibus, vel utriusque spondentis minuitur libertas, vel Jus Fœminæ quæsitum per expressam Sponsi promissionem sic injustè, ac turpiter læditur, quemadmodum ita nonnulli 141 alii quoque Forenses clamare solent, quos sequuntur etiam aliqui Confessarii vel in officio, vel in scientia ty- 142 rones, qui non solum salutaria, ac vera consilia hujusmodi Adolescentibus insubsistenti fide horum putativorum Sponsalium obstrictis debito tempore non suppeditant, nèc ab initio in eorum animis primas extinguunt opportunè scintillas ingens deindè incendium excitaturas, sed potius maximum se Deo præstare obsequium existimantes, officio certè suo desunt, 143 inferuntque animabus ruinam, dum Pœnitentes terrent, ne fides frangatur, dum Judices pulsant, ne Juri jam quæsito turpiter derogetur.

Quod enim attinet ad libertatem, ultra plura argumenta ex juribus, ex Doctorum consensu, & ex naturali ratione in precedenti *Vot. I. num.*133. 144 *& seqq.*, *& num.*167. *& seqq.*, *& num.*173. *& seqq.*, *& in Voto II. n.*99. 105. 108. 114. *& seqq.* sæpius inculcata, ad abundatiorem adducere quoque non piget *Dicastill. tom.*3. *de Sacram. tract.*10. *de Sponsal. disp.*4. *dubit.*18. *num.*179. = ibi = *Neque vero censetur impediri libertas Matrimonii, quia hæc debet esse citra scan-* 145 *dalum aliorum. Nèque etiam censetur impediri, nisi quando impeditur ad id, ad quod quis habet jus. Id autem non habet Filius ad Nuptias Patri injuriosas &c.* = consonat *Gibalin. de Usur. tom.*

146 *tom.2. lib.4. cap.5. artic.9. n.4.*=ibi=
Nèque libertatem, quam in Matrimonio requirit Ecclesia violant, sed libertatis, quam malè prætendunt,
147 *abusum. Nèque enim omnimoda libertas requiritur in Matrimonio, alioquin nunquam Judex posset quemquam cogere ad Matrimonium* = aliique *loc. cit.* ad satietatem congesti, inter quos maximè fortius argumentatur *Opatov. de Matrim. disput.2. quæst.* 18. *n.*158. = ibi = *Nota si contingat, quod Pater Sponsalia invita Filia ex justa causa dissolvat, dico quod libertas nubendi non minuitur, sed regulariter perficitur, & ratio est, quia esse liberum*
148 *ad malum faciendum, potius est defectus, & imperfectio libertatis* = optimè *D. Anselm. in Dialog. de liber. arbitr. cap.*1. = ibi = *Nèc libertas, nèc pars libertatis est peccandi potestas* = idque eleganter confirmat *D. Augustin. lib.*14. *de Civit. Dei cap.*11. =ibi= *Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cum vitiis, peccatisque non servit* =

Minus subsistit, quod turpiter ita spolientur Mulieres Jure per Sponsalia jam quæsito, quodque iniquum sit, ut Judicis auctoritate tàm enormis injustitia fulciatur; Nullum enim
149 Jus consurgere ex promissione circa rem illicitam, quæ sine culpa impleri nequit, supra *num.*97.98.102.140. satis, superque probavimus. Præterea Judex potest, ac debet prohibere, ne
150 suo Jure utatur quem videt vel in sui, vel in aliorum perniciem abusurum, unde Justitiam minimè lædit, sed illam optimè servat idem Judex si Prodigo, qui sine dubio super omnibus suis bonis Jus habet, atque dominium,
151 per ipsum eorum interdicatur administratio *l.*1. ibique *gloss. ff. de Curat. furios.* per quod interdictum ei quoque
152 remanet adempta facultas testandi, & testamentum ab eo conditum irritum habetur §. *Item prodigus Instit. tit. Quib. non est permissum facer. testam. Card. de Luc. de alienat. disc.* 36. *per tot.* Nèc justitiam lædit, qui retinet alterius bona, nèc illa restituit, si
153 certo agnoscat illarum restitutionem Domino, vel alteri nocituram *D. Thom.* 2.2. *quæst.*62. *artic.*5. *ad primum*=ibi=
Dicendum, quod quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui = latè pluribus citatis *Dicastill. de Just. & Jur. lib.2. tract.2. disp.*10. *dub.*5. *Card. de Lug. de Just. tom.*1. *disput.*21. *sect.*2. *n.*24. ubi dat exemplum in eo, qui petit gladium proprium ad se vulnerandum,
vel pecuniam sibi debitam ad se ine- 154
briandum, vel ad fornicandum, & *num.*29. firmat, quod restituens rem, qua prævidetur ipsius rei Dominus
abusurus in alterius injuriam, peccet 155
contra justitiam, ac teneatur ad damna, si quæ sequantur, quæ quidem in indignis Nuptiis, quoad similes pravos effectus, verificantur, ut jam præmisimus, utque observat *Acac. de privil. Parent. & liber. privil.6. cap.6. n.*16. = ibi = *Ipsis liberis, qui hanc eis fenestram aperire volunt, pessimè consulunt, & quæ felicitas, qui successus*
Matrimoniis adsit, quæ invitis Paren- 156
tibus contrahuntur? Quid de odiis inter Parentes, & liberos, inter Soceros, & Generos hinc nasci solitis? Inter ipsos plerumque, qui coeunt ad istum modum discordiæ, diffidiaque vel hac ipsa de causa oriuntur = egregiè *Lel. Mancin. Jur. centrov. tom.*1. *differt.*10. *cap.*2. *num.*32. = ibi = *Neque hoc Sponso, aut Sponsæ, cui fides rumpitur, damnosum videri debet,*
imò eis consulitur, salubriùsque pro- 157
videtur. Sic namque invitum, invitamque Judex servat, & quasi gladium, quo se enecent, petentibus negat = Item *Opatov. de Matrim. disput.*1. *quæsit.*2. *num.*22. = ibi = *Sed dices, quod Judex Actori faceret injuriam.*
Respond. illam non facere, nam illius 158
utilitati consulit. Siquidem liberat eum a periculo continuorum jurgiorum, & dissensionum =

Concludendum igitur, quod aut hujusmodi Sponsalia sine peccato exequi possunt, & illis est annuendum, quoties reperiatur, qui subsequens Matrimonium invitis justè Parentibus
contrahendum a peccato reddat im- 159
mune, quem hactenus expectamus, aut nonnisi cum peccato mortali, seu saltem veniali subsequens Matrimonium contrahi valet juxta mitiorem

opinionem *Salmaticens. Theol. Moral. tract.9. cap.6. punct.2.n.19.* = ibi = *Et quidem veniali ter peccare* NULLI DUBIUM EST, *quia in eo reverentiam Parentum offendunt, obedientiam debitam ipsis frangunt, pacem turbant, & plures dissensiones tàm cum Parentibus, quàm cum Consanguineis excitant, quod ad minus erit peccatum veniale* = (quod tamen justo concurrente Parentum dissensu propter Filiorum inobedientiam in re gravi nonnisi maxima cum difficultate admittendum putamus) & nullo modo, nullo Jure, nulla auctoritate quodcumque peccatum committere, seu peccato sive mortali, sive veniali voluntario cooperari debemus.

Et ita &c. utraque &c.

ANONYMA SPONSALIUM CUM JURAMENTO

ARGUMENTUM

Nèque Filiifamilias, invitis Parentibus, nèque quilibet alius cum dedecore Familiæ contrahere potest Matrimonium cum indigna, quamvis præcesserint Sponsalia juramento firmata.

SUMMARIUM

1 *Facti species*, & num.2.

3 *Filiusfamilias contrahens Matrimonium cum indigna committit grave peccatum, & sacrilegium ob injuriam Parentibus, & Familiæ illatam*, & n.12. & 13.

4 *Tàm de Jure Divino, quàm positivo, & Canonico*, & num.210.

5 *Sancta Dei Ecclesia hujusmodi Matrimonia semper detestata est, atque probibuit*, & num. seqq., & num.31. 116. 211.

11 *Et a Sacris Canonibus sunt damnata*, & num. seqq.

14 *Conjugia sine Parentum consensu inita inter Clandestina recensentur*, & num.15.

16 *Non tamen sunt irrita, sed illicita.*

17 *Tres sunt species Clandestinitatis Matrimonii.*

18 *Prima dicitur quando Masculus, & Fœmina tentant contrahere Matrimonium coram Parocho sine Testibus, vel sine sufficienti numero Testium.*

19 *Secunda quando tentant illud contrahere coram Testibus sine Parocho.*

20 *Tertia, quando contrahunt Matrimonium coram Parocho, & Testibus omissis culpabilitèr denunciationibus.*

21 *Prima, & secunda causant nullitatem, non autem tertia.*

22 *Ad hanc tertiam speciem reducuntur Matrimonia clàm Parentibus copulata.*

23 *Eaque Clandestina etiam Protestantes appellant.*

24 *Denunciationes ante Matrimonium adhibentur maximè ad detegendum impedimentum Paterni dissensus, isque fuit præcipuus denunciationum finis, quem Tridentini habuere Patres;*

25 *Testantur prædicti Patres Ecclesiam Matrimonia injussu Parentum facta semper prohibuisse.*

26 *Conqueruntur has prohibitiones non prodesse, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur.*

27 *Pro remedio præscribuntur Denunciationes, ut Parentes Matrimonia impedire valeant.*

28 *ideoque in Episcopalibus Curiis sunt audiendi.*

29 *Alias inutile esset tale remedium, imò melius fuisset, quod illud Concilium non præscripsisset.*

30 *Nunquam S. Thomas asseruit liberum esse Filiis invitis Parentibus, contrahere Matrimonium.*

32 *Filii Parentibus, qui eos vel a quibuscumque Nuptiis in genere arcere, vel ad certas Nuptias cogere vellent, obedire non tenentur.*

33 *Libera est Hominum voluntas in ordine ad electionem sui status vel Conjugalis, vel Cælibatus.*

34 *Unde Filius liber est, ut maneat Cælebs, nèc se subjiciat servituti Matrimonii.*

35 *In hunc sensum loquitur Tridentinum sess.24. cap.9. de reformat. Matrim.*

36 Ex

36 *Ex cujus dispositione vetitum est cogere quemquam ad contrahendum Matrimonium cum certa, & determinata Persona.*

37 *Aut quemquam impedire ne eligat statum Conjugalem.*

38 *Non autem, quod non possit prohiberi Filio ne cum certa Persona, præsertim indigna Matrimonium contrahat.*

39 *Parentum appellatione venit etiam Mater.*

40 *In Nuptiis Filiorum Jus Canonicum exigit consensum etiam Matris.*

41 *Reverentia a Filiis æque exhibenda est Patri, & Matri, illaque post obitum Patris integra exhiberi debet erga Matrem superstitem.*

42 *Ubi agitur de communi bono nulla habenda est ratio Patriæ potestatis, quam leges, & Jura Romana sanxerunt.*

43 *Matrimonium, invitis Parentibus, a Filio contractum est validum.*

44 *Sed illicitum, peccaminosum, & non permittendum.*

45 *Juramentum Sponsalibus novum vinculum addit, magisque peccat, qui fidem frangit sub Juramento promissam.*

46 *Sunt qui tradunt Sponsalia nuda eamdem vim habere, quam jurata.*

47 *Quia apud Deum paris conditionis est simplex promissio, & Juramentum.*

48 *Nec Deus facit distinctionem inter Juramentum, & simplicem loquelam.*

49 *Quæ tamen per exaggerationem dicta censentur;*

50 *Nam specialis reverentia Deo debetur, quando per Jusjurandum vocatur in Testem.*

51 *Sponsalia jurata potiori jure, quàm nuda sunt servanda sub gravi culpa.*

52 *Jurans non Homini tantum, sed etiam Deo promissum reddere tenetur, quem uti Testem, & Fidejussorem adhibuit.*

53 *Si Sponsalibus accesserit Juramentum, fortius exequi debent.*

54 *Et Judex studiosius suadere debet renuentem ad servandam fidem.*

55 *Et si illud suadere non valeat, potest eumdem per censuras compellere.*

56 *Compulsio tamen non debet esse præcisa, sed moderata.*

57 *Limita si Adolescens, vel Puella jurarunt se contracturos Nuptias inscils, invitisque Parentibus, quia tunc non possunt compelli,* & num. 102. & seqq.

58 *Si Mulier quidquam voverit, & se constrinxerit Juramento, sitque in domo Patris, & in ætate puellari, id tenetur exequi, si Pater consenserit, secus non tenetur.*

59 *Quomodo intelligatur dicta ætas puellaris, hebraice* Neureha.

60 *Votum, & Juramentum, ut supra, Mulieris ad Sponsalia referuntur,* & num. seqq.

63 *Si promissio facta Deo in conceptione Voti per patrium dissensum irritatur, multo magis per eumdem dissensum promissio facta Homini in Sponsalibus infirmari debet.*

64 *Sponsalia jurata Filiorum, quæ totius Domus decorem minuunt, famamque deturpant, contradicentibus Parentibus nullam obligationem pariunt,* & num.66. & seqq, & num.99. 180.

65 *Et sacrilegè jusjurandam ad illa firmanda adhibent.*

79 *Ubi adest magna natalium disparitas nedum Sponsalia, sed Matrimonium ratum dissolvi potest,* & n.146. & seqq. & n.149. 150.

80 *Juramentum adhibitum ad valorem actus aliàs invalidi, in cujus observantia nullum versatur peccatum, potest de invalido aliquando validum efficere.*

81 *Secus si adhibetur ad majorem firmitatem actus, qui alias de sui natura validus est, aut illicitus, tunc enim sequitur naturam actus, cui adhæret.*

82 *Si actus Sponsalium validus sit, & licitus, Juramento confirmatus remanet, sin minus nullum ei robur addit.*

83 *Si Sponsalia sint illicita, & peccata-*

catorum fomentum, neque promissio obligat, neque Juramentum illius obligationem de novo inducit, vel auget.

84 *Pacta, & stipulationes turpes nullius sunt roboris.*

85 *Juramentum de re inhonesta, & illicita mortalitèr, seu venialitèr nullam parit obligationem.*

86 *Juramentum præstitum contra bonos mores non est obligatorium.*

87 *Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.*

88 *Juramentum non est institutum, ut sit vinculum iniquitatis.*

89 *SS. Patres per excessum dicunt potius esse perjurandum, quàm pro facto juramento in aliud crimen divertere.*

90 *Ac melius esse perjurare, quàm servare in operibus illicitis Juramentum.*

91 *Qui sic juravit contrarium facere tenetur.*

92 *Sponsalia, quæ tendunt ad Matrimonium illicitum, sunt illicita, & nulla.*

93 *Filiusfamilias, qui inconsultis, aut justè contradicentibus Parentibus Matrimonium contrahere cum Juramento promittit, perjurat.*

94 *Idem dicendum de quocumque alio, qui cum Persona indigna Nuptias inire juraverit, ex quibus Conjunctorum injuria, totiusque Familiæ dedecus emergit.*

96 *Quia uterque jurat, quod non exequi omni Jure tenetur, & ad illud frangendum compellitur.*

97 *Prædictas Nuptias nèc Deus approbat, nèc illis sui testimonii robur adjicere nisi impiè censeri potest.*

98 *Sed Diabolum ipsis totum dedisse fomentum.*

100 *Qui talia contrahit Matrimonia, plura peccata, & sacrilegia committit.*

101 *Ex hisce Nuptiis scandala, perturbationes, pravique exitus sequuntur*, & num. 109. 114. 116. 118. 120. 121. 122. 123. 143. 206.

103 *Coactiones difficiles exitus habere solent*, & num. 109. 111.

106 *Matrimonia inter impares plerumque infelices exitus habere solent*, & num. 109. 111. 112. 117. 118. 119. 143. & seqq.

107 *Idem dicendum de Matrimoniis inter amore excæcatos*, & n. 109. 113.

108 *Ex quibus summa discordia inter Patrem, & Filium, & Consanguineos induci potest*, & n. 114. 116. 117. 118.

110 *Ex qua rationabili causa Matrimonium impediri, & ex Sponsalibus recedi potest*, & num. 119. 124. 132.

115 *Æqualitas in Nuptiis est concordiæ Mater, inæqualitas odii, dissidiique parens*, & n. 116. 117.

118 *Judex cavere debet ne contrahantur*, & num. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 140. 164. 167.

120 *Non sunt immunes plerumque a peccato mortali*, & num. 123.

131 *Judex Ecclesiasticus, sive Episcopus potest ex officio inhibere, ne fiant talia Matrimonia, etiamsi præcesserint Sponsalia jurata*, & num. 140.

132 *Magna disparitas inter Sponsos, veluti si unus sit ditissimus, alter pauper, est causa justa dissolvendi Sponsalia licèt jurata.*

133 *Item si unus sit Nobilis, alter ignobilis.*

134 *Item si uterque sit Nobilis, sed unus pauper*, & num. 135. 136. 137. 138.

136 *Justitia non potest adstringere ad id, quod sine peccato fieri nequit.*

141 *Timor infelicis exitus Matrimonii, est causa justa ad illud impediendum*, & num. seqq.

142 *Levissima sufficit causa propter infelices exitus.*

149 *Ob metum infelicis exitus Sponsalia quamvis ab initio non irrita dissolvi possunt*, & num. 151.

152 *Propter metum sevitiæ unius Conjugis alter divertere potest.*

153 *Præstabilius est Sponsalia, ex quibus timetur malus exitus, dissolvere, quàm post Matrimonium per divortia revocare.*

154 *Sponsalium obligatio nunquam oritur, sive propter grave incommodum.*

155 *Sive*

155 *Sive propter Parentum injuriam, sive propter scandalum*;

156 *Sive propter inimicitias, sive propter dedecus redundans in Consanguineos*.

157 *Sive propter infelicem exitum verosimiliter timendum*.

158 *Multo magis si contracta non sint inter personas parum disparis conditionis, sed cum persona indigna, & valdè dispare*.

159 *In qua specie omnia prædicta mala concurrunt*,

160 *In his Sponsalibus locum habet regula* = Singula, quæ non prosunt &c. = & num 161.

162 *Sponsalia etiam jurata non cogunt, si consurgat gravis Parentum indignatio, multoque magis si Parentes Filium hæreditate privare minentur*, & num.163. 166.

164 *Ob quam causam Prælatus, parte instante, non debet cogere Filium ad implenda Sponsalia, sed potius ea dissolvere tenetur*, & num. 65.

167 *Multoque magis dum non timetur sola indignatio Parentum, sed indignatio quoque superni Numinis propter innumera peccata, & scandala*,

168 *Et ubi non agitur de sola amissione Paternæ hæreditatis, sed de amissione Regni Cœlestis*.

169 *Scandalosa esset libertas recedendi a Sponsalibus propter lucrum temporale, non autem ad evitanda peccata, & aliorum ruinam, & ne amittatur Regni Cœlestis hæreditas*.

170 *Filius peccat ineundo Sponsalia cum inæquali, non autem si Sponsalia adimpleat, quia præstat id, ad quod ex justitia tenetur*.

Contrarium, & de ratione n.171, & seqq.

172 *Promissio in Sponsalibus facta de re illicita adimpleri nequit*, & num.177.

175 *Justitia non obligat ad exequendum opus per se scandalosum*.

177 *Nihil perniciosius scandalo Reipublicæ contingere potest*.

178 *Virtus Justitiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest*, & num.179.

181 *Juvenem, qui Juramento promisit ducere in Uxorem suam Concubinam sine consensu Parentum Alex. II. declaravit reum perjurii*.

182 *Filiifamilias dictis Sponsalibus reverentiam, & honorem Parentibus Jure naturali, & divino debitum violant*.

183 *Consanguineorum decori, ac paci inevitabile detrimentum afferunt*;

184 *Et leviter saltem peccant*.

185 *Quod sufficit, ut Sponsalia sint irrita, & illicita, nullamque pariant obligationem*.

186 *Quælibet promissio etsi jurata non obligat, si citra venialem culpam adimpleri nequeat*.

187 *Non potest quis obligari ad præstandum id, quod aliunde vitare debet*.

188 *Pactum includens peccatum veniale non tenet*.

189 *Juramentum servari debet, nisi vergat in æternæ salutis dispendium*.

190 *Si quis juraverit facere aliquid veniale, id servare non tenetur licèt possit non vergere in interitum salutis æternæ*.

191 *Etiamsi peccatum veniale esset tantummodo a Jure positivo prohibitum*.

192 *Licèt prædicta Sponsalia jurata a veniali quoque culpa essent immunia, adhuc essent irrita*.

193 *Promissum etiam juratum, ex quo timetur pravus exitus, non est obligatorium*, & num. seqq.

198 *Sponsalia contracta inter impares, vel invitis Parentibus, semper, aut sæpè sæpius vergunt in exitum deteriorem*.

199 *Sponsalia sunt irrita, si Personæ spondentes non valent licitè contrahere Matrimonium*, & num. seqq.

200 *Justitia non obligat servare promissum de re illicita*.

201 *Promissio de re illicita non valet*, & num. seqq.

203 *Sponsalia etiam jurata vel ab initio sunt invalida, vel rescidenda*,

da, quando timetur deterior exitus.

204 *Promissio indigni Conjugii vergens in aliorum infamiam ab initio est invalida.*

205 *Matrimonium initum a Filiisfamilias inscils, vel invitis justè Parentibus est illicitum.*

207 *Nulla Sponsalia valent, vel obligant, quoties turpibus circumstantiis sint dehonestata*,& n.seqq.

212 *D. Paulus de Vidua inquit* = cui vult nubat tantum IN DOMINO =

VOTUM IV.



1 NOBILIS Adolescens Filius duorum Conjugum Patritiorum primi Ordinis suæ Patriæ captus amore Puellæ longè imparis ab eo conditionis, (Filia est enim cujusdam Barbitonsoris) cum qua antea ex permissu Genitorum ejusdem Puellæ longo tempore familiariter conversari sueverat, cum eadem tandem Capitula Matrimonialia *Juramento* tàm proprio, quàm ipsius Fœminæ fulcita celebravit.

Delata horum Sponsalium notitia ad Matrem, & Patruum Adolescentis, quia ipsius Pater jam ab humanis evaserat, acriter sunt indigna-
2 ti, omnemque movere lapidem cum ipsa Puella, ejusque Genitore, ut prædicta Capitula in eorum manibus existentia restituerent, seu lacerarent; cumque id obtinere nequaquam potuerint, instauratum subinde fuit nomine Matris, & Patrui Adolescentis coram Nobis formale Judicium contra præmemoratam Fœminam, mediante scilicet Monitorio, in cujus termino Fœmina eadem Capitula Matrimonialia exhibuit, compilatisque hinc inde probationibus, agitata fuit controversia, in qua ex una parte eadem Puella contendente inita fuisse Sponsalia reciproco cum Juramento inter ipsam, & Adolescentem, eaque legitimè verificari a præfatis Capitulis, sicque eumdem promissis ligari, ac respectivè cogi posse ad Matrimonium in facie Ecclesiæ contrahendum, parte verò ex altera Patruo, & Matre Adolescentis excipientibus hujusmodi Sponsalia nullam potuisse parere obligationem, utpote stipulata absque consensu Matris, & Patrui ac in dedecus totius Familiæ & Propinquorum, ob quam causam instabant per nos declarari ea fuisse, ac esse nulla, & invalida, & quatenus rescindenda, visis videndis, & considerатis considerandis horum instantiæ annuendum esse censuimus.

Nihil enim pro parte Puellæ deductum fuit, unde Matrimonium, quod Adolescens, contradicentibus Matre, & Patruo, contrahere intendit cum Muliere infimæ conditionis, eximi valeat a nota gravissimi peccati, ac sacrilegii, quod inseparabile est 3
ab indigna hujus Sacramenti perceptione propter injuriam ab eodem Adolescente suæ Nobili Familiæ, & maximè Parentibus ob simile Matrimonium inferendam, de qua veritate satis in *nostro Voto I. num.* 11. 135. 159. *& fere per tot.* & *Vot.II. num.*7. 26.27.28.46.59. ubi unanimi consensu tùm Theologorum, tùm Canonistarum latè probavimus *de Jure Divino*, *Positivo*, *& Canonico* lethalitèr 4
peccare Filios, qui repugnantibus Parentibus indigna contrahunt Matrimonia semper ab Ecclesia prohibita, quam prohibitionem paritèr ex *Sacris* 5
Canonibus, ex *Sacro Concilio Tridentino*, aliisque Juribus in Ecclesia semper adsuisse firmavimus in eodem *Voto I. num.*27. *& seqq.*, *& num* 58. 112.115.132.160.184.197. *& Vot.II. num.*48. 119. 152. 188. *& Vot.III. num.*2. 85. 125., quibus addimus ex abundanti *Zipæum de Jurisdict. Eccl. tom.*2. *lib.*2. *cap.*12. *num.*2. = ibi = *Si tamen Filiifamilias Parentibus inconsultis irreverentèr contraxerint, cum Ecclesia semper hujusmodi Matrimonia detestata sit Conc. Trid.sess.*24. 6
*de refor.Matr.cap.*1. *&c.*& rursus*lib.*1. *cap.* 33. *num.* 4. = ibi = *Statuta pœnam imponentia Filiisfamilias, si sine Parentum auctoritate Matrimonia contraxerint, quod,ut ait Concil.Trident., Ecclesia illa Matrimonia semper detestata fuerit &c.* = idque con- 7
firmat *Boss. de Contract. Matr.cap.*11. *num.*

num.79. = ibi = *Licèt Tridentinum*
dicto cap.1. ſtatuerit in Matrimoniis
pro validitate non eſſe neceſſorium
Patris conſenſum, tamen ſubdit, quod
Eccleſia Filiorumfamilias Matrimo-
nia ſine Parentum conſenſu contracta
8 *ex juſtiſſimis cauſis ſemper eſt deteſta-*
ta &c. = & inferius *num.87.* = ibi =
Et hoc pacto poſſet intelligi aucteri-
tas Tridentini dicentis , quod Eccleſia
9 *Matrimonia invitis Parentibus con-*
tracta ſemper deteſtata eſt = conſonat
Giballin. de Uſur. tom.2. lib.4. cap.5.
artic.9. num.3. = ibi = *Tridentinum*
tandem ſuo decreto confirmavit ; non
tamen licita unquam eſſe voluit , un-
de & graviorem noxam in ejuſmodi
Conjugiis contrahendis a liberis com-
mitti paſſim fatentur Doctores = &
convenit *Sayr. in Clav. Reg. lib.7.*
cap.5. num.12. = ibi = *Quia igitur, ut*
plurimum, incommoda magna ſolent ex
eo , quod Filii , & Filiæ Matrimo-
nium inſciis , aut invitis Parentibus
10 *contrahant , ſequi , merito Eccleſia*
ſemper hujuſmodi Matrimonia probi-
buit , ut notat Concil. Trident. &c. =
Quapropter hujuſmodi *Sacri*
Concilii teſtimonio excitati Doctores
inſerunt talia Connubia paſſim a *Sa-*
11 *cris Canonibus* eſſe damnata , inter
quos *Molfeſ. In Comment. ad Conſuet.*
Neapolit. tom.1. in fin. par.7. conſ.
num.36. = ibi = *Imò Sacri Canones*
jubent Filios debere contrahere Ma-
12 *trimonium de conſenſu Parentum , &*
peccare mortalitèr , ſi contra volun-
tatem Parentum ſine cauſa nube-
rent = Item *Facundez tom.10. in Præ-*
cept. Decalog. lib.4. cap.3. n.4. = ibi =
Quamvis Eccleſia Matrimonia contra-
cta contra voluntatem Parentum tam-
quam valida tueatur , non tamen ap-
probat modum contrahendi , ſed potius
reprobat tamquam inboneſtum , &
13 *peccaminoſum , & meritò , cum inde*
Parentes graviſſima afficiantur inju-
ria = Quodque Conjugia , in quibus
Parentum conſenſus deſideratur , in-
ter Clandeſtina fuiſſe per veteres Ca-
nones recenſita , & noviſſimè a
14 *Tridentino Concilio* recenſeri , pluri-
bus firmat *Gonzalez in Cap. Tua nos*
num.11. propè fin. de Sponſalibus Im-
puber. = ibi = *Cum &c. inter alias*
ſolemnitates conſenſus Parentum exi-
gatur , non immeritò aliter contra-
ctum Matrimonium Clandeſtinum ap-
pellabitur , atque ideò inter Clande-
ſtina Matrimonia illud recenſet Tri- 15
dentinum ſeſs.24. de reformat. Matr.
cap.1. = non quidem ubi irrita Clan-
deſtina Connubia declarat , ſed ubi 16
docet hæc ab Eccleſia fuiſſe perpetuò
vetita , & reprobata .

Triplicem enim Clandeſtinitatis 17
ſpeciem agnoſcunt Veteres , novique
Canoniſtæ, *primam* nempè quando Ma-
ſculus , & Fœmina ſive præmiſſis , ſi-
ve omiſſis ſolitis tribus denunciationi- 18
bus coram Parocho ſine Teſtibus , vel
ſine ſufficienti numero Teſtium , *alte-*
ram quando coram Teſtibus ſine Pa- 19
rocho Matrimonium contrahere ten-
tant , *tertiam* tandem quando Teſti-
bus , Parochoque præſentibus , ſed
omiſſis *culpabiliter* in Eccleſia denun- 20
ciationibus illud per verba de præſen-
ti contrahunt , quæ Clandeſtinitatis
ſpecies in eo differunt , quod *prima*
tantum , & *ſecunda* , non autem *tertia* 21
Matrimonii cauſat nullitatem *Mona-*
cell. in Formular. tom.2. tit.16. adnot.
ad formul.2. n.27. Schmier. in Jus
Canon. & Civil. lib. 4. tract.3. cap.5.
ſect.5. §.1. n.174. tom.3. Vaneſpen. in
Jus Eccleſ. Univerſ. par. 2. tit. 12.
cap.3. n.14. & ad hanc *terciam* ſpe-
ciem reducuntur Matrimonia clam
Parentibus copulata , quæ pariter , 22
quamvis ſint valida , ſunt tamen illi-
cita , atque prohibita , itaut etiam
Proteſtantes , dum in *Tridentini De-*
cretum invehuntur , Nuptias injuſſu 23
patrio factas & ipſi Clandeſtinas vo-
cent, & a *Tridentino* ſic vocatas agno-
ſcant , & prohibitas fateantur , ut vi-
dere eſt apud *Chemnicium , cæteroſ-*
que recentiores ; & profectò licet ad-
hibeantur denunciationes ante Matri-
monium , ut ad detegenda quæcum-
que impedimenta Populus illas au-
diens excitetur , maximè tamen adhi-
bentur ad detegendum impedimen- 24
tum Paterni diſſenſus; præcipuus na n-
que earumdem denunciationum finis ,
quem propoſitum habuere *Tridentini*
Patres , is fuit , ut per eas Filiorum
Nuptiæ Parentibus innoteſcerent ,
quemadmodum ex contextu Decreti

Sac. Concil. Tridentin. cap. 1. sess. 24. de reform. Matrim. satis luculenter
25 percipitur. Ibi enim Patres præfati testantur Ecclesiam Matrimonia injussu Patrio facta semper *prohibuisse*, mox conqueruntur *prohibitiones illas propter Hominum inobedientiam jam*
26 *non prodesse &c. nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, nèc aliud remedium ibidem præscribitur, quam Denunciationum necessitas, ex quibus
27 fiat, ut Parentes certiores facti impedire valeant Matrimonium, quo nihil evidentius; simulque ex hoc percipitur mens *Concilii* volentis Parentes justè, & cum ratione Filiorum
28 Matrimoniis obsistentes in Episcopalibus Curiis esse audiendos; alioquin quò ille denunciationum apparatus? aut quodnam remedium Synodus attulisset? Satius enim erat nihil rescivisse Parentes, quam si ubi certiores evaserint, Prælatos surdos, & inexorabiles nacti, non obstante eo-
29 rum justo dissensu, maximo cum eorum mœrore invisas Filiorum Nuptias suum culposum sortiri videre cogantur effectum.

Nèc contrarium docet *D. Thomas* allegatus a *Sanchez*, & a Defensore præfatæ Mulieris ad probandum, quod Filii non teneantur Parentibus obedire in ordine ad contrahendum Matrimonium; Etenim *Sanctus Ecclesiæ*
30 *Doctor* nunquam asseruit tàm latè patere Filiorum libertatem, ut nullis contineatur legibus; id, quod de diametro contrarium esset *Sac. Concil. Tridentino*, ut præmisimus, apertè docenti *sub cap. 1. sess. 24. de reformat. Matrim.*, quod Ecclesia Dei *semper* ejuscemodi Matrimonia *detestata est*,
31 *atque prohibuit*, sed id unum tradidit, quod nimirum Filii Parentibus, qui eos vel *a quibuscumque Nuptiis*
32 in genere arcere, vel ad *certas* Nuptias cogere vellent, obedire non tenentur, cum libera sit Hominum voluntas in ordine ad electionem sui status, nimirum vel Conjugalis in ge-
33 nere, vel Cœlibatus; Et re vera idem *S. Doctor* in contrarium allegat. tàm *in 4. sentent. distinct. 29. quæst. 1. art. 4.* quàm in 2. 2. *quæst. 104. artic. 5. in corpor.* unicè inquirit *an Filius*
præcepto Patris possit compelli ad Matrimonium, & resolvit *negativè*, quia scilicet liber est, ut maneat Cœlebs, nèc se subjiciat quasi servituti Matri- 34
monii.

In hunc porrò eumdem sensum loquitur literaliter *Sac. Concil. Trid.* 35
cap. 9. sess. 24. de reformat. Matrim., cujus auctoritas perperam traducitur ad sustinendam tantam in Matrimoniis libertatem, quæ nullas recipiat leges, ac penè sit supra gravem Divini Numinis offensam, superque sacrilegium, quod intercedere omninò in hisce casibus debet. Quandoquidem postquam textus conciliaris exposuit, quod *plerumque Domini temporales minis adigunt Viros, & Mulieres maximè divites, tametsi invitas ad contrahendum certa, ac determinata Matrimonia*, deinde *prohibet sub anathematis pœna, ne quemquam* COGANT *quominus Matrimonium liberè contrahat*. Ergo ex dispositione Conciliari vetitum est *cogere* quemquam ad contrahendum Matrimonium cum certa, & determinata Persona, ac 36
ultrò admittimus prohiberi etiam, quominùs impediatur quisquam ab eligendo statu Conjugali per ea, quæ 37
firmavimus in nostro *Voto I. num. 173. & seqq.* Nemo autem dixerit legem hanc eo traduci posse, ut Filio prohiberi nequeant Nuptiæ cum certa Persona, quæ præsertim sit Viro in- 38
digna, ac Familiæ notabilem afferat injuriam.

Quin momenti sit, quod hæc procedant quoad Patrem tantum, qui Filios habet sub sua potestate, secus vero quoad Matrem. Ultra quod enim ferè omnes Theologi, & Canonistæ desuper, & in nostris *Vot. I. II. & III.* allegati indiscriminatim loquuntur de *Parentibus*, quorum appella- 39
tione venit etiam Mater tàm grammaticè, quàm ex *text. in l. Appellatione 51. ff. de verb. signific.*, urget etiam, quod præmissa originem trahunt non *ex Jure Civili*, a quo inducta sunt Jura Patriæ Potestatis, sed *ex Jure Divino, & Canonico* habita nimirum 40
ratione de reverentia æquè exhibenda Matri, ac Patri, quæque post Patris obitum integra exhiberi debet

erga

41 ergà Matrem superstitem *Piton. di-*
scept. Eccles. 52. n.83. Panimoll. de-
cis.45. n.18. , & ubi de communi bo-
no agitur tàm Matris , ne Filium ob
ejus gravissimam , & injuriosam inobe-
dientiam maledicere cogatur , quàm
Filii, ne contrahendo indignas Nuptias
invita Matre tot peccata , ac sacrile-
gia committat , ac scandala præbeat ,
quot enumeravimus in *Vot.I. num.30.*
120. 187. & seqq. , & Vot.II. n.6.7.
13. & seqq. , & n.26. 27. 28. 46. &
seqq. & n. 59. 77. 78. 80. 89. 93. &
seqq. , & n.109. 126. & seqq. , nul-
42 la habenda est ratio Patriæ Potestatis,
quam leges , & Jura Romana sanxe-
runt .

Cæteræ auctoritates ad favendum
instantiæ Mulieris allegatæ docent tan-
tummodò , quod Matrimonium con-
43 tractum invitis Parentibus sit *validum*,
id quod admittimus definitum fuisse a
Sacro Concilio Tridentino, sed nullo
modo tradunt , quod Matrimonium
sit licitum , ac immune a gravissima
44 noxa peccati lethalis , quod conse-
quenter a Judice permitti non debet
contra inviolabilem Ecclesiæ discipli-
nam , qua arcentur a Sacramentis re-
cipiendis notorii Peccatores , qui sci-
licèt publico Sacrilegio se exponere
non verentur .

Non est tamen utique negandum,
quod Sponsalibus Juramentum novum
vinculum addat , quodque magis pec-
45 cet qui fidem frangit sub Juramento
promissam , etsi non desint , qui tra-
46 dunt Sponsalia nuda eamdem vim ha-
bere , quam Jurata , quatenùs = *quo-*
47 *ad Deum paris conditionis est simplex*
promissio , & Juramentum = ut in-
nuunt *Boss. de Contract. Matr. cap.11.*
§.5.num.37.Adden. ad Rot. decis. 431.
n.64. par.4. tom.2. recen. = ibi = *Deus*
non facit distinctionem inter Juramen-
48 *tum,& simplicem loquelam, qui dixit:*
sit sermo vester est est ; non non &c.=
49 quæ tamen per exaggerationem dicta
censentur ad comprobandum , quod
mutuæ promissiones , etsi simplices ,
eamdem vim habere debent , prout si
essent Juramento vallatæ , non autem
ad revocandum in dubium , an spe-
50 cialis reverentia Deo debeatur, quan-
do per jusjurandum vocatur in testem,
ut observat *Gloss. in Can. Juramen-*
ti 22. quæst.5.verb.Distantiam; Ideò-
que nullo modo apud Catholicos fas
est dubitare , quin Sponsalia Jurata 51
potiori Jure , quàm nuda sint obser-
vanda , neque ab eis recedere liceat
sine gravi noxa contra Religionem ,
quatenùs non Homini tantum , sed
etiam Deo promissum reddere tenea-
tur , qui promittendo juravit , ita
namque Deum uti testem , & fidejus- 52
sorem adhibuit ad text. in *Cap. Debi-*
tores , Cap. Si vero Cap. Cum contin-
gat de Jurejurand. Cap. Ex parte 9.
Cap. Ex literis 10. Cap. Commissum 16.
de Sponsal. & in hoc quoque conve-
niunt tàm Theologi, quàm Canonistæ,
& præ cæteris *Gonzalez in Cap. Præ-*
terea n.6. de Sponsal. cum aliis cumu-
latis per *Barbos. axiom. 134. num.2.*
S. Thom. in 4. dist.27. quæst.2. artic.1.
ad 2. ubi de Sponsalibus , & de Jura-
mento promissorio in genere ; Idem
D.Thom. 2. 2. q.89.art.7.S. Bonavent.
tom.5.in 4.sentent.distinct.28.artic.1.
qu.1.n.4.Suarez tom.2.de Relig.tract.
de Juram.lib.2.cap.2.Castropal.par.3.
tract.14. disput.2. punct.1. n.4. Man-
tic. de tacit. lib.3. tit.17. n.3. & 6.
tom.1. Antonell. de regimin. Eccles.
lib.5. cap.2. n.4. & alii passim .

Fatendum insuper est , quod si 53
Sponsalibus accesserit Juramentum ,
fortius illa Promissor exequi debeat ,
ac Judex studiosius agere teneatur ad
inducendum renuentem ad servan- 54
dam fidem Sponso datam , & quate-
nùs illum suadere non valeat, potest 55
etiam per Censuras eumdem compel-
lere , ut deterreatur a frangenda fide,
& abstineat a perjurio *d. Cap. Ex*
literis 10. de Sponsal. , ac unanimitèr
tradunt *Sanchez de Matrim. lib. 1.*
disp.29. n. 5. Boss. de Contr. Matrim.
d. cap. 11. §.5. n. 38. Aversa de Matr.
quæst.8. sect.8. vers. Quinto dubitatur,
& ex Canonistis *Præposit. in Cap. Re-*
quisivit n.2. de Sponsal. Abbas in Cap.
Ex literis n.3 eod. tit. Rot. decis. 1112.
n.2. cor. Seraphin. Sac. Congregat.
Concil. apud *Fagnan. in Cap. Is , qui*
fidem 30. n.12. de Sponsal. , quæ com-
pulsio tamen non debet esse præcisa , 56
sed moderata juxta per nos deducta
in præcedenti *Vot.III. n.49.*

Veruntamen hæc omnia, quæ procedere possunt quoad Contrahentes Genitoribus orbatos, locum non habent cum Adolescens, vel Puella
57 jurarunt se contracturos Nuptias insciis, invitisque Parentibus juxta illud, quod habemus in Sacris literis, *Num.cap.*30. *vers.*4. 5. *& 6.* relatum in *Canon.*14. *caus.*32. *quæst.*2. = ibi = *Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit Juramento, quæ est in domo Patris sui, & in ætate adhuc puel-*
58 *lari; si cognoverit Pater votum, quod pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, Voti rea erit, quidquid pollicita est, & juravit, opere complebit. Sin autem statim ut audierit, contradixerit Pater, & vota, & Juramenta ejus irrita erunt, nèc obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit Pater* = Ea autem *ætas puellaris* per hæc verba a *D.Hieronymo* traducta; Hebraice est NEUREHA, quæ vox ambitu suo tùm pueritiam, tùm adolescentiam universam complectitur, sed apud Legislatorem eadem vox totum illud tempus significat, quamdiu Filia *in domo Patris sui* (cum hoc enim illud
59 NEUREHA conjungitur) hoc est quamdiù innupta sub Patria potestate vivit, nam statim elocata, e Patris domo exit, & in Mariti tutelam pertransit.

Prædicta autem verba ad votum, ac Juramentum Sponsalibus additum
60 sunt referenda. Votum enim non aliud, quam meram promissionem complectitur, Matrimonio vero exhi-
61 bet, & repræsentat, quod ante promissum fuerat. Ergo si quod argumentum ab hoc Moysis loco duci potest, id unice ad Sponsalia trahendum venit, rectè nam a Voto ad
62 Sponsalia fluit argumentatio. Si igitur promissio facta Deo in conceptione Voti per patrium dissensum fit irrita, quanto magis per eumdem dissensum promissio Homini facta in Sponsalibus
63 infirmatur? De quo Voto similia loquitur *text. in l.*2. §. 1. *ff. de pollicit.* = ibi = *Voto autem Patresfam. obligantur Puberes sui Juris, Filius enim familias, vel servus sine Patris, Dominive auctoritate voto non obligantur.*

Multo minus prælaudatæ leges, & auctoritates de obligatione ex Sponsalibus juratis consurgente loquentes vim ullam habere possunt, si Adolescens, vel Puella juraverint se contracturos indignas Nuptias, quibus Parentes, cæterique de familia juremerito contradicant, quæque totius Nobilis domus decorem minuant, famamque detur- 64
pent, quo casu nullam ex præfatis Sponsalibus obligationem oriri, imo & jusjurandum sacrilegè ad illa firmanda adhibitum fuisse communiter tenent Theologi, & Canonistæ, inter quos *Gabriel a S. Vincentio de Sa-* 65
cram. Matrim. disp 5. *num.*5. = ibi = *Sponsalia obligare non possunt ad actum, qui sine peccato poni non potest. Unde si notabiliter Caritas læderetur, vel Parentum pietas dissolveretur, contracta Sponsalia dissolvi possent, etiamsi Juramento firmata fuissent* = ita quoque sensit *Rebell. de obligat. Just. par.*2. *lib.*2. *quæst.*14. *sect.*1. *n* 9. *vers. Secundo quia* = ibi = *Neque obstat, quod Sponsalia etiam jurata antecesserint; quoties enim ea sine peccato impleri nequeunt, ad sui impletionem non obligant* = nec non *Aver-* 66
sa de Matrim. quæst. 8. *sect.*15. *vers. Et quidem* = ibi = *Si ob notabile damnum, aut scandalum imminens non erat ei licitum cum tali persona conjugari, eique promittere, poterit justè mutare propositum, & ab illa pro-* 67
missione recedere, & poterit etiam a Judice inhiberi, ne contrahat = pluribusque citatis subdit rationem = ibi = *Non enim potest quisque promittere, & se obligare ad aliquid illicitum faciendum. Poterit ergo justè, ac licitè recedere, imo tenebitur* = & *vers. Pro altera* concludit id totum procedere 68
etiamsi Sponsalia fuissent jurata *Card. Lauræa tom.*3.*in*4. *sent. disput.*37. *artic.*11. §.8. *num.* 455. = ibi = *Scandala, quæ certo sequi possunt, si fiat Matrimonium, sunt causa sufficiens ad dissolvendum Sponsalia* = & *num.*460. addit id procedere etiamsi Sponsalia 69
sint jurata *Boss. de Contract. Matrim. cap.*11. *num.* 93. *& seqq.* = ibi = *Non solum Parentes habere Jus impediendi Nuptias Filiorum ex causa justa, sed etiam hoc adeo verum esse, ut etiam Spon-*

70 *Sponsalia jam facta, etiam Juramento*
confirmata possint Parentes ea ex causa
irritare = Item *Opatov. tract. de Ma-*
*trim. disput.*1. *quæst.* 7. *num.* 105. de
Sponsalibus etiam Juramento firmatis
sic inquit = *Si inter Parentes Con-*
71 *trahentium odia interveniant, ita quod*
se opponant contrahendo Matrimonio,
propterea dissolvi possunt, ac debent =
& inter causas non adimplendi Spon-
salia etiam jurata *Koning. de Sacram.*
*disp.*23. *dub.*8. *num* 68. hanc enume-
rat = *Si alterius Partis Parentes ob-*
stinatè contradicant Matrimonio, ita
ut ex eo contracto esset periculum, ne
lethales inimicitiæ orirentur inter
72 *Partium Affines, aut inter Parentes,*
& ipsos Sponsos, aut alias malus exi-
tus omninò timeretur = consonant *Sal-*
*maticenses tom.*2. *Theol. Moral. tract.*
9. *cap.* 2. *punct.* 6. *n.* 85. ubi firmant
obligationem servandi fidem Sponsa-
lium cum ea tamen limitatione = ibi =
Nisi forte ex tali Matrimonio magnum
scandalum sequeretur, & jurgia, aut
dissensiones inter Parentes, aut Con-
sanguineos, quia in tali casu etiam
si sub Juramento Matrimonium esset
promissum, non obligari ad illud do-
cent prædicti Auctores, eo quod talis
promissio esset rei injustæ, quæ absque
peccato non posset adimpleri, quapro-
pter Juramentum, quod non est vincu-
73 *lum iniquitatis, non posset talia Spon-*
salia confirmare, neque obligationem
aliquam inducere = & pariter *Perez de*
*Matrim. disput.*5. *sect.*3. = ibi = *Vir-*
tus justitiæ obligare nequit ad actum,
qui sine peccato impleri non potest, ut
certum est, at contrahere Matrimo-
nium cum magno Scandalo est culpa
lethalis, cum notabiliter caritas proxi-
mi lædatur, & Cognatorum amicitia
dissolvatur &c. Hinc colligo posse Pa-
74 *trem impedire Sponsalia Filii, vel Fi-*
liæ contra ejus voluntatem inita, in-
terveniente magno scandalo = conve-
niunt Juris periti, & præ cæteris *Na-*
*varr. in Manual. cap.*16. *n.*18. firmat
regulam servandi per Contrahentes fi-
dem Sponsalium maximè si accesserit
75 Juramentum, sed cum ea limitatione =
nisi fuerint valdè inæquales = & cum al-
tera = *Idem dicendum in eo casu, quo*
promissio fuit vera, & ex animo facta,
sed esset probabile, quod ex Matri-
monio eam consecutura grande aliquod
scandalum nasceretur = in idem colli- 76
mat *Gonzalez in Cap. Præterea* 2. *n.*8.
de Sponsal. = ibi = *Sed ego puto non*
esse discrimen constituendum in Spon-
salibus sive juratis, sive non, sem-
per namque Sponsus compellendus est
adimplere promissum &c. nisi quando
aliis ex circumstantiis Judex pru- 77
denter arbitretur gravia mala time-
ri, & scandala = & pariter *Pignat-*
*tell. consult.*11. *num.* 1. *tom.* 4. = ibi =
Respondeo Judicem posse tuta conscien-
tia impedire hujusmodi Matrimo-
nium &c. idque etiamsi Sponsalia fue-
rint Juramento confirmata, quod mul- 78
tæ rationes omninò persuadent &c. =
in terminis generalibus *Sanchez de*
*Matrim. lib.*1. *disput.* 32. *n.*1. = ibi =
Hoc tamen necessario fatendum est,
tunc tantum Juramentum homini præ-
stitum non obligare, quando promitti-
tur res, quæ absque culpa saltem venia-
li impleri non potest = & in amplioribus
terminis idem tradidit *Felin. cons.*26.
qui *ex eo quia contrahere sine con-*
sensu Patris est contra bonos mores
omnium, item ex eo, quia subest scan-
dalum, putat subesse justam causam 79
solvendi nedum Sponsalia, verum
etiam Matrimonium ratum, ubi ma-
gna natalium disparitas intercedat.

Et ratio est, quia quando adhi-
betur Juramentum ad valorem actus
aliàs invalidi, in cujus observantia
nullum versatur peccatum, potest de 80
invalido aliquando validum efficere,
de quo articulo latè pertractant *Sua-*
*rez de Relig. tom.*2. *tract. de Juram.*
*lib.*2. præsertim *cap.*29. *Sanchez de*
*Matrim. lib.*1. *disput.*32. *num.*4. *Basil.*
*Pont. de Matrim. lib.*12. *cap.*8. *Ca-*
*stropal. par.*3. *tract.*14. *disp.*2. *punct.*9.
& ex Canonistis *Gonzalez in Cap. Cum*
contingat 28. ibidemque *Barbos. de*
Jurejur. & in d. Cap. Præterea 2 *n.*6.
vers. Ampliatur de Sponsal. Gutierez
*de Jurament. confirm. par.*1. *cap.*34.
& 37. at quando adhibetur ad majo-
rem firmitatem actus, qui aliàs de
sui natura validus est, vel invalidus,
aut illicitus, tunc sequitur naturam
actus, cui adhæret *l. fin. Cod. de non* 81
numer. pecun. Cap. Quemadmodum 25.
de

de Jurejur. Barbos. d. axiomat. 134. *n.* 1. & propterea si Sponsalium actus validus sit, sive invalidus, aut illicitus, cum Juramentum non ad reddendum validum actum aliàs invalidum, aut illicitum, sed tantum ad majorem firmitatem sit adjectum, hoc sequi debet naturam actus, ita ut si actus Sponsalium validus sit, atque licitus, Juramento confirmatus remaneat, sin
82 minus nullum ei robur adjiciat, quæ in materia Sponsalium semper fuit sententia *Sac. Rot. Romanæ*, & signantèr *decis.* 437. *n.* 8. *cor. Coccin.* = ibi = *Neque facit, quod ista Sponsalia sint jurata, quia, si supervenerit nova causa, Juramentum non obligat, cum assumat naturam, & conditiones Contractus, cui adjicitur* = idemque post antiquiores tradiderunt *Barbos. in Cap. Præterea* 2. *num.* 5. *vers. Principalis de Sponsal. Koning. in* 4. *Decretal. sup. tit. de Sponsalib. num.* 60. & alii quamplures.

In hypothesi autem Sponsalia sunt illicita, & peccatorum fomentum, ideoque neque promissio obligat, neque Juramentum illius
83 obligationem de novo inducit, vel auget, opus enim promissum, quod a Theologis nuncupatur promissionis objectum, est turpe, quia jungitur cum peccato, & vergit in interitum salutis æternæ; promissiones autem,
84 pacta, & stipulationes turpes nullius esse roboris millies in Jure nostro decantatur *l. Generalitèr* 26. *l. Si Plagii* 123. *ff. de Verbor. obligat. l. Juris gentium* 7. §. *Si paciscar vers. Et generalitèr l. Si unus* 27. §. *Pacta ff. de pact. l. Non dubium* 5. *Cod. de legib.* ubi in stipulatione illicita nèc Sacramentum admittitur, nèc Juramentum de re inhonesta, & illicita mortalitèr,
85 seu venialitèr ullam parit obligationem *Cap. Si vero* 8. *Cap. Quanto* 18. *Cap. Cum contingat* 28. *de Jurejur. Cap. Quamvis* 2. *de pact. in* 6. *Cap. Non est obligatorium* 58. *de Reg. Jur. in* 6.
86 = ibi = *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Juramentum* = idque quamplurimis auctoritatibus, & exemplis ex *Sacra Scriptura*, *Conciliis*, *ac Sanctis Patribus* confirmatur in *Can. Si publicis Can. Est etiam Can. Quod David Can. Juravit David Can. In malis promissis* 22. *quæst.* 4. = ibi = *In malis promissis rescinde fidem &c. impia est promissio, quæ scelere adimpletur* = Item *Can. Si aliquid Can.* 87
Unusquisque, *Can. Non est observandum Can. Si quis Can. Si ad peccatum Can. Mulier Can. Inter cætera Can. Innocens ead. caus.* 22. *quæst.* 4. cum
Juramentum non fuerit institutum, ut 88
esset vinculum iniquitatis, uti expressè dicitur in d. *Cap. Quanto* 18. *de Jurejur. Can. Inter cætera* 22. *quæst.* 4. *Cap. Non est obligatorium* 58. *Cap. In malis promissis* 69. *de Reg. Jur. in* 6. in puncto *Ferdinand. de Valent. discept.* 5. *n.* 26. *& seqq. de re Eccles.* quod ita certissimum est, ut SS. Patres per excessum dixerint potius esse perjurandum, quam pro facto Juramento 89
in aliud crimen divertere *Can. Si aliquid* 22. *quæst.* 4. ac melius esse perjurare, quam servare in operibus illici- 90
tis Juramentum *Can. Actione* 22. *qu.* 4. illumque, qui sic juravit, teneri facere contrarium constantissimè docet *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 98. *artic.* 1. *ad* 91
primum = ibi = *Quocumque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc, quod contrarium faciat* = Concordat *Suarez tom.* 2. *de Relig. tract.* 5. *de Juram. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 2. *Castro. pal. par.* 3. *tract.* 14. *disput.* 2. *punct.* 6. *n.* 3. & Canonistæ communitèr apud *Barbos. in d. Cap. Quanto* 18. *n.* 1. *de Jurejur. Fagnan. in Cap. Sicut n.* 18. *& seqq.*, *de probat. Petrus Peckius in Comment. ad reg.* 58. *Jur. Canon. num.* 1. *&* 6.

Quod autem in casu nostro Sponsalia sint illicita & consequenter nulla manifestè resultat ex eo, quod ten- 92
dunt ad Matrimonium illicitum, atque prohibitum, unde quamvis sint centies Sacramento firmata, si nihilominus jurans sit Filiusfamilias, qui inconsultis, aut justè contradicentibus Pa- 93
rentibus Matrimonium contrahere promisit, vel quisquis sit, qui cum persona indigna Nuptias inire juraverit, ex quibus Conjunctorum injuria, 94
totiusque Familiæ dedecus sequuturum appareat, ad evidentiam liquet, quod tales Nuptiæ sine gravissima, ac mul-

95 tipli-

95 tiplici lethali culpa perfici nequeant,
cumque *Juri Naturali*, *Divino*, *Ca-
nonico*, *ac Civili* multipliciter oppo-
nantur tàm in primo, quàm in secundo
casu quisquis illas juramento promit-
tit, proculdubio perjurat, quia jurat
id, quod non exequi omni Jure tene-
96 tur, & ad illud frangendum pietate,
justitia, caritate, ac religione com-
pellitur, ne Deum velit confirmato-
rem impietatis, scandali, sacrilegii,
cæterorumque criminum, quæ in tali-
bus Nuptiis jam supra sub *num.*41. re-
missivè ad *Vot. I. & II.* adesse innui-
mus, quas propterea Deus nèc appro-
bat, nèc illis sui testimonii robur adji-
97 cere nisi impiè censeri potest, sed Dia-
98 bolum ipsis totum dedisse fomentum
docet *Card. Bellarmin. tom.2. contr. de
Matrim. lib.1. cap.20. vers. Sic igitur* =
Concludendum igitur Sponsalia
99 etiam jurata in casu nullam parere ob-
ligationem, quia unanimis Theologo-
rum, ac Juris Interpretum Sententia,
nèc non Verbum Dei, Sacri Canones,
Legesque Civiles illa improbant, &
detestantur, unde nèc licitè, nèc va-
lidè ea, de quibus agitur, contrahi po-
tuerunt, neque sacrilegè Juramento
firmari, tùm propter peccata, quæ in
actu suscipiendi, & administrandi Sa-
100 cramentum Matrimonii ipsi Contra-
hentes committerent, de quibus latè
in *Vot. I. n.*187. *& seqq. & Vot. II.
n.*126. *& seqq.* tùm propter scandala,
perturbationes, pravosque exitus, qui
101 exinde sequerentur ad terminos *text.
In Cap. Cum in tua 27. de Sponsal.* = ibi =
102 *Si persona gravis &c. de fama, vel
scandalo doceat &c. debes &c. compel-
lere, ut a tali Contractu desistant* = &
pariter in *Cap. Requisivit 17. de Spon-
salib.*, ubi statuitur neque injustè re-
103 pugnantem reddere juratam fidem co-
gendum esse, & pro ratione adduci-
tur = *quia coactiones solent difficiles
exitus habere* = ita similitèr in *Cap.*
104 *Præterea 2. eod. tit.* = ibi = *Ne fortè
deterius inde contingat* = nèc non in
Cap. Cum locum 14. eod. tit. = ibi = *Ne*
105 *sequatur exitus, qui de invitis solet
Nuptiis provenire*, = itaque sentit
Rubeus in annot. ad Rot. decis. 431.
*par.*4. *tom.*2. *recen.* ubi quamvis se
præbeat defensorem acerrimum obli-

gationis ortæ ex Sponsalibus inter im-
pares, adhuc *num.*83. veritatem fate- 106
tur = ibi = *Matrimonia enim plerum-
que infelices exitus habere solent,
quando inter impares contrahuntur* =
idemque testatur *Menoch. cons.* 385. 107
*n.*5. *tom.*3. = optimè *Gutierez quæst.
Canonic. lib.*1. *cap.*20. *n.* 17. = ibi = *Ex
hujusmodi Matrimonio Filii cum indi-* 108
*gna contrahentis summa discordia in-
ter Patrem, & Filium induci posset* =
& deinde *n.*18. = ibi = *Quia vero dissi-
dium inter eos, qui se amore obcæcati
ducunt, facilè exoritur, Matrimonia-* 109
*que infelicem ex eo exitum habent, si-
cut & quæ coactione fiunt* = & infra
*n.*20. = ibi = *Quæ sanè causa rationa-
bilis est, ut recedatur a Sponsalibus,
atque ita Matrimonium impediatur* = 110
clarius *Barbos. in Cap. Requisivit* 17.
*n.*6. *de Sponsal.* = ibi = *Nuptiæ coactæ* 111
malos exitus habere solent = & *in fin.* =
Id enim plerumque contingere solet, 112
quando inter impares contrahuntur =
& insuper in *Cap. Veniens* 13. *n.*5. *eod.
tit.* = ibi = *Matrimonium inter amore
excæcatos &c. ut plurimum habet in-* 113
felicem exitum = Item *De Marin. re-
solut. quotid. lib.* 2. *cap.*132. *num.*3.
*tom.*2. = ibi = *Etenim Matrimonia hæc
dum secreto celebrantur &c. odium
Parentum in Filios, dissensiones inter* 114
*Consanguineos, cæteraque magni pon-
deris mala oriuntur* = pluribus utrius-
que Juris Interpretibus relatis *Ti-
raquell. de leg. Connub. gloss.*1. *par.*5.
*leg.*5. *a n.* 20. = ibi = *Æqualitas est
Mater concordiæ &c. contra inequa-* 115
litas odii, diffidiique parens est = nec
abnuit veritatem profiteri inter liber-
tatis Matrimonii assertores nulli se-
cundus *Boss. de contr. Matrim. cap.*11.
*n.*87. ubi exponens *text. Trident. sess.*
24. *cap.*1. *de reformat. Matr.* docentis
Ecclesiam justis de causis detestatam
fuisse Matrimonia, quæ a Filiisfamilias,
invitis Parentibus, contrahuntur, sic ait =
*Quamvis dici queat Ecclesiam illa sem-
per fuisse detestatam, quia ex talibus
Matrimoniis frequentèr oriuntur scan-* 116
*dala, & magnæ perturbationes in Fa-
miliis, quæ fortasse sunt illæ justissi-
mæ causæ detestationis* = egregiè *Ja-
cob. Marian. in Candelabr. Myst. tract.*
8. *lect.*3. = ibi = *Tertia causa Infausti
Ma-*

Matrimonii est inæqualitas Viri, & Mulieris. Unde frequenter a Deo punitur earum personarum temeritas,
117 quæ cum sint humiles, aut inopes cum Nobilibus, aut Divitibus inire Matrimonia contendunt &c. nam disparitas Conditionis frequenter invehit dissensiones = & pariter Del Bene de Immunit. par.1. cap.8. dub.19. sect.9. n.43. = ibi = Ad Judicis officium pertinebit cavere, ne contrahantur similia Matrimonia (scilicèt inter dispa-
118 res) ex quibus scandala, & infelices exitus sequi consueverunt = consonat Opatov. de Sacram. tract. de Matrim. disput. 1. quæsit. 7. n.105. = ibi = Si inter Parentes Contrahentium odia interveniant, ita quod se opponant con-
119 trahendo Matrimonio, propterea Sponsalia dissolvi possunt, ac debent, siquidem timendi sunt aliqui infelices eventus = nec non Reginald. in prax. pœnit. tom. 2. lib.31.n.24. de Filiis, ut supra, Matrimonium Contrahentibus
120 inquit = Imò sæpè esse mortale ob scandala, & alia mala, quæ ex taliter contracto Matrimonio oriri consueverunt = præclarè Michael Salon.in 2.2. D. Thom. quæst. 5. de Domin. artic.5. tit. An Filius temerè contrahens conclus.1. in fin. = ibi = Hujusmodi Matrimonia regulariter gignunt scanda-
121 la, inimicitias, perturbationes, & lites in Republica, inter Affines, & Cognatos utriusque Partis, si Personæ sint Nobiles, vel saltem in domibus Parentum, si sint infimæ sortis &c. Contrahunt multi turpiter, & indecenter cum maximo damno societatis humanæ, sicut videmus accidere, quando similia Matrimonia contrahuntur maximè inter Nobiles = nèc licet omittere perspicua verba Molinæ, qui præ cæteris indigna Sponsalia reprobare formidat, & tamen tom.1.de Just. tract.2. disput.176.vers. Contrariam sententiam circ. med. sic loquitur = Experientia testatur eos, qui ita contrahunt, solere postea non rarò
122 dolere, quod ita contraxerint, neque similia Matrimonia exitum prosperum habere consueverint = & insuper affirmat hujusmodi Matrimonia non
123 contrahi = nisi cum magno suo proprio, suorumque Parentum spirituali, & temporali damno, ac cum perturbatione, & dedecore Reipublicæ = apertissimè Dicastillo tom. 3. de Sacram. artic.10.de Sponsal.disput.4. dubit.18. n. 180. = ibi = Quamvis autem fortè præcesserint Sponsalia, nihil obstat 124
quominùs impediri possint, quia nemo tenetur Sponsalia implere, quando inde imminet malum, aut scandalum, & ex dictis colligitur posse, imò DEBERE Prælatum impedire Matrimonium contrahendum a Filiofamilias 125
cum aliqua indigna, si inde prudenter timeatur scandalum = brevius & æqualiter manifestè Gobat. tom.1. Experim. Theolog. tract. 10. cas.3.n.106. = ibi = Si timeatur gravis, & diuturna Parentum offensa; si denique grave scandalum, irrita sunt Sponsalia, potestque, ac DEBET Magistratus Ec- 126
clesiasticus impedire meditatum Matrimonium = & similitèr Konig.sup.4. Decretal.tit. de Sponsal. n.31. = ibi = Si ex tali Matrimonio scandala, & infelices exitus metuendi sint, quandoquidem virtus Justitiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Unde Pontifex jubet 127
in tali casu Judicem DEBERE interdicere Matrimonium Cap. Cum in tua de Sponsal. = idque confirmat Pax Jordan. elucubrat. tom.2. lib. 9. tit.1. de dispensat. n. 268. = ibi = Nono (Epi- 128
scopus) impedit Sponsalia secundum terminos Cap. Cum in tua de Sponsalib. = Non omittendus Engel. in 4. Decretal. tit. de desponsat. Impuber. §.2. n.11. = ibi = Unum adhuc notabile placet hic adscribere, quod licèt dissensus Patris non invalidet Matrimonium jam contractum, si tamen sola Sponsalia jam contracta sint, & inde ex dissensu Parentum, & Consanguineorum, fortè propter inæqualitatem, aut aliam causam magnum scandalum, vel alius malus exitus ti- 129
meatur, possit Judex Ecclesiasticus tale Matrimonium prohibere, & Sponsalia irritare, cum virtus Justitiæ non obliget ad actum peccaminosum = hoc idem concludit Aversa de Matr. quæst.8. sect.15. §. Et quidem = ibi = Si ob notabile scandalum non erat ei licitum cum tali Persona conjugari, poterit etiam a Judice inhiberi ne 130
con-

contrahat = & deinde §. seq. , = ibi =
Quare etiamsi ipse nollet recedere (a
Sponsalibus nempè etiam juratis) me-
131 ritò poterit a Judice EX OFFICIO , vel
ad instantiam aliorum , quorum inte-
rest, inhiberi = Huc quoque spectant,
quæ tradidit Ricc. in prax. rer. quo-
tid. tom.1.par.1.resolut.218. n.4 =Ibi=
Tertia sit conclusio ; Inter causas ju-
stas , ac legitimas non contrahendi est
132 magna disparitas inter Sponsos , pu-
ta si unus erat ditissimus , alter vero
pauper Paris. cons.58. num.37. vol.4.
133 Cacheran. cons.23 Item Nobilis, alter
vero ignobilis , ut fuisse decisum in
Rota Romana testatur Cæsar de Graf-
sis in decis. 2. de Sponsal. = convenit
Pignattell. consult.11. tom.4. Zaul.ad
Stat.Faventin. lib.4.rubr.26. num.41.
& seqq. . Less. super 2. 2. D. Thom.in
Auctuario verb. Sponsalia cas.4. =ibi=
Puella Nobilis sexdecim annorum cui-
134 dam Nobili adolescenti , sed inferioris
fortunæ , hac forma verborum se ob-
strinxit : Ego N. promitto Domino N.
jurans per SS. TRINITATEM, PER SAN-
CTA DEI EVANGELIA &c. me nun-
quam alteri nupturam , eumque acce-
pi , & ex nunc accipio in Maritum
etiamsi nostrum Matrimonium per mul-
tos annos non sequatur , si fortè ejus
Parentes,vel mei id vellent impedire=
& quamvis in hoc per Less. proposito
casu prævideantur ea Parentum impe-
dimenta , quæ si fuissent occulta, fortè
possent defectum intentionis arguere ,
quamvis disparitas Natalium non ad-
sit , cum adolescens sit æque Nobilis,
solumque divitiis impar, adhuc resol-
135 vit primo, quod attenta Parentum ju-
sta aversione locus sit dispensationi in
Sponsalibus, & jurejurando , tùm sub
n.11. subjungit = Imò probabile est in
136 tali casu opus non esse dispensatione,
quia Justitia non potest obstringere
ad id , quod sine peccato fieri nequit ,
quale est Matrimonium cum Proximo-
rum scandalo, & Parentum gravi, &
justa indignatione = similemque pro-
ponit casum Gobat. tom. 1. Experim.
Theolog. tract.16. cas.4. = ibi = Calli-
machus honestæ familiæ , & fortunæ
137 desponsavit sibi Calfurniam Virginem
aliquanto honestioris familiæ : id fe-
cit tamen insciis Parentibus . Ubi re-
scivit Pater Calfurniæ facta esse Spon-
salia , non tantum excanduit summo-
perè , sed seriò fuit minatus Filiæ ,
se illam præteriturum in testamento ,
nisi nuncium mitteret Callimacho . At
cum hæc mittere nollet , adivit Se-
dem Episcopalem , postulavitque , ut
dirimerentur Sponsalia , quia tamen
non impetravit , quod petebat , per-
stitit in proposito exhæredandi Filiam=
& num.111. absque ambagibus resol-
vit = ibi = Apparet deliquisse Calfur-
niam , dum contraxit Sponsalia inscio
Parente , sciebat quippe , vel suspica- 138
batur exoritura mala , nec deerant ,
quibus ipsa aptè nuberet . Apparet se-
cundo NON VALUISSE ejus Sponsalia , 139
quia nequibat sine gravi peccato in
Parentes inire Matrimonium tale. Ap-
paret tertio Judicem Ecclesiasticum
immeritò tulisse sententiam pro valo- 140
re , & obligatione illorum Sponsa-
lium= Accedit tandem, cæteris quam-
plurimis omissis , auctoritas Sac. Rot.
Roman. decis.437. num.3. cor. Coccin.
tom.1. = ibi = Hæc justa videtur causa,
ut recedatur a Sponsalibus , & Matri-
monium impediatur,&c.ne &c.infeli- 141
cem exitum habeat = idemque habetur
in decis.96.n.7. cor. Pamphil. ubi quod 142
levissima sufficit causa propter infeli-
ces exitus.Adden. ad eamd.decis. n.10.
= ibi = legitima quoque causa reputa-
retur &c. periculum scandali , vel
mali exitus Matrimonii=&pariter Rot.
cor. Cels. decis.374. n.7., aliisque col- 143
lectis decis.207. n.9.par.1. recen.=ibi=
Siquidem &c. ut plurimum exitus pa-
rum felices sortiuntur = plurimique
congesti per Rub.in annot.ad decis.431.
n.71.& 79.par. 4.tom.2.recen.nec non
Rot. decis.19.n.45. par.10.recen.=ibi= 144
Ulterius constat &c. de maximo infe-
licis exitus timore , casu quo sequatur
tale Matrimonium = & rursus n. 59.
= ibi = Matrimonia enim infelices exi- 145
tus plerumque habere solent , quando
inter impares contrahuntur = & cor.
Pirovano in Romana Sponsalium 9.
Februar.1629. §. Quia in fine , & de.
cis.516. num.6. cor. Ansald. tom.5.

At non est diutius immorandum in re profectò per se tam clara, quamque quotidiano discimus experimento; Id unum tamen repetendum,quod

hoc adeo verum antiquioribus Canonistis visum fuit, ut censuerint istam disparitatem justam præbere causam,
146 ut Summus Pontifex solvat Matrimonium ratum, ut post *Felin. supra n.79. citat. Soccin. Dec*, aliosque notat *Menoch. consf.385. n.4. lib.4.* & ex recentioribus *Ursaya Discept. Eccles. tom.3. par.2. discept.21. n.60. per plures seqq.*,
147 ubi ostendit Papam quibusdam de causis, quarum præcipua est gravis scandali timor, posse dissolvere Matrimonium ratum, & *n.61.* cum auctoritate *Gobat. & Cardin. de Luc.* talis dissolutionis adesse exempla testatur, & inter quamplures Theologos *Sanchez de Matrim.*, qui, licèt cæteris acrius obligationem indigna quoque adimplendi Sponsalia tueatur, tamen cogitur luculentum præstare huic veritati testimonium *lib.2. disp.16. n.2.* ubi docet, quod quando Contrahentes conditione notabilitèr impares, & amore
148 obcœcati indignas contrahunt Nuptias, eorum Matrimonium ratum dissolvi potest ex ea ratione = ibi = *Quia Matrimonium ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam &c. Nihil autem magis mutuæ amicitiæ, ac benevolentiæ, quam Conjugum disparitas adversatur. Item quia, experientia teste, imparia Connubia infelices exitus habent* = cui quidem rationi alteram etiam addimus, quod illud certè vinculum, quod Deus conjunxit, homo separare non potest, sed ejusdem valoris dici nequit illud, quod, Dæmone auctore, conjunctum fuisse testatur *Emus Bellarmin. controvers. tom.2. de Matrim. lib. 1. cap. 20. vers. Sic igitur* = ibi = *Si tantum ad libidinem temerè sine consilio Parentum Conjugium ineatur, non erit auctor Deus, sed Diabolus ejus Conjugii* =
149 Quod si propter metum infelicis exitus Matrimonium ratum solvi potest, eo magis Sponsalia ex eadem causa dissolvi debent, seu verius irrita usque ab initio sunt declaranda, nam in hoc certè negocio verissima est illa exceptio Discipulorum Christi apud *Matth. cap.19. vers.10.* = ibi = *Si ita est causa Hominis cum Uxore, non expedit nubere* = Si timor mali exitus
150 statim ac post contractum Matrimonium suboluit, potest solvere Matrimonium, idem timor, si ante Matrimonium de se prodat, non tantum potest, sed debet Sponsalia (quæ sua natura sunt revocabilia) distrahere; 151
si est communis Canonistarum doctrina, quod rato, & consummato Matrimonio propter metum sævitiæ (quamvis non ultra processuræ, quam ad gravem verberationem) unius 152
Conjugis alter divertere possit, quemadmodum pluribus citatis tradit *Anaclet. Reiffenstuel. in Jus Can. ad lib.4. Decretal. tit.19. §.2. n.37. & seqq.*, eo præstabilius erit Sponsalia, ex quibus timetur malus exitus, dissolvere, quam, jacta jam alea, serò tandem maritale Conjugium per divortia, ut 153
frequenter accidit, revocare; si demum DD. hucusque allegati, ac cæteri omnes, qui allegari possunt, in enumerandis causis, per quas nunquam oritur Sponsalium obligatio, eas 154
afferunt sub disjunctione *sive* scilicèt propter grave incommodum, *sive* 155
propter injuriam Parentum, *vel* propter scandalum, *vel* propter inimicitias, *vel* propter dedecus redundans 156
in Consanguineos, *aut* propter infelicem exitum verosimiliter timendum, 157
multo magis nulla sunt Sponsalia, de quibus agitur, quia non versamur in Sponsalibus inter personas parum disparis conditionis, sed cum persona 158
indigna, & valdè dispari, in qua specie non unum tantum, vel alterum, sed omnia simul enumerata mala, 159
atque facinora regulariter occurrunt, prout hactenus demonstravimus, adeo ut si versaremur etiam in casu, in quo singulæ prædictæ causæ minus efficaces reputarentur, efficacissimæ forent, dum copulantur *Gobat. tom.1. exper. Theol. tract.10. cas.8. n.341.* = ibi = *Fit quandoque, ut concurrant plures causæ dissolutionis, quarum singulæ, etsi non sint sufficientes, universæ tamen sufficiunt, quia scilicèt faciunt notabiliter difficiliorem contractum Matrimonii. Ratio est, quia singula, quæ non prosunt, multiplicata juvant* = 160 161

His accedit, quod si communiter admittitur, atque Sacrorum Tribunalium praxi confirmatur, quod hujus-

hujusmodi Sponsalia nèc ex vi Jura-
menti eogant ; ut impleantur , si con-
surgat gravis Parentum indignatio ,
162 multoque magis si Filios sua hæredita-
te privare minentur , ut tenuit *Rot.*
decis. 1258. *n.* 1. *&* 2. *cor. Seraphin.*
cum pluribus aliis *decisionibus* ibidem
allegatis , & *decis.*517.*cor.Pen. tom.*1.
quam per extensum refert *Boss.de con-
tract. Matrim. cap.*11.*n.*97. & cum ea
163 tamquam magistrali procedi testatur
*Card. de Luc. de Matrim. disc.*8.*n.*10.
& 11. ubi notat hanc justam esse cau-
sam dissolvendi Sponsalia ; *Boss. loc.
cit. num.*97. = ibi = *Quod ob timorem
probabilem magnæ indignationis , &
maledictionis Parentum tali Matri-
monio contradicentium hæc sit justa
causa , ob quam Prælatus non debet ,*
164 *Parte instante , cogere ad implenda
Sponsalia , sed potius teneatur Sponsa-
lia dissolvere , & rescindere* = & articu-
165 lo maturius discusso firmavit *Rot. de-
cis.*19. *n.*56.*par.*10. *recen. & cor. Mo-
lines decis.*979. *num.*2. *tom.*4. *& cor.
Kaunitz decis.*77. *num.*3. *tom.*1.

A fortiori si Judex tenetur sol-
vere Sponsalia ob metum indignatio-
166 nis Paternæ erga Filium, & exhæreda-
tio , & amissio temporalis lucri est
causa sufficiens , ne jurata in Sponsa-
libus fides a Sponso servetur , a for-
tiori , repetimus , tenebitur idem Ju-
dex Sponsalia dissolvere , seu verius
irrita declarare , dum ex illorum im-
plemento non solum indignatio Pa-
rentum , sed indignatio superni Nu-
minis , & innumera peccatorum, scan-
167 dalorumque series in Dei offensam ,
& animarum ruinam sint sequutura ,
nèc consequenter agitur de sola
amissione hæreditatis Paternæ , & in-
teresse temporalis , sed de amissio-
168 ne Cœlestium bonorum , & æternæ
beatitudinis , propter peccata , quæ
actum Matrimonii vel concomitantur,
vel subsequuntur; Et scandalosum pro-
fectò foret, si Judex teneretur propter
interesse temporale, & amissionem pa-
ternæ hæreditatis a fide in Sponsalibus
169 data , non attento juramento , Filium
absolvere , & prohiberetur e contra
propter Juramentum , ejus impedire
Matrimonium per eum ad inservien-
dum tantum libidini, cum læsione pie-
tatis , justitiæ , & caritatis sacrilegè
contrahendum non obstante amissione
non lucri temporalis, sed Cœlestis hæ-
reditatis, perinde acsi ad secundandam
illius temeritatem , atque peccatum
obligatus esset contemnere quidquid
in ipsius Filii, cæterorumque spiritua-
lem ruinam propter ejus effrænam li-
bertatem fore eventurum, vel pruden-
ter timet , vel manifestissimè novit .

Absque eo quod opponi valeat ,
quod, etsi Filius peccet ineundo Spon-
salia cum Persona inæquali , nullam
adhuc contrahat culpam , si sponsalia
adimpleat , quippe qui præstat id , ad 170
quod ex justitia tenetur , ut censuit
*Molina tract.*2. *de Just. disp.*271. *n.*4.
quem in parte sequitur *Sanchez de
Matrim. lib.*1. *disput.*14. *num.*5. *tom.*1.

Id enim verum esset , quoties
exequutio Sponsalium non contineret
peccatum , cumque exequutio Spon-
salium sit ipsum Matrimonium , cujus
actus in hypothesi est illicitus , atque 171
prohibitus , ac sine peccato ad illum
deveniri non potest , proinde sequi-
tur , quod promissio in Sponsalibus fa-
cta de re illicita adimpleri nequeat ,
ut latè probavimus *In Voto III. n.*96. 172
& seq. , *& num.*102. *&* 149. utque
difficultatem *Molina* sibi contrarius
loc. cit. resolvit = ibi = *Puella Nobi-
lis &c. quæ malè facit Sponsalia con-
tra voluntatem Patris eum ignobi-* 173
*li &c. contrahendo , eo quod executio
non possit esse sine scandalo aliorum ,
& dedecore ipsius Puellæ* = eaque ver-
ba transcribit *Sanchez loc. cit. n.*2. Ex
ipsorum igitur confessione resultat
Matrimonium prædictæ Puellæ esse il-
licitum , nulla etenim alia excogitari
potest executio Sponsalium , quam
Contractus Matrimonii , qui cum ex
illorum confessione sine scandalo per- 174
fici nequeat, pernecesse Sponsalia, quæ
ad illud tendunt , nullam parere
possunt obligationem , alias admit-
tendum esset consurgere obligationem
justitiæ ad exequendum opus per se
scandalosum , quod absurdissimum esse 175
in tota *allegata disputat.* idem *Moli-
na* fatetur , & præcipue *num.*5. = ibi =
*Etiam nulla sunt ea promissio , aut
pactum , quæ idcirco sunt contra bo-
nos mores , quod manifestam tribuunt* 176

 pec-

peccati occasionem, vel præjudicium
afferunt, facileve afferre possunt mo-
ribus, quos esse expedit in bene insti-
tuta Republica = & per consequens
nulla quoque erit promissio in Sponsa-
libus emissa, nèc minimam pariet
obligationem, quia ejus executio non
177 potest esse sine scandalo, quo nihil
perniciosus Reipublicæ contingere po-
test. Et profectò idem absurdum
agnovit *Sanchez*, qui *cit. n.3.disp.14.*
ita limitavit Molinæ dictum = ibi = *Hoc*
tamen limitandum est, nisi scanda-
lum magnum ex eo Matrimonio pro-
babilitèr timeatur, quia virtus Ju-
stitiæ obligare nequit ad actum, qui
sine peccato impleri non potest, sed
contrahere Matrimonium cum magno
178 *illo scandalo est apertè lethalis culpa,*
cum notabiliter caritas proximi læda-
tur, dissolvatur Parentum pietas, &
Cognatorum amicitia &c. = Semel
enim admisso inconcusso illo princi-
pio, quod nulla possit subsistere obli-
179 gatio Justitiæ ad præstandum actum,
qui sinè peccato nequit impleri, per-
necesse sequitur nulla Sponsalia subsi-
stere, quæ Filii contrahere, Parenti-
bus justè renuentibus, audent, maxi-
mè dum tendunt ad Matrimonium in
180 infamiam Familiæ, & occasionem odii,
detractionum, cæterorumque crimi-
num hactenus enunciatorum omnino
cessurum. Hinc de Juvene, qui Ju-
ramento se obstrinxerat ducere in
Uxorem suam Concubinam perspicuè
respondit Summus Pontifex Alex.II.
relatus ab *Ivone Carnotensi p. 9. De-*
cret. de incest. copul. cap.37. fuisse
181 reum perjurii, dum promisit, quia Jura-
mento spopondit, quod licitè adim-
plere non poterat = ibi = *Juraverat*
enim eam in Matrimonium ducere
Sponsus. Peccator iste notatur perju-
rio, quia quod observare legaliter non
potuit sine judicio Parentum, temerè
jurare præsumpsit =

Augetur argumenti robur ani-
madvertendo, quod Filiifamilias præ-
pedictis Sponsalibus reverentiam, &
182 honorem Parentibus *Jure Naturali,*
& Divino debitum maximoperè vio-
lare, & Consanguineorum decori, ac
183 paci inevitabile detrimentum afferre
præsumunt, unde nemo, qui non sit
prorsus immemor pietatis audebit ne-
gare, quod ad minimum in iis adim-
plendis peccetur, sive dubitare quin
leve saltem scandalum sit suboritu- 184
rum, aut quod saltem leviter Caritas
lædatur, quod sine dubio sufficit, ut
irrita, & illicita censeantur, nullam- 185
que pariant obligationem, cum indu-
bitati Juris sit, quod omnis promissio,
etsi Sacramento confirmata, dum ci-
tra venialem culpam adimpleri ne-
quit, nequaquam obliget ad sui adim- 186
plementum, ac irrita a suimet initio
remaneat, repugnat namque peccatum
quantumvis leve cadere sub præcepto,
nèc concipi valet, ut quis simul obli-
getur præstare id, quod aliunde vita- 187
re debet, utpote contra rectam ratio-
nem, & a Deo vetitum; quam Veri-
tatem cunctis Catholicis notam docent
nedum Theologi, inter quos *D.Thom.*
2.2. quæst.89. art.7. §. Respondeo ante
fin. vers. Si vero sit quidem, & §. ad 1.
in fin. & §.ad 2. S. Bonav.in 3.dist.39.
art.3. quæst. 3. latè *Suarez tom. 2. de*
Relig. tract.5. de Juram.lib.2.cap.15.
Sanchez de Matr. lib.1. disput.32.n.1.
Tolet. Instruct. Sacerd. lib.4. cap. 22.
n.2. vers. 1. est Jacob. de Graff. decis.
aur. par.1. lib. 2. cap.18. n.1. Verum
etiam Canonistæ, ac præ cæteris *Fe-*
lin. in Cap. Si vero n.4.de Jurejur. ex
Abb., Jo: Andr., Imol., Butr., &
Archid. tradit, quod = *pactum in-* 188
cludens peccatum veniale non tenet =
& subdit = *Ista revera sunt notanda ad*
irritanda mille juramenta, licèt ve-
nialia sint plurima = quod eruitur ex
Cap. Quamvis 2. de pact. in 6. ubi
quod Juramentum servari debet, nisi 189
vergat in æternæ salutis DISPENDIUM,
juncto *Cap. Si vero 8. de Jurejur.* = ibi =
Nisi tale sit (hoc est juramentum),
quod servatum vergat in INTERITUM
salutis æternæ = ubi vox, *interitus*
significat mortem animæ, quæ per le-
thalem culpam inducitur, *dispendium*
vero quodvis etiam leve detrimen-
tum animæ, sive veniale peccatum, uti
notat *Jo: Andr. in d. Cap. Quamvis*
n.3. de pact.in 6. = ibi = *Constat, quod*
interitus sonat in mortem, dispen-
dium in damnum etiam parvum = ex
quo infert = *quod si quis juraverit fa-*
cere aliquod veniale, illud Juramen-
tum

190 *tum servare non tenetur*, *licèt possit non vergere in interitum salutis æternæ* = sed dumtaxat in animæ *dispendium* ob veniale peccatum *Peckius in Comment. ad reg.* 58. *Jur. n.*6. *ampliat.*3. pluribusque relatis *Guttierez de Juram. confir. par.*1. *cap.*6. *n.* 15.
191 ubi addit idem procedere, quoties peccatum veniale esset tantummodò a Jure positivo prohibitum.

Sed dato etiam per malam hypothesim contra Jura, rationem, auctoritates, & evidentiam, quod non solum
192 a mortali, sed a veniali quoque culpa indigna Conjugia forent immunia, adhuc, admisso hoc absurdissimo supposito, ut plurimum tamen irrita censenda essent indigna Sponsalia, neque ad servandam fidem urgeret additum Juramentum; ex eo nempè principio in Jure expresso, quod promissum etiam juratum, & individualiter Spon-
193 salia, ex quibus timeatur pravus exitus, nonsunt obligatoria *Can. Si aliquid* 22. *quæst.*4. = ibi = *Si aliquid fortè incautius nos jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, illud salubriori consilio mutandum noverimus* = ibique *Turrecremat. num.*5. ubi declarat verbum = *mutandum* = ibi = *Idest non adimplendum, seu non faciendum &c. sed veniendum contra Juramentum* = ac enumerat modos,
194 quibus Juramentum vergit in pejorem exitum, etiamsi non juretur opus mortale, vel veniale ex *Archid.* qui idem docet *in d. Cap. Quamvis n.*4. *de pact. in* 6. *Jo: Andr. ibid. num.*1. *Felin. in*
195 *d. Cap. Si vero n.*5. *de Jurejur.* = ibi = *Idem dic de Juramento vergente in pejorem exitum* = & deinde *n.*7. = ibi = *Et per hoc apparet non esse sumendum argumentum a contrario sensu ex isto*
196 *textu, quod omne id, quod potest servari sine interitu salutis æternæ debeat servari, si est juratum. Imò etiamsi esset contra bonos mores Naturales non ligat &c.* = idque notat *Gloss. in d. Cap. Si vero verb. salutis æternæ* ibique *Abb. n.*3.4.5. eamdemque re-
197 gulam ut certam supponunt etiam Theologi, & præcipuè *Magister in* 3. *dist.*39. ibique *D. Bonavent. artic.*3. *quæst.* 3. *in conclus. D. Thom.* 2. 2. *quæst.*89. *artic.*7. *in resolut. &c. ad* 2. *Sot. de Just. lib.* 8. *quæst.*1. *artic.* 7. *Graff. decis. aur. par.*1. *lib.*2. *cap.*18. *n.*1. Communis autem conclusio experientiæ consona fert, Sponsalia contracta inter impares, vel invitis Parentibus, semper, aut sæpè sæpius ver- 198
gere in deteriorem exitum, de qua experientia quisque testis esse potest, ultra Doctores, quos supra retulimus *n.*142. *& seqq.*

Constito itaque, quod Sponsalia sint irrita, quoties personæ spondentes contrahere licitè Matrimonium non valent, quod apud omnes est in 199
confesso, neque de hoc audent dubitare illi quoque, quorum interest libertatem in Matrimoniis ad scrupulum usque tueri, ex ea ratione, quam meritò adducit *Francisc. Amic. tom.*9. *disput.*31. *n.*1. *in fin.* = ibi = *Quia cum Sponsalia sint promissio ex Justitia obligans ad Matrimonium futurum contrahendum, nullaque illicita promissio possit promissorem ex justitia ad* 200
promissum servandum obligare, quotiescumque Matrimonium est illicitum, etiamsi sit validum, INVALIDA *erunt Sponsalia* = cum quo convenit *Dicastillo tom.*3. *de Sacrament. tract.*10. *de Sponsal. disput.*1. *dub.*31. *a n.*432. = ibi = *Generalitèr loquendo, qui nequit contrahere licitè, etiam nequit* VALIDE' *promittere, neque enim valet promissio, quam promittens implere non potest licitè, nulla enim promissio* 201
rei illicitæ valet, aut obligat = disertius *Konig. sup.*4. *Decretal. tit.*1. *de Sponsal.* §.6. *n.*24. = ibi = *Materia, seu objectum Sponsalium est Matrimonium licitum; dixi licitum, enim vero* VALIDE' *promitti nequit, nisi per se licitè contrahi possit. Nam etiam juxta sanctiones pactum turpe, aut impossibile* 202
de jure, vel de facto NULLAM OBLIGATIONEM *inducit* = ultra alios supra relatos, & præsertim *n.*134. *& seqq.*

Constabilito, quod Sponsalia quantumlibet jurata, vel ab ipso principio non obstringunt, quia temerè, & illicitè fuerunt promissa, vel veniunt omninò dissolvenda, quandocumque ex adimplemento deterior 203
exitus jurè formidetur, quod principium *Juribus, ratione, & auctoritate* firmissimum apparet.

Con-

Confirmato tùm auctoritatum
pondere, tùm rationum momentis,
204 quod promissio indigni Conjugii vergens in aliorum infamiam (maximè si
promittens fuerit Filiusfamilias, idque promittere ausus sit inscio, vel
renuente Patre) usque ab exordio sit
invalida, nèc hæsitandum veniat,
quod Matrimonium a Filiisfamilias,
Parentibus ex justa causa reluctanti-
205 bus, contrahendum cum Familiæ dedecore, & Consanguineorum injuria
illicitum perpetuò sit, quippè quia
adversatur *Juri Naturali, Divino, & Ecclesiastico*, minusque impugnandum,
quod ex Sponsalibus, invitis Parentibus, maximè cum persona indigna
contractis frequenter, imò semper de-
206 terior, ac infelix exitus oriri consuevit, quod experientia quotidie comprobat, utriusque Juris Interpretes,
Theologi omnes fatentur, ipsimet
Matrimonii libertatis assertores ultro
concedunt, necessario sequitur, quod
nulla Sponsalia valent, nulla ad sui
executionem obstringunt semper ac
respiciunt Matrimonia istiusmodi cir-
207 cumstantiis dehonestata, quamvis fuerint Juramento fulcita, ne quod turpè est, servandum esse admittamus
contra monitum *D. Ambros. lib.* 3. *de offic. cap.* 12. *in princ.* = ibi = *Tollerabilius est promissum non facere, quam*
208 *facere quod turpè est* = neve approbemus, quod *a D. Augustin. tom.* 5. *edit. Paris. sermon.* 307. improbatur = ibi =
209 *Inter lascivias temerè juratur, & impiè, quod juratur, impletur* = quod
nèc admittere, nèc approbare profitemur, donec vim omnem habuerit il-
210 lud *Naturale, ac Divinum præceptum*, quod in æternum manebit =
Honora Patrem, & Matrem = donec
Sancta Dei Ecclesia ea Matrimonia
211 *fuerit detestata*, ac *prohibuerit*, quæ
inhærendo Divino præcepto *semper*
constantissimè prohibuit, & semper
prohibituram esse non hæsitandum, &
quousque *D. Paulus* divino spiritu afflatus 1. *ad Corinth. cap.* 7. *vers.* 39. ea
verba prolata de Vidua non retracta-
212 verit, nempè = *cui vult nubat tantum in Domino* = non autem in Diabolo, & cum peccato.

Et ita &c. utraque &c.

ANONYMA PRÆTENSÆ NULLITATIS SPONSALIUM EX DEFECTU REPROMISSIONIS

ARGUMENTUM

Ad perfectionem Sponsalium requiritur promissio unius Sponsi, & repromissio alterius, quæ tamen justificatur signis, conjecturis, & argumentis. Prohibetur Puella exequi Sponsalia ab ea contracta cum aliquo Juvene, quando ex subsequenti Matrimonio resultaret infamia, & deturpatio Familiæ, & Consanguineorum, nèc ad simile Matrimonium contrahendum Ordinarius licentiam concedere potest.

SUMMARIUM

1 *Facti series*, & num. seqq.
2 *Tenor Apocæ Sponsalium.*
3 *Prætendens Puella post Sponsalia contrahere Matrimonium, honestæ Matronæ custodienda per Ordinarium consignatur.*
4 *Suspenditur Decretum de contrahendo simili Matrimonio, donec audiantur Puellæ proximiores Consanguinei.*
5 *Oppositiones Consanguineorum.*
7 *Substantia, & perfectio Sponsalium consistit in mutua repromissione utriusque Contrahentis.*
8 *Alias Sponsalia, uti imperfecta, non sunt obligatoria.*
9 *Mutua repromissio, licèt non expressa, probatur tamen signis, conjecturis, & argumentis*, & num. 17.
10 *Quæ simul uniri debent.*
11 *Si in Apoca Sponsalium a Sponso tantum subscripta, Sponsaque præsente lecta, Sponsus dicat* = accetto per mia legitima Sposa = *& simul exprimatur* = ambedue siamo dell'istessissimo sentimento = *inde resultat repromissio Sponsæ.*
12 *Dictio* = mecum = *posita inter personas idem importat, ac unà simul, vel conjunctim cum alio.*
13 *Eo ipso, quod Vir Puellam in Matrimonium acceptat, præsupponitur præcessisse, vel simultaneè inter-*

interveniſſe conſenſum ejuſdem puellæ.

14 *Idem conſenſus apparet, ſi Puella ſe obtulit paratam ad ſubſcribendam Apocam, licèt impedita, illam non ſubſcripſerit*, & n.32.

15 *Ad probanda Sponſalia multo numero habendæ ſunt atteſtationes Conſanguineorum Sponſi quando conveniunt cum dictis teſtium, qui Sponſalibus fuere præſentes.*

16 *Maximè cum agatur de facto ſecuto inter domeſticos parietes.*

18 *Conjecturæ, quod Puella in Sponſalia conſenſerit, ſunt præcedentes amores, atque ſermones habiti cum Juvene.*

19 *Acceſſus Puellæ ad domum Juvenis occaſione conficiendi Apocam Sponſalium*, & num.33.

20 *Conſignatio Apocæ in manibus Puellæ, quam illa conſtanter, firmiterque cuſtodivit, atque ſervavit, & deinde produxit*, & num.21.

22 *Non præſumitur, quod honeſta Puella contrahere voluerit Sponſalia cum Viro infamis conditionis.*

23 *Promiſſor fictus cogi non poteſt ad Matrimonii celebrationem.*

24 *Etiamſi promiſſio fuerit jurata. Contrarium* num.25.

26 *Nemo efficacitèr obligatur, niſi habeat animum ſe obligandi.*

27 *Promiſſor fictus in Sponſalibus remanet obligatus, ſi, nullo dato ſimulationis extrinſeco indicio, alteri Sponſo promiſerit.*

28 *Secus ſi ſuæ ſimulationis externa dederit ſigna*, & num.34.35.

29 *Quia tunc non remanet obligatus etiamſi ſub illius fide Sponſam nimis credulam violaſſet*, & num.30.36.

31 *Hujuſmodi ſigna non fuerunt in caſu.*

37 *Nimia credulitas nemini proficit.*

38 *Dictum unius Fœminæ deponentis ad favorem Conſanguinei non attenditur.*

39 *Sed dicta teſtium, qui actui fuere præſentes.*

42 *Dicta Teſtium ſunt conciliand*a.

43 *Si promiſſor poſt promiſſionem ſui conſenſus dubietatem oſtendat, talis dubietas adminiculata inducere poteſt præcedentis actus, ſeu conſenſus ſimulationem.*

44 *Secus ſi apoca Sponſalium in ſuo tenore plenum exprimat utriuſque Sponſi conſenſum.*

45 *Nec conſtet per legitimas probationes de ſimulatione actus.*

46 *Nec expreſſiones in Apoca factæ ſint referibiles ad aliquam ſimulandi cauſam.*

47 *Non dicitur ſimulatum præſtiſſe in Sponſalibus conſenſum ille Sponſus, qui ſimulationem non oppoſuit in principio cauſæ, imò inſtetit pro Sponſalium adimplemento.*

48 *Judex cogere non poteſt Sponſum ad implendam promiſſionem, quatenus juſta cauſa ab executione Sponſalium illum excuſet.*

49 *Ex rationabili cauſa Sponſalia impunè diſſolvi poſſunt.*

50 *Matrimonia coacta acerbos ſemper exitus habere ſolent.*

51 *Ideò Sancta Eccleſia vel nunquam, vel admodum rarò coactionem permittit.*

52 *Cauſa recedendi a Sponſalibus an ſit juſta, & legitima examinari debet a Judice.*

53 *Cujus arbitrium pendet a ſingulorum caſuum ſpecialibus circumſtantiis.*

54 *Quælibet legitima cauſa ſufficit pro receſſu a Sponſalibus.*

55 *Multoque magis ſi ſint plures.*

56 *Pro receſſu a Sponſalibus legitima cauſa eſt maxima diſparitas conditionis.*

57 *Et Divitiarum imparitas.*

58 *Matrimonia inter impares infelices exitus, ut plurimum, habere ſolent.*

59 *Ars infamis alterius Sponſi eſt altera cauſa receſſus.*

60 *Conſanguineorum nuda indignatio cauſam ſufficientem præbet pro receſſu a Sponſalibus.*

61 *Item timor, ſeu fortius actus exhæredationis.*

62 *Sponſalia continent tacitam conditionem* = ſi res in eodem ſtatu permaneat =

63 *In eodem ſtatu non permanet, ſi alter*

alter ex Sponsis privetur hæreditate Patris, aut Patrui, aliorumque Consanguineorum.

64 *Maximè si tempore contractus Sponsalitii exhæredatio non erat nota*, & num.65.

66 *Indignatio Consanguineorum est causa sufficiens pro recessu a Sponsalibus, quamvis recedens coram Judice instetisset pro illorum adimplemento.*

67 *Præcipuè si habita notitia indignationis, & exhæredationis, statim in actis a Sponsalibus recessit.*

68 *Licèt alter ex Sponsis, non obstante indignatione Consanguineorum, & illius exhæredatione, instes pro adimplemento Sponsalium, non est tamen audiendus.*

69 *Quia subsequens Matrimonium esset peccaminosum, & illicitum propter scandalum, & injuriam proximiorum.*

70 *Nec Ordinarius sine peccato id permittere potest.*

71 *Non obstante Juramento, quo Sponsalia fuere firmata.*

72 *Quia tale Matrimonium totius domus honestatem, famamque deturparet.*

VOTUM V.



1 Uella quædam annorum sexdecim circiter ab alia Fœmina provectæ ætatis associata circa horam tertiam noctis coram nobis ex improviso comparuit, & dum exponebat se exiisse e domo paterna, & arripuisse fugam, ne succumberet sævitiis suorum domesticorum, qui impedire conabantur Matrimonium ab ea contrahendum cum Juvene, quem honestissimum supponebat, quique fidem juratam de futuris Nuptiis elapso anno sibi dederat mediante Apoca, quam nobis exhibuit, ipse Juvenis supervenit, & ambo à Nobis veniam celebrandi Matrimonium in facie Ecclesiæ, nullis ex prædicta causa præmissis Denunciationibus, enixis precibus postularunt. Apoca autem a Sponso, duobusque Testibus subscripta his verbis fuerat concepta = „ Io NN. accetto per mia le- 2
„ gitima Sposa la Signora NN. con
„ quella Dote, che le farà data da'
„ suoi Zij, e prometto con mio es-
„ presso giuramento, invocato il no-
„ me di Dio in presenza di tutta la
„ Corte Celeste, di non prender per
„ Moglie altra Femina fuori, che lei,
„ anzi ambedue siamo dell' istessissi-
„ mo sentimento di non poter con-
„ trarre altro Matrimonio senza il re-
„ ciproco consenso di lei, e mio, e
„ perchè cosi ci piace, ne abbiamo fat-
„ ta contentissimi la presente &c.„ =

Quibus auditis, visis, atque perlectis pro tunc petitam licentiam concedere noluimus; Puellam honestæ 3 Matronæ Civitatis custodiendam consignavimus, & deinde illius duos Patruos in Diœcesi habitantes sequenti die ad Urbem accedi mandavimus, sed interea Puella a Sponso fortè suasa instauravit formale judicium contra eumdem Sponsum mediante Monitorio, exhibuitque dictam Apocam in actis, cujus vigore illum cogi petiit ad Matrimonium in facie Ecclesiæ ineundum, ad quod adimplendum Sponsus se statim promptum obtulit, atque paratum.

Hujusmodi reciproco non obstante consensu, etsi pro parte utriusque 4 Contrahentis de libero statu constaret, Decretum nihilominus emanare suspendimus, donec a Patruis Sponsæ de causis illorum resistentiæ plenè fuissemus edocti, qui ad Civitatem perventi, & habita prædictæ instantiæ notitia, præfati Juvenis, neptisque prætensioni in actis se mordicus opposuerunt etiam nomine alterius eorum Fratris absentis, & in aliena Diœcesi ratione cujusdam Canonicatus per illum nuper obtenti residentis, cujus in termino sibi assignato deinde exhibuerunt speciale ad hanc litem Procuræ mandatum, excipientes nequa- 5 quam constare de Sponsalibus ex defectu mutuæ repromissionis dictæ Puellæ in Apoca non subscriptæ, & in omnem casum, data etiam Sponsalium perfectione, debere Puellam a Sponsalibus recedere, non solum quia in casu contrario eorum amisisset hære-
dita-

ditatem, quam ei sub conditione, quod si nubere vellet, pari nuberet, & non alias jam antea in Testamento reliquerant, nam præter illam nèc Filios, Filiasve, nèc ullos alios Nepotes, aut Neptes habebant, verum etiam quia Sponsus infamem artem Bajuli actualitèr exercebat, & ob alias plures causas, quas pro nullitate, seu rescissione dictorum Sponsalium adduxerunt, ultra dissensum ipsius Neptis, quæ deinde pendente lite a Sponsalibus in se reversa recessit.

Compilatis igitur hinc inde probationibus, illisque examinatis, in sensu fuimus nullatenùs esse prætensum Matrimonium contrahendum,
6 quamvis prima ex causis ut supra adductis pro invaliditate, seu rescissione Sponsalium nequaquam sufficere videretur.

Quod enim attinet ad assertam eorumdem Sponsalium imperfectionem ob figuratum defectum mutuæ repromissionis, constantissimè censuimus hanc exceptionem nullius esse momenti, frustraque a Patruis esse deductam. Licèt enim verissima sit regula, quæ substantiam, & perfe-
7 ctionem Sponsalium constituit in mutua repromissione utriusque Contrahentis *l.1. & 2. ff.de Sponsal.Can.Nostrates 30. quæst.5. Rot.decis.517.n.2. cor.Penn. & in Tuden.Sponsalium 21. Martii 1746.§.Exordiendo cor.R.P.D. Caprar. & in Majoricen. Sponsalium 25. Aprilis 1746.§. Parum difficultatis cor.R.P.D.Buss. & in Constantien. Sponsalium 26.Junii 1748.§.De Sponsalibus cor. R.P.D. Elephantut.*taliter ut illa unius Sponsi minimè sufficiat, sed æquè apparere debeat de repro-
8 missione alterius, alias Sponsalia imperfecta reputantur, & sic nullatenùs obligatoria, ut per text. expressum in *l.1. ff. de Sponsal.Cap. Tuæ 25.eod. tit. Canon. sufficiat 27. quæst. 2.* communissimè firmant *Paris.cons.55.n.14. vol.4. Sanchez de Matrim. lib.1. disput.5. num.1.Card.de Luc. eod. tract. disc.8. n.4. Piton. discept. Eccles. 77. n.2. tom.3. Rot. in Amerina Sponsalium 22. Novembr. 1737. §. Ast quatenùs cor.Emo Calcagnin. & decis.31. sub n.1.* penes *Monacell. in formular. tom. 2. & in Salicen. Sponsalium 5. Julii 1694. §. Cum namque cor. Ursino, & cor. Falconer. tit. de Sponsal. & Matrim. decis.6. n.1. & 2. & decis.374. n.3. cor. Cels., & decis.682. n.4. cor.Lancett.*cum aliis abundè cumulatis in *decis.572 num.1. & 3.cor. Crisp. tom.3. & decis 195. num.7. & seqq. tom.1. & decis.1285. n.3. tom 3. cor. Emerix Jun.* = ibi = *Tamen ad retardandum hujusmodi Censurarum usum duplex in præsenti concurrere visa fuit circumstantia, prima nempè fundata in defectu probationis Sponsalium, tàm ex parte Viri, dum testes ad hoc inducti vel illa penitus excludunt &c. vel non deponunt de promissione pura &c. quàm etiam ex parte Mulieris, quæ non probatur unquam acceptasse promissionem Caroli &c. & repromisisse, prout deberent, cum Sponsalia non contrahantur sine mutuo utriusque consensu* =

Æquè tamen indubitata est limitatio, qua edocemur dictam mutuam alterius Sponsi repromissionem, tametsi verbis expressis non manifestatam, benè tamen verificari signis, conjecturis, literis, factis, & argu- 9
mentis ejusdem Sponsi mutuum assensum concludentibus argum. *text. in Cap. Cum apud 23. de Sponsal.* = ibi = *Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare* = & concordat *text. in Cap. Tuæ 25. eod. tit. Cap. Si infantes unic. §. Porrò de desponsat. impuber. in 6.Sanchez loc. cit. n.2. & disput.16.n.6.& disp.22. per tot.* & docent communiter Canonistæ omnes in *Cap. Si inter Virum, & Uxorem 31.de Sponsal.*, & signanter *Abb. n.6. Fagnan.n.6.Trevis.de Sponsalib.privil.6. n.5.*ubi testatur de communi *Ciarlin. contr.174.n.66. Card. de Luc. de Dot. disc.78. num.11.Panimoll. annot.1. ad decis.23.num.12.Rot.cor. Cavaler. decis.421.n.1. & cor.Molin.decis.1; 25. n.5. tom.5. & in Camerinen. Sponsalium 12. Junii 1711. §. Nullius cor. Priol.& in Constantien.Sponsalium 7. Julii 1751. §. De repromissione cor. R.P.D.Matthæjo & in Rea ina Sponsalium 29. Januar. 1753. § Non itaque,& §. Ad suadendum cor. R.P.D. Buss.*

M In

In ſubjecta facti ſpecie, licet de-
ſideretur expreſſa Puellæ repromiſſio,
defectum attamen expreſſæ repromiſ-
ſionis abundè ſupplent indicia , con-
10 jecturæ , cæteraque concomitantia
argumenta , quæ in unum ſignanter
collecta , prout in hac materia fieri
debet , certam reddunt mutuam di-
ctæ Puellæ repromiſſionem .

In primis enim in Apoca habe-
tur = „ Io NN. ACCETTO per mia le-
„ gitima Spoſa la Signora NN. &c.
„ e prometto &c. di non prender per
„ Moglie altra Femina fuori che Lei,
„ anzi AMBEDUE ſiamo dell'iſteſſiſſi-
„ mo ſentimento &c. „ = ex quibus
verbis elicitur , quod eo ipſo , quod
Sponſus *acceptat* eamdem Puellam in
Sponſam , & aperta confeſſione in il-
lius præſentia , eaque non contradi-
cente , aſſerit = *ambedue ſiamo dell'*
11 *iſteſſiſſimo ſentimento* = revocari ne-
quit in diſcrimen mutuam Puel-
læ repromiſſionem per ea , quæ indi-
vidualiter expendit *Rot. d.deciſ.*1325.
a n.5. ad 10. *cor. Molines tom.5.*=ibi=
Conſenſus , & repromiſſio Annæ Ma-
riæ Sponſæ , quæ ſufficit etiam tacita,
& quod ex conjecturis , & ſignis ex-
trinſecis elicita ſit &c. in præſenti
hypotheſi ſatis , ſuperque reſultare
viſa eſt tàm ex ipſo tenore Apocæ,
quàm &c. ex Actibus ſubſequentibus.
Ex ipſo , inquam , tenore Apocæ con-
ſtat de repromiſſione Annæ Mariæ
Sponſæ , quia in illa dicitur = ibi =
Quod me cum benè honeſta, & virtuo-
ſa Domicella Anna Maria Friſch obli-
gaverim, ac promiſerim, & in meam
Matrimonii cariſſimam acceptaverim=
quæ verba ſupponunt, ac probant mu-
tuam , ac ſimultaneam promiſſionem ,
12 *& repromiſſionem tàm ratione illius*
dictionis = *cum* = *poſita inter Perſo-*
nas , quæ idem importat , ac una ſi-
mul , vel conjunctim , itaut non poſſit
unus obligari ſimul , & conjunctim
cum alio , niſi uterque promittat , &
repromittat &c. quàm ratione illius
verbi = *acceptaverim* = *tùm quia*
acceptatio correſpondet præviæ obla-
tioni , dum acceptari non poteſt, quod
non offertur , tùm etiam , quia cum
Matrimonium non poſſit eſſe ſine con-
13 *ſenſu utriuſque , eo ipſo , quod Vir*
Puellam in Matrimonium acceptat ,
præſupponitur præceſſiſſe , vel ſimul-
taneè interveniſſe conſenſum ejuſdem
Mulieris=

Hoc ipſum confirmant duo Te-
ſtes in Apoca ſubſcripti , qui unanimi-
ter deponunt ſe Puellam ſollicitaſſe ,
ut Apocæ ſe ſubſcriberet , & ad id
eam promptam , paratamque fuiſſe
manu jam ad calamum admota pro 14
hujuſmodi effectu: eatenus vero Apo-
cam non ſubſignaſſe, quatenus ſcribe-
re neſciebat,& dum in locum ſubſcri-
ptionis *Crucem* adhibere voluit , a
Sponſo impedita fuit , quia hoc caſu
Notarium neceſſarium eſſe ſuppoſuit
ad eamdem *Crucem* authenticandam ,
cujus opera uti noluit , ne Sponſalia
publica redderentur , idque confir-
mant Mater , & Soror Sponſi , quæ
una cum Teſtibus confectioni Apocæ
fuere præſentes , quæque de per ſe
ſumptæ nihil valerent uti conſangui-
neæ , & intereſſatæ , verum adminicu- 15
latæ a dictis Teſtibus nullam perſona-
lem exceptionem patientibus multo
numero habuimus , & maximè ad ve-
rificationem facti ſequuti intra dome-
ſticos parietes , de quo ſimiles Perſo- 16
næ tantum deponere valent in puncto
*Treviſan. de Sponſal. d. privil.*6. *n.*6.
*& ſeq. , Ciarlin. dicta controv.*174.
*num.*62 63. & 64.

Ultra hoc ineluctabile argumen-
tum reciproci conſenſus Puellæ,quem 17
a ſignis hujuſmodi ſufficienter proba-
ri tradunt præter allegatos *Fagnan.*
*in Cap. Tuæ Fraternitatis n.*22. *&*
*ſeq. de Sponſal. Pont. de Matr. lib.*2.
*cap.*7.*num.*5. *Sanchez eod.tract. lib.*2.
*diſput.*31.*n.*5. *Rot. cor. Molines d. de-*
*ciſ.*1325. *n.*14. dignæ præterea multa
conſideratione viſæ ſunt circumſtan-
tiæ ſequentes , quarum prima ex eo
emergit , quod juſtificatum fuit Puel-
lam clàm Patruis ferè quotidie modo
per feneſtras , modo intra Januam
ſuæ domus vel cum oculis , vel cum
nutibus , vel ſalutando præfatum Ju-
venem, vel cum eodem in via tamen,
& extra domum exiſtente, longo tem-
pore ſermocinando per annum , & ul- 18
tra dediſſe publica ſigna benevolen-
tiæ , & amoris . Altera eſt acceſſus
Puellæ ad domum Sponſi occaſione
con-

19 conficiendi Apocam , qui accessus , &
loci circumstantia satis confert ad
evincendum mutuum ejusdem Puellæ
consensum ; Tertia demum consigna-
tio Apocæ in manibus Puellæ , quæ
illam constanter adeò , firmiterque
20 custodivit , atque servavit , ut nec
ipsis Patruis de illa dubitantibus, eam-
que requirentibus consignare volue-
rit , quinimo maluit subire verbera ,
& percussiones , propter quas habuit
ad Nos ut supra recursum,quam Apo-
cam illis ostendere , quam deinde in
actis produxit, & pro illius executio-
ne instantiam promovit, quæ sanè om-
nia præcedentia , concomitantia , &
subsequentia Sponsaliorum contra-
ctum , nullum relinquunt dubitandi
locum de mutua Puellæ repromissio-
ne , ut arguendo a consimilibus acti-
bus subsequentibus egregiè concludit
Rot. cor. Molines d. decis. 1325. *sub
num.* 13. ibi= *Ex actibus demum sub-
sequentibus magis clarè evincebatur
consensus Mulieris , quæ Apocam re-
quisivit , acceptavit , diligenter cu-*
21 *stodivit , & tandem illam produxit ,
& vigore ejusdem judicialiter institit,
ut per media Canonica Henricus Ar-
noldus cogeretur ad ineundum Matri-
monium , quæ omnia patenter convin-
cunt consensum Mulieris futuro Ma-
trimonio , qui , ut jam dictum est ,
etiam ex actibus , & signis externis
deduci potest* =

Neutiquam refragante , quod
hujusmodi signa tribuenda non sint
vero , sed ficto consensui,qui semper
alienus præsumendus sit ab honesta
Puella ex honestissimis Parentibus or-
22 ta , quæ benè noverat infamem con-
ditionem Juvenis, artem Bajuli exer-
centis , undè potius censeri debeat ,
quod ea dederit signa intentione lon-
gè diversa , continuandi videlicet fa-
miliarem , & assiduam conversatio-
nem , & amores cum Juvene , ne in-
ter alias suæ Patriæ Puellas esse sine
amante videretur .

Licèt enim , admodum sit con-
troversus articulus, an fictus Promis-
23 sor cogi possit ad Matrimonii celebra-
tionem, ex quo negativam ex profes-
so tuetur *Sanchez de Matrim. lib.* 1.
disput. 9. *per tot. tom.* 1. & signanter
ex *n.* 5. ubi *n.* 9. idem substinet etiamsi 24
promissio fuerit jurata , & hoc idem
docet *Henriquez de Matrim. lib.* 22.
cap. 13. *num.* 2. *Konic. de Sacram. &
Censur. tom.* 2 *disput.* 21. *n.* 7. & latius
n. 8. *Sperell. decis.* 95. *n.* 10. affirmati- 25
vam verò tenent *Guttierez de Matr.
cap.* 9. *num.* 10. *& seqq. Pont. eod.
tract. lib.* 12. *cap.* 12. *per tot.* ubi no-
minatim impugnat *Sanchez* , ejusque
rationibus respondet .

Et quamvis in hac opinionum di-
scordia verior censeri posset illa *San-
chez*,& sequacium tamquam fundata in
textu expresso in *l.* 3. *ff. de action. &
obligat.* per quem decisum fuit nemi-
nem efficaciter obligari , nisi habeat 26
animum se obligandi, quem in puncto
Sponsalium reassumit *Petr. de Ledesma
q.* 3. *art.* 4. *dub.* 1. relat. a *Sanchez dicta
disput.* 9. *sub n.* 2. *ad med. vers. Tan-
dem quia* ; Seu verius eo distinctionis
fœdere præfatæ sententiæ conciliari
valeant , ut nimirum illa *Guttierez* ,
& *Pont.* locum sibi vindicet in eo Pro-
missore ficto , qui nullis datis simula-
tionis indiciis alterum Sponsum , cui 27
promittit , fallere præsumpserit,quin
iste de fraude dubitare potuerit, esset
enim contra æquitatem, & bonam fi-
dem , si in præjudicium tertii interna
hæc simulatio prævaleret e conspectu
Contractus expressim initi in materia
tantoperè gravi , qualis est illa fœde-
ris Matrimonialis tot secum trahens
consequentias perniciosas decori, &
honori præsertim Mulierum mediis
hisce deceptarum ; Contraria vero
opinione procedente quando fictè
promittens vel est longè superioris
conditionis ejus , cui promittit , vel
suæ simulationis externa dedit signa , 28
per quæ Sponsus , cui promisit , justè
suspicari valuerit de ejusdem promis-
sionis fallacia ; In hoc quippè casu
cessare videtur dictum motivum bo-
næ fidei , & sic in Jure sustineri valet,
quod fictus Promissor , qui attenta
maxima disparitate Natalium , nun-
quam præsumi poterat , quod perso-
nam indignam desponsare voluerit,vel
simulationem satis manifestavit signis
externis, nequaquam obligatus rema-
neat ex sua promissione , etiamsi sub
illius fide Sponsam nimis credulam 29

 vio-

violasset, quatenùs ageretur de ficta promissione Sponsi, ut cum *Sanchez de Matrim. lib.1. disput.10.n.6. & 7. tom.1.* probant *Less. de Just. & Jur. lib.2. cap.10. dub.3. n.24. Azzor. Inst. Moral. par. 3. lib. 3. cap. 5. column.3. sub lit. C. vers. Tertius casus est* = ibi = *Tertius casus est si sint statu, & vitæ conditione dispares, ut puta, si Vir est illustris, vel nobilis, vel officio, aut dignitate conspicuus, & Fœmina sit vel rustici Hominis, vel opificis Filia, vel Ancilla,* = itemque *Bonaccin. de Matrim. quæst.1. punct.2. n.7. & 8. tom.1. Mons. consult. 114. sub n.15. vers. Et quamvis tom.2.*, & expressè concedit *Pont.* contrariæ sententiæ assertor *loc. cit. cap.2 num.16.* ubi de hoc casu intelligendos esse dicit DD. allegatos per *Sanchez* = ibi = *In eo ergo tantum casu non tenetur*
30 *Nobilis fictus Promissor, quando signa dedit, quibus Fœmina sufficientèr intelligere potuit dolum subesse promissioni, vel quando Fœmina agnoscens inæqualitatem revera intellexit dolosè promitti Conjugium; nam si illa revera dolum suspicata est, sive hanc suspicionem tacuerit, vel manifestaverit, si sui copiam facit, non id facit spe promissionis, quam fictam esse verè suspicatur, sed ex mera sua voluntate, atque in hoc casu tantum intelligendus est D.Thom., & alii DD., quos citat pro sua sententia Thomas Sanchez, cum dicunt, si notabilis disparitas a Fœmina sit cognita, præsumi potest non esse deceptam, sed se finxisse decipi, nèc enim præsumi potest aliquam se fingere deceptam, nisi præsumamus ab illa cognitam fraudem* =

Nihilominùs in subjecta facti spe-
31 cie dici non potest, quod Puella fictè tantum dederit signa repromissionis, & animo nequaquam se obligandi ad Nuptias cum Juvene disparis conditionis, nec externa signa talia fuerint, ut Juvenem in multam adducere debuerint de actus sinceritate dubitationem.

Tum quia eadem Puella non abstinuit a subscriptione Apocæ voluntariè, sed coactè, quia nempè ex prædictis causis impedita fuit a Sponso, alias se actualitèr subscripsisset, cum vix Testes ad se subscribendum illam invitarunt, nulla interposita mora, se 32
ad id faciendum promptam, atque paratam obtulit, & ad effectum conficiendi hujusmodi Sponsalia, ad Spon- 33
si domum accessit; quidquid secus dicendum esset, si ipsa Puella sub aliquo prætextu, aut quæsito colore, se subscribere noluisset, ex quo in animo Sponsi magna dubitatio insurgere potuisset de ficto consensu ipsius 34
Puellæ, quæ tali fortasse medio voluerit sibi semper apertam viam redarguendi Sponsalia de imperfectione ob defectum veri consensus non obstante acceptatione promissionis Sponsi, sicuti exprimebatur in Apoca, ut considerant *Sanchez de Matr. lib.1. disput.10. num.7. Guttierez eod. tract. cap.5. sub n.3. vers. Hæc tamen sententia, & num. seq. Card. de Luc.* pariter *eod. tract. disc.8. n.4.* quo casu, nulla alia suppetente justa causa talis resistentiæ, similis actus necessario referendus esset ad simulationem palam manifestatam per factum quidem apertum, quod sicuti declaratum exterius 35
adaperuisset simulationem in animo prius latentem ex notatis per *Rot. cor. Ottobon. decis.191. n.8., & cor. Molin. decis.877. n.12. tom.3. par.2. & decis.972. n.20. tom.4.* ita tamquam plenè cognitum Sponso ibidem præ- 36
senti licèt verbaliter non declaratum, nèc expressum, adhuc sufficiens illi administrasset argumentum contra veritatem, & sinceritatem consensus Puellæ, de qua propterea dubitare debuisset, & si non dubitasset, hoc ejus supinæ, & nimium facili credulitati, 37
quæ nemini proficit, attribuendum esset, ut in fortioribus terminis tradit *Sanchez* plures referens *de Matrim. lib.1. disput. 10. num.7. & 18. & 19. tom.1.*

Tum quia non verificatur in facto, quod Puella eadem die, post celebrationem prædictæ Apocæ, suæ Amitæ dixerit = ,, Dio mi guardi, se sapessero gli Zij, che ho promesso ,, a NN. di sposarlo, ma io l' ho fatto per burla, e acciò non mi lasci, ,, perchè mi piace di farci all' amo- ,, re ,, = ultraquamquod enim est di- 38
ctum unius Fœminæ, accedit, quod potius

potius quam hujusmodi depositio ex
qualitate Personæ suspectissima, at-
39 tendendæ veniunt depositiones Te-
stium, qui Apocæ se subscripserunt,
quorum alter deponit = „ Tanto
„ avanti, che dopo aver noi soscrit-
„ ta l'Apoca, la Zittella ci disse, che
40 „ se l' avessero risaputo i suoi Zij, ci
„ sarebbe stato il Diavolo, ma facess-
„ sero Essi ciò, che volevano, mai
„ l' averebbero potuta impedire di
„ prender Marito a suo modo &c. e
„ tre giorni dopo andando io insie-
„ me con NN., (che fu presente
„ con me, e soscrisse l' Apoca) alla
„ Fontana &c. c' incontrassimo con
„ detta Zittella, la quale ci salutò,
„ e fermatici Noi a discorrere con
„ altre Femmine, che erano in sua
„ compagnia, Ella ci disse: Quella
„ promessa, che feci Lunedì, come
„ Voi ben sapete, sempre la man-
„ terrò, se me ne dovesse andar la
„ testa: Noi due capissimo, ma non
„ quelle Donne, che volevano sa-
„ perlo, ma non scoprissimo il fat-
„ to &c. „ = Cum qua depositione
quamvis ad unguem non conveniat il-
la alterius Testis asserentis = „ Non
„ si può negare, che la Zittella non
41 „ mostrasse qualche confusione, e ti-
„ tubazione, allorchè si fece l' Apo-
„ ca, e pareva, che non ci venisse
„ al fatto con tutta libertà, ma, cre-
„ do io, per timore delli Zij, ma non
„ per mancanza di libero consenso,
„ perchè non solo si mostrò pronta a
„ soscriver l' Apoca, come ho detto,
„ ma di più prima, e dopo, che noi
„ la soscrivessimo, avendole doman-
„ dato, se era contenta, rispose a
„ me, e all' altro Testimone, che
„ aveva qualche dubbio, perchè pre-
„ vedeva le conseguenze, ma che
„ intendeva farlo, perchè il Marito
„ doveva prenderlo a modo suo, e
„ non a modo delli Zij; e trovando-
„ mi tre giorni dopo coll' altro Te-
„ stimone alla Fontana, venne Essa
„ con altre Donne per quella strada
„ a spasso, e salutandoci ci disse: La
„ promessa di Lunedì sempre la man-
„ terrò, se me ne dovesse andar la
42 „ testa &c. „ = attamen inter se con-
ciliantur ut faciendum præscribit *text.*
in Cap. Cum tu 16. *de Testib. Anto-
nin. variar. resolut. lib.*3. *resolut.*16.
*num.*3. *De Marin. resol. Jur. lib.* 1.
*cap.*201. *num.*7. *Rot. cor. Caprar. de-
cis.*128. *num.*15. nam ea verba = *mo-
strasse qualche confusione, e titu-
bazione* = de quibus deponit se-
cundus Testis, conciliari debent cum
iis a primo Teste relatis = *Se l' aves-
sero saputo li Zij, ci sarebbe sta-
to il Diavolo* = ex quo oricba-
tur in ejus animo ea titubatio, & con-
fusio, quæ tamen illam a proposito re-
movere non potuit, ut comprobat
posterior protestatio facta publicè co-
ram Testibus, & a prædictis Fœminis
præsentibus concorditèr confirmata;
secus autem si hæc subsequens animi
manifestatio non absolutè constantis-
simam voluntatem, sed dubietatem
consensus ostenderet, quia tunc uni-
ta cum depositione secundi Testis in- 43
ducere forsan posset ejusdem actus,
seu consensus simulationem *Rot. de-
cis.*806. *par.*1. *divers.* & *decis.*162.
*n.*22. *por.* 11. & *decis.*673. *num.*14.
*par.*19. *tom.*2. *recen.*

Tum quia ipsa Apoca in suo te-
nore plenum exprimit utriusque Par- 44
tis consensum, & perfectam animi de-
liberationem = ibi = *anzi ambedue sia-
mo dell' istessissimo sentimento* = nèc 45
constat per legitimas probationes de
simulatione actus, taliter ut consen-
sus, & expressiones omnes, quæ in
eodem actu leguntur, floccipenden-
dæ essent, utpotè referibiles ad ali- 46
quam simulandi causam, in quibus
terminis auctoritates contra Sponsum
allegatæ loquuntur, videlicet *Recc. se-
lect. cap.*46. *num.*27. & 28. *Rot. de-
cis.*388. *n.*16. & 17. *par.*9. *tom.*2. *re-
cen.* & *in Tudertina Immissionis* 8.
Junii 1736. §. *Alloquin cor. De Vais.*

Tum demum quia, si Puella si-
mulatum consensum præstitisset, &
animo simulandi Apocam a Testibus
subcribi permisisset, radicalem hunc
defectum, non in limine expeditionis
causæ, cum a Sponsalibus se recede-
re velle declaravit, sed illicò allegas-
set in Judicii principio, ubi potius e 47
contra institit pro executione Spon-
saliuni.

At his non obstantibus Puella ju-
stè

stè a Sponsalibus recedere potuit, quin a Judice cogi valeat ad servan-
48 dum ea, quæ scripta apparent in toties recensita Apoca, quia justa causa ab eis non adimplendis illam excusat *Abb. in Cap. Requisivit n.4. de Sponsf. Gabriel. conf.186.n.6. tom.2. Adden. ad Pamphil. decif.96. n.10. Rot. cor. Seraphin. d. decif.1258. num.2. & decif.19. num.42. & 43. par.10. recen. & cor. Molin. decif.979. n.4. & cor. Kaunitz decif.77. n.12.* justa namque
49 causa concurrente, Sponsalia impunè dissolvi possunt, ut per text. expressum in *Cap. Ex literis 10. de Sponsal.* v: ibi = *Nisi rationabilis causa obstiterit* = concorditer docent DD. omnes, & signanter *Giovagnon. conf.16. n. 9. & 30. lib.1. Fontanell. de pact. clauf.12. gloff. unic.n.6.pag.627.juxta impreff. Venet. 1645. tom.2. Antonin. resolut.2. sub n.30. verf.Tamen quando adest vera, & rationabilis causa lib.10.Gob.consult.116.n.2.lib.1.Card. de Luc. de Matrim. d. disc.8.n.10.Piton. discept. Eccles.52. n.79.Rot. cor. Pamphil.decif. 96.n.2. & cor.Buratt. decif.311.n.1.tom.1.* cum aliis pluribus in *decif.19.d.num.43.par.10.recen. & cor. Molines decif.979.num.1.* ratione illa admodum æqua, & convincenti, quod Matrimonia coacta acerbos sem-
50 per exitus habere solent, ut ait Sanctissimus Pontifex Lucius III. in *Cap. Requisivit 17. de Sponsal.* ad quos propterea vitandos Sancta, e Pia Mater Ecclesia libenter concedit Sponso renuenti pristinam libertatem, & ad extremam ejusdem devenire coactio-
51 nem vel nunquam, vel admodum raro permittit juxta animadversa in *nostro Vot.III.n.43. & seqq., & Vot.IV. num.54. & seqq.*, & notant *Abb. in d. Cap. Requisivit n.3. & 4. Sanchez de Matrim.lib.1. disput.10.n.10. verf. Quarto limita, & disput.29.n.4.verf. Probatur autem, Rot. dicta decif.19. n.3. & 4.par.10. recen. & cor.Molin. decif.979.n.3.tom.4.*

Neminem autem latet, quod an causa rationabilis sit, & legitima, ob quam a Sponsalibus recedi potest, examinanda venit a Judice, ita ut in
52 totum remissa sit in prudenti illius arbitrio, ut ait *Panimoll. decif.23.n.20.* & pluribus congestis *Rot. d. decif.19. n.7. par.10. recen.* & per consequens pendet a singulorum casuum speciali- 53
bus circumstantiis; Unde si qualibet legitima causa pro recessu a Sponsali- 54
bus sufficit, multo magis sufficere debet, quando eam concomitantur plures circumstantiæ, & exceptiones, quæ militant pro eorumdem Sponsalium 55
dissolutione, ut bene colligitur ex firmatis per *Spad. conf.152. n.1. & seq. tom.2. Maceraten. variar. lib.1. resol.12.n.12.*

In hoc autem casu non una tantum, nèc levis, sed imò plures, eæque gravissimæ circumstantiæ, seu causæ concurrunt; & prima con- 56
ditionis maxima disparitas reipsa notoria, & incontrovertibilis, nèc non etiam divitiarum imparitas, quæ ma- 57
gno in pretio haberi solet pro justo recessu ab indignis Sponsalibus Juvenili levitate contractis teste *Boss. de Matrim. cap.11. n.167. Marcian. disput.77. n.17. & seq.*, cum aliis apud *Piton. d.discept.52. n.80. & 88. verf. Vel quando attentis progenie &c.* & concordant *Sanchez de Matrim. disput.10.n.6. lib.1. Fontanell. de pact. d.clauf. 12. gloff. unic. n.7. Antonin. d.resolut.2.n.5. Card. de Luc. de Matrim. d.disc.8. num.11. & 17. Piton. d.discept.52.n.89.*latè *Rot.d.decif.19. num.58. 59. part.10. recen. Menoch. conf.385. n.6. circa fin. lib.4.* ubi advertit, quod Matrimonia infelices exitus, ut plurimum, habere solent, quando inter impares contrahuntur, 58
quod etiam latè comprobavimus in *nostro Vot.IV. n.106.109.111.112.117. 118. 119. 143. & seqq.*

Quin replicasse juvet, quod Sponsus licèt exerceat Bajuli artem, adhuc habet Fratrem Sacerdotali charactere insignitum, aliumque Fratrem in approbata Religione Laicum, quia & habitus Religionis unius, & character Sacerdotalis alterius Fratris nihil prodesse valet obscuritati ipsius prædictam artem exercentis, qui proindè prætendere nequit, quod honesta Puella, cujus Genitores nunquam fue- 59
runt infames, recedere nequeat a Sponsalibus, quæ ob nimiam eorum imparitatem honestos Patruos, & præ-

præsertim eorum alterum in dignitate, seu gradu Canonicatus cujusdam Ecclesiæ Collegiatæ constitutum, totiusque Familiæ conditionem dehonestarent *Paris. conf.58. n.37. & seqq. vol.4. Gabr. conf.186.n.4. vers. Et ex maxima disparitate vol.2. Menoch. conf.786.n.11. & 13. Cæsar de Gruff. decis.2. n.5. de Sponsal.*

Altera præterea potentissima, & invincibilis causa consurgit ab indignatione utriusque Patrui, & Consanguineorum omnium summoperè dolentium de controversis Sponsalibus; hoc insuper addito, quod prædicti duo Patrui sæculares sex menses ante contracta Sponsalia statim ac aliquam de amoribus cum præfato Bajulo habuere notitiam, sua scripserunt Testamenta clausa in manibus Notarii consignata, & hac litè pendente assensum dederunt aperitioni eorumdem, ut ex illis Puella optimè agnosceret se indubitantèr exhæredatam a Patruis, casu quo indignas Nuptias contraxisset. Si igitur solus timor exhæredationis oretenus tantum, imò Consanguineorum nuda indignatio
60 causam sufficientem præbet pro recessu a Sponsalibus ex communi sententia, quam probant *Spad.conf.152.n.10. Guttierez quæst.Canonic.lib.1.cap.20. n.17. Pont. de Matrim.lib.12. cap.17. n.8. circa fin. vers. Unde rectè Card. de Luc. eod. tract. d. disc.8. n.11. Piton. d.discept 52. n.81. Rot.* cum aliis relatis *d.decis.19.n.56. & 57.par.10. recent. & cor. Molin.d.decis.979.n.2. tom.4. & cor. Kaunitz decis.77.n.5.*

Crescit argumentum ferè in immensum, ubi concurrit non solum timor exhæredationis, sed ipsamet exhæredatio ad actum facti jam perducta, & complementum receptura ab
61 observatione promissorum Sponsalium, quod enim in casu isto recessus justissimus sit, dixit *Rot.cor. Pen.decis.517. sub num.4. vers. In casu, & sub n.7. vers. Paternè tamen, & cor. Seraphin. decis.1258.n.2., & cor.Cavaler. decis.447.n.3.vers. In casu autem*; Sponsalia etenim continent in se
62 tacitam conditionem, si res in eodem statu permaneant *Rot. d.decis. 19. n.5. par.10.& decis.185.num.1. par.14. recen.* in quo profectò non permanent, si propter illa alter ex Sponsis privatur hæreditate Patris, aut Patrui aliorumve Consanguineorum, quarum 63
hæreditatum ne jacturam faciat, legitimè a Sponsalibus recedere non prohibetur, ut firmant *Jura* mox allegata.

Animadverso signantèr, quod dicta voluntas utriusque Patrui in die Apocæ erat Puellæ ignota, eo quod Testamenta, ut diximus, clausa manebant in actis Notarii; innotuit vero hac lite pendente stante aperitione a Conditoribus eorumdem Testamentorum subindè permissa, ut Puella certam assequeretur notitiam illorum indignationem non merè verbalem esse, sed realem, & realissimam, & longè prius in scriptis redactam, & sic indeclinabilem parituram esse exhæredationem data effectuatione controversi inæqualis Matrimonii; Unde 64
causa hæc, quam in ordine ad Puellam prius ignorantem supervenisse dicit *Rot. decis.19. num.22. par.10. recen. & cor.Caccin. decis.437. num.9.* maximi reputari debet momenti pro justo recessu a præfatis Sponsalibus ex 65
Juvenili ætate contractis *Giovagn. conf.16. num.17. vers. Quando Filius Spad. d.conf 152. num.10. lib.2. Ricc. in prax. resolut.416. per tot. par.4.*

Nullatenùs relevante, quod ab 66
ipsa Puella promota fuerit instantia pro exequutione Sponsalium, tùm quia habita notitia de maxima indignatione Consanguineorum, ac de utriusque Patrui testamentaria dispositione, statim a Sponsalibus in actis 67
recessit, tùm quia in casu etiam, quo non recessisset, nullaque habita ratione de dictis Testamentis, adhuc obstinata instaret pro Matrimonio, nihilominùs hujusmodi Sponsalia tamquam 68
indigna nullum habere potuissent effectum invitis Patruis, aliisque Consanguineis, quia subsequens Matrimonium fuisset peccaminosum, & illicitum propter scandalum, & injuriam proximiorum, ad quod proinde contrahendum nullatenùs Puella sine 69
peccato accedere potuisset ex communi sententia tam Theologorum inter

ter quos *Filliuc.tract.* 10.*cap.*7.*n.*255. *Texeda tom.*2. *lib.*4.*tract.*1. *n.*79. *Gobat. Exper. Theolog. tract.* 10. *caf.* 3. *num.*105. *De Amic. tom.*9.*disput.* 29. *sect.*4. *n.*71. *Reginald. in prax. pænit. tom.*2. *lib.*31. *cap.*36. *n.*264. *in fin. Castropal. part.* 5. *tract.* 28. *disput.* 1. *punct.* 27. *n.*7. *Mastrius in* 4. *sentent. disput.*7.*quæst.*9. *artic.*3. *num.*275.*Perez de Matrim. disp.*5. *sect.*3. quam Canonistarum *Guttierez de Juram. confirm. par.* 1. *cap.*51. *n.*4. *post med.*, *& lib.* 1. *quæst. Canonic. cap.*20. præcipue *n.*23. *& de Matrim. cap.*4. *n.*3. *&* 4. *Zipæus respons. tom.*1. *lib.*4. *de divort. resp.*3. *n.*4. *in fin. & consult. lib.*4. *de Sponsal. tit.*1.*n.*18. *Zaul. ad Stat. Favent. rubr.*21.*num.* 40. *lib.*4. *tom.*1.*Card. de Luc.de Matrim. disc.*8. *n.*11. *& seqq.*, cum aliis plena manu cumulatis in nostro *Vot.II.n.*47.71.72. 85.*& seqq.*, *& Vot.IV.n.*64.*& seqq.*, *& ferè per tot.* Si enim Judex tenetur annuere instantiæ Filii petentis absolutionem ab observatione Sponsalium ob Parentum, & Consanguineorum indignationem, & ob metum amissionis bonorum paternæ &c. hæreditatis propter injuriam, quæ ex futuro Matrimonio in eos redundaret, multo magis adstringitur ad impediendum Matrimonium ipsi Filio etiam absolutionem a Sponsalium observatione non petenti, ob indignationem Patris Cœlestis, ac metum amissionis æternorum bonorum propter peccatum, quo infinita injuria supremo Numini infertur; Injuria quidem, & respectivè bona cum injuria, bonisque Parentum nullatenùs comparanda.

Et hinc est, quod tàm petente, quàm renuente Filio, nèc Ordinarius, nèc quilibet Judex talia Connubia permittere potest, ne cum propria lethali culpa injuriæ, infamiæ, ac dedecori illius Consanguineorum contribuat, ne jurgiis, scandalis, aliisque pessimis consequentiis Matrimonium exponat, & ne Contrahentibus
70 licentiam ad peccandum concedat, eorumque peccato impiè cooperetur *Dicastillo tom.*3. *de Sacram. artic.* 10. *de Sponsal. disput.*4. *dubit.* 18. *n.* 180. *Gobat. Exper. Theol. tract.* 10. *caf.* 3. *n.*106. *Konig. sup.*4. *Decretal. tit. de Sponsal. n.* 31. *Engel. in* 4. *Decretal. tit. de desponsat.impuber.*§.2. *num.*11. *Aversa de Matrim. quæst.*8. *sect.*15. §. *Et quidem*, *&* §. *seq.*, *Ferdinand. de Valent. discept.*5. *n.*10. *& seqq. de re Eccles.*

Quod procederet etiam in casu, quo per Puellam Sponsalia fuissent Juramento firmata, cum enim sint in- 71
digna, iisque Patrui, cæterique de familia juremerito contradicant, utpote quæ totius domus honestatem, famamque deturpant, certum est ex illis nullam obligationem oriri, quinimo jusjurandum sacrilegè ad illa firmanda fuisse interpositum commu- 72
niter tenent Theologi, & Canonistæ, & præ cæteris *Gonzalez in Cap. Præterea* 2.*n.*8.*vers.Quando vero de Sponsal. Gabriel. a S.Vincentio de Sacram. Matrim. disp.*5.*n.*5.*Rebell.de obligat. Just. par.*2.*lib.*2. *quæst.* 14. *sect.* 1.*n.*9. *vers. Secundo quia Aversa de Matrim. quæst.*8. *sect.*15. *vers. Et quidem*, *& vers. Pro altera Card. Lauræa tom.*3. *in* 4. *sentent. disput.*37. *artic.*11. §.8. *num.*458. *Opatov. tract. de Matrim. disp.* 1.*quæst.*7.*num.* 105. *Salmaticens. tom.* 2. *Theol. Moral. tract.* 9. *cap.* 2. *punct.*6.*num.*85.*Pignatell. consult.* 11. *num.*1. *tom.*4. latè in nostro *Vot.IV. per tot.*

Et ita &c. utraque &c.

ANONYMA SPONSALIUM CUM AUGMENTO DOTIS, SEU DONATIONE.

ARGUMENTUM

Sponsalia cum indigna, vel nulla sunt, vel rescindenda, nèc debetur pœna conventa in casu non adimplementi promissionis, & fidei datæ, etsi talis pœna sive titulo augmenti Dotis, sive titulo Donationis fuerit cohonestata.

SUMMARIUM

1 *Facti series*, & num. seqq.
4 *Ars Fœminarum vilis conditionis ad assequendum Matrimonium cum Juvene divite, honestæque conditionis*, & num.5.
7 *Sub-*

7 *Subscriptio Apocæ Sponsalium per machinationem , dolum , & metum , & præter intentionem subscribentis extorta ex defectu consensus est nulla .*

8 *Id probatur declaratione Subscribentis , qui sit bonis moribus imbutus , & Clericali charactere insignitus , quia non præsumitur perjurium committere velle , aut falsum asserere ,* & n.9.

9 *Maximè si fuerit adminiculata ex dictis Testium a Fœmina adversaria inductorum ,* & n. 11. 12. 13.

14 *Prædicta machinatio , & fraus præsumitur , quando Fœmina , ejusque Consanguinei sunt personæ vilissimæ , miserabiles , & infamia notatæ ,* & num. 16.

15 *Similes personæ quærunt nubere Filias , aut Sorores divitibus, vel Nobilibus Adolescentibus sine dote , vel eos sub prætextu Stupri , aut alterius criminosi tituli ad illas dotandas compellere .*

16 *Ideò non semper Fœminæ præsumuntur seductæ .*

17 *Id frequentèr non sequeretur , si pœna lenocinii Puellarum Parentes , Fratres , & Consanguinei doli participes , seu auctores mulctarentur .*

18 *Et una cum ipsis damnarentur ad triremes Notarii, qui talia Sponsalia authorizzant .*

19 *Quique nullum habent respectum ad ruinam Adolescentium , nec ad dissensiones , discordias , & damna ex futuris litibus per illorum Familiam toleranda , nec ad peccata , quæ subsequuntur .*

20 *Publica fides Notariorum olim in manibus Nobilium intemerata , hodiè in manibus Virorum etiam infimæ conditionis est suspecta .*

21 *Excluditur fraus , & dolus, si Juvenis subscribens Apocam Sponsalium in actu subscriptionis non reclamaverit , nec ullum dederit signum dissensus , sed potius cum Muliere semper locutus fuerit, riserit , ac refectionem cum ea , illiusque Consanguineis post peracta Sponsalia sumpserit .*

Contrarium num.22. & seqq.

23 *In materia Sponsalium, licèt metus actu non inferatur , sufficit justa metus suspicatio , & potentia coactionis ad reddenda nulla Sponsalia .*

24 *Temerarium est damnum expectare , quod verosimilitèr evenire potest .*

25 *Quando timeri possit verosimilitèr eventurum .*

26 *Adolescens timidus , & teneræ ætatis facilius timorem concipit .*

27 *Metus levis in Masculis , & Fœminis teneræ ætatis æquiparatur gravissimæ violentiæ .*

29 *In Sponsalibus requiritur purus consensus cum plena libertate, & securitate .*

30 *Nec obstat , quod Juvenis in actu contrahendi riserit , quia risus non est indicium consensus .*

31 *Non tenetur adimplere Sponsalia, qui ad illa controhenda fuit in lætitia , & improvisa occasione deceptus .*

32 *Sponsalia , justa impellente causa, rescindi possunt , & Judex a coactione desistere debet ,* & num.71.

33 *Justa causa dissolvendi Sponsalia est amissio hæreditatis maternæ .*

34 *Imò solus timor exhæredationis .*

35 *Multo magis si certa sit exhæredatio .*

36 *Item indignatio Matris , Fratrum , & omnium Consanguineorum ,* & num.37.38.

39 *Maximè si indignatio sit rationabilis ,* & num.42.

40 *Veluti , si Sponsus ortum habeat a probis , honestisque Parentibus .*

41 *Sponsa vero sit nata ex vilissimis , & miserrimis Genitoribus, & habeat Matrem , & Fratres infamia notatos , ipsaque Sponsa fuerit addicta famulatui .*

42 *Ex quibus resultat disparitas natalium , & divitiarum .*

43 *Item si Sponsa sit inhonesta ; malis imbuta moribus , licentiosa , virosa , quæ duxerit amores cum hominibus cujuscumque conditionis , & gradus cum quibus inhonestos actus , gestusque fecerit ,* & num. seqq.

44 *Filiæ Matrum mores imitantur , & a Ma-*

N

& a Matre impudica discere nequeunt nisi impudicitiam, & num.67.& seqq.

45 Ex quibus actibus resultet Fœminæ inbonestas, & num. seqq.

51 Testibus Parti eos inducenti affectionatis uti suspectis non creditur.

52 Attestationes pendente lite expiscotæ non sunt attendendæ,

53 Testes formitèr examinati prævalent aliis extrajudicialitèr deponentibus,

54 Maximè si fuerint Sacerdotes.

55 Testes de bona fama Mulierculæ deponentes non adimunt fidem testibus deponentibus de ejus mala fama, & quare?

56 Stat bene simul, quod quis uno loco aliquid inbonestum agat, quodque ab aliquibus præsentibus observetur, ab aliis vero ab eo loco absentibus ignoretur.

57 In concursu Testium deponentium de mala fama Mulieris, non creditur Testibus contrarium deponentibus etiamsi fuerint mille.

58 Contra publicam vocem, & famam, & veridicas relationes sine peccato, & falsitate totum oppositum testificari non potest.

59 Nemo est tam infelix in Civitate, qui non habeat aliquos de ejus bona fama deponentes.

60 Testes etiam singulares probant malam famam Mulieris, & n.seqq.

64 Inbonestas probatur per Testes de fama, & de auditu deponentes.

65 Ac etiam per simplices præsumptiones, quando non agitur ad pœnam inbonestæ Mulieris.

66 Testibus de inbonestate Mulieris deponentibus magis creditur, si assistat præsumptio veritatis, & inbonestatis ob vilem conditionem, & paupertatem Mulieris, aliasque malas qualitates.

67 Præsumitur inbonesta Mulier, si paupercula sit, & habeat Matrem, aut Patrem incontinentem, & num seqq.

69 Ancillæ, & Famulæ præsumuntur Meretrices.

72 Nonnullæ causæ, per quas rescinduntur Sponsalia,

73 Filiifamilias Matrimonium sine peccato insciis, vel invitis Parentibus inire non valent.

74 Filius, mortuo Patre, fit sui Juris.

75 Præstantia sexus non efficit, ut Pater potius, quam Mater Jus in prolem acquirat.

76 Ex generatione tàm Pater, quàm Mater Jus in prolem acquirunt.

77 Imò proles prius est in potestate Matris, quam cujusvis alterius.

78 Mater si non nobiliorem, saltem magis laboriosam, & molestam operam præ Patre confert ad prolis generationem, & quare?

79 Loca, ubi Mulieres gravidæ sine dolore pariunt, & num.80.

81 Educatio sola, seu unà simul cum generatione Jus tribuit Parentibus in prolem.

82 Sine quo prolem educare non possent.

83 Hoc Jus ponit in liberis obligationem se submittendi Parentum directioni.

84 Sine bona educatione liberi bonos mores acquirere non possunt, & num. seqq.

88 Ob educationem, aut æqualis est potestas Parentum in liberos, aut major est potestas Matris.

89 Secundum Jus naturale sine legitimo Matrimonio nati Matrem sequuntur.

90 Jure Romano pariter ventrem sequuntur, & unà cum filiis legitimis in Matris, non in Patris hæreditate succedunt.

91 Lex apud Lycios præcipit, quod liberi Matrem sequantur, & de ejus nomine appellentur.

92 Major est cura Matris, quàm Patris in educatione Filiorum.

93 Puer est intractabilior quavis bestia.

94 Mater filio præbere debet propria ubera per triennium.

95 Ita quoque apud Hebræos servabatur.

96 Incommoda, sollicitudines, & attentio Matris in educatione Filiorum.

97 Pater, qui solam sollicitudinem habet relinquendi Filium opibus abundantem deficit in suo munere.

98 Jus

98 *Jus Civile patriam potestatem in liberos tribuit tantummodò Patri, & quare?*

99 *Potestas tamen in liberos residet etiam in Matre, sive inferior potestate Patris, sive æqualis*, & num.103.105.

100 *Patria potestas in pietate consistit.*

101 *Pietas in liberis tàm erga Patrem, quàm erga Matrem inesse debet.*

102 *Et quidem in æquali gradu*, & num.107.

104 *Ratione pietatis Filius ad ineundum Matrimonium tàm Patris, quàm Matris consensum expectare debet*, & num.115. 120.

106 *Patre defuncto, potestas Patris in Filios maternæ potestati accrescitur.*

108 *Pietas societatis omnis est coagulum.*

109 *Pietas liberorum est æqualis in Patrem, & Matrem ratione beneficiorum, quæ ab utroque acceperunt.*

110 *Parentibus dignam gratiam referre non valemus.*

112 *A pietate in Parentes servanda non liberat Filios ætas adulta, vel sublimitas officiorum, vel dignitas Sacerdotalis, vel emancipatio.*

113 *Quia manet semper pietatis, & observantiæ debitum, cujus causa est perpetua*, & n.seq.& n.121.

115 *Pietas obligat Filios ad ineundum Matrimonium cum consensu Patris, & Matris de Jure Civili.*

116 *De Jure Canonico.*

117 *Et de Jure Naturali, & Divino.*

118 *Parentum interest quales Generos, & Nurus, & Nepotes sortiantur.*

119 *Esset non pietas, sed impietas cogere Parentes ad accipiendum in generum Virum improbum &c. vel in nurum Fœminam sibi invisam &c.*

122 *Quando agitur de Matrimonio cum indigna non sufficit consensus Parentum, sed requiritur consensus etiam Consanguineorum sub pœna culpæ lethalis.*

123 *Pater post obitum primæ Uxoris ducere non potest indignam cum ignominia Filiorum.*

124 *Judex approbans similia Matrimonia cooperatur peccato.*

125 *In casibus, in quibus Sponsalia adimpleri nequeunt, nèc pœna illis adjecta uti accessoria sustinetur.*

126 *Non obstant auctoritates contrariæ.*

127 *Quia vel ad summum militant in casu, quo Sponsus ad pœnam obligatus injustè a Sponsalibus resilire contendat.*

128 *Non autem quando Sponsalia dissolvuntur propter inhonestatem Mulieris.*

129 *Ob oscula, amplexus, aut tactus impudicos a Sponsa liberè, & voluntariè admissos, justè Sponsus a Sponsalibus recedere valet.*

130 *Vel dictæ auctoritates non sunt attendendæ tamquam directè cum Jure Canonico, & Civili pugnantes.*

131 *Pactum pœnale in Sponsalibus adjectum habetur pro non apposito, utpotè ab utroque Jure damnato tamquam adversativo libertati Matrimonii*, & num. seqq.

136 *Similes pœnales pactiones tamquam turpes, quia appositæ contra legis dispositionem nullius sunt roboris.*

137 *Nèc tenent in foro exteriori, nèc interiori, quamvis juratæ.*

138 *Non licèt servare Juramentum præstitum ob rem a legibus Ecclesiasticis vetitam, nèc sine peccato saltem veniali efficiendam.*

140 *Etiamsi talis pœna cohonestetur cum titulo augmenti Dotis*, & num. seq.

142 *Promissio augmenti Dotis evanescit, si Matrimonium non sequatur.*

143 *Quia tunc est pactum pœnale palliatum titulo augmenti Dotis*, & num. seq.

145 *Causa, & origo cujuslibet dispositionis Contractus, vel obligationis semper inspici debet.*

146 *Nèc obstat, quod pœnale pactum fuerit titulo Donationis inter vivos coloratum.*

147 *Cautelæ, & formulæ insolitæ, & pacta præter morem in Contracta apposita præseferunt machinationem, & dolum, & reddunt actum nullum, & invalidum.*

148 *Augmentum Dotis, & Donatio, quatenùs esset valida, corruit, si ex culpa Mulieris Matrimonium non habeat effectum.*

149 *Causa finalis utriusque Juris in prohibenda pœna conventionali, seu pacto pœnali in Sponsalibus est in iis tollere quodcumque pactum, per quod vulnerata esse possit Matrimonii libertas.*

150 *Quæ vulnerata remanet per dictam Donationem*, & num. 151.

152 *Donatio promissa in casu, quo Sponsus donator obierit ante celebratum Matrimonium, non debetur nisi adveniente tali casu.*

153 *Obligatus sub conditione ad nihilum tenetur, nisi conditione purificata.*

154 *Si ratione libertatis Matrimonii quodlibet pœnale pactum a lege prohibetur, ex eadem ratione quælibet alia pactio impeditiva ejusdem libertatis ab eadem lege prohibita censetur.*

155 *Ubi militat eadem ratio, ibi quoque militare debet eadem Juris dispositio.*

156 *Conventiones adversantes libertati Matrimonii ab utroque Jure irritantur, licèt fuerint quocumque nomine, seu titulo, aut vocabulo palliatæ*, & num. 157.

158 *Nec ullam habere possunt executionem.*

VOTUM VI.



Fœmina quædam innupta annorum 20. circiter institit per nos cogi Clericum Beneficiatum in ætate annorum 17. constitutum ad illam in
1 facie Ecclesiæ desponsandam, & quatenus id Clericus adimplere renuisset, ad illi persolvenda scuta 500. titulo tàm *augmenti Dotis*, quàm *Donationis inter vivos* sibi promissa etiam in casu, quo Matrimonium ex culpa Clerici, seu suorum Consanguineorum optatum habere non potuisset effectum, ac productione Apocæ Sponsalium inter utrumque celebratæ satis, superque in tuto pro se victoriam positam esse putavit.

Clericus è contra, ejusque Vidua Mater, Fratres, & Consanguinei instantiæ prædictæ Fœminæ contradicentes mordicus obstiterunt per nos declarari petentes antedicta Sponsalia vel esse nulla, vel penitus rescindenda, & utroque casu scuta 500. *uti pœna conventionalis* a legibus interdicta, quamvis prædictis cohonestata titulis, nullatenus esse solvenda, quorum instantiæ, auditis hinc inde Procuratoribus, annuendum esse censuimus. 2

Pro parte namque Clerici, ejusque Consanguineorum probatum fuit, quod quamvis ipse Clericus a teneris annis, quibus Clericali Militiæ nomen dedit, obtinuitque Ecclesiasticum Beneficium annui redditus scutorum 150. de Jurepatronatus suæ Familiæ, usque ad Adolescentiam optimum suæ vitæ integritatis, illibatorumque morum specimen dedisset, ab hujusmodi tamen recto, honestoque tramite deviatus extitit a procaci, & impudenti prædicta Muliere, quæ cum consilio, & opera suæ Matris versutissimæ Viduæ, & in exercendo infami lenocinio satis expertæ, omnem Veneris artem adhibuit pro illo ad impudicum sui amorem trahendo; Et quidem tot, tantæque fuerunt importunæ illecebræ, licentiosæque sollicitationes, quibus audacissima Mulier Clericum lacessivit non solum in Civitate, sed quando etiam Ruri cum suis Consanguineis permanebat, quo eadem callidissima Mulier, duce, ac comite præfata ejus Matre expertissima lena, aut aliis vilissimis, ejusdemque fuliginis Fœminis pluries, pluriesque clàm se transtulit ad secretò confabulandum cum eodem Clerico, eumque in sui amore confovendum, ut tandem incautus Adolescens de arte amandi fere jejunus, ac vitam Fœminæ licentiosam ignorans (quæ ignorantia in Juvene teneræ ætatis facile præ- 3 4

præfumitur *Rot. dec.* 19. *n.* 23. *par.* 10. *recen.*) in laqueum fibi paratum inciderit, ac ab infidiofis Fœminæ blanditiis devictus omninò remanferit.

Dum tamen ipfe nullatenus cogitabat excedere fines Juvenilis amoris, prænominata Fœmina, ejufque
5 Mater, ac Fratres callidè, dolosèque inter fe convenerunt ex improvifo hunc inexpertem Adolefcentem ex honeftis, Civibufque Parentibus ortum, ac opibus abundantem Invadere, fummaque damnanda dexteritate compellere ad defponfandam, vel dotandam eamdem Mulierem, communicataque eorum prava, improbaque intentione cuidam perdito Notario, aliifque Juvenibus amicis ejufdem Fœminæ; & ab iftis ea approbata, curam in fe Notarius affumpfit Apocam exarandi Sponfalium, eaque extenfa, dum Clericus dolosè vocatus a captiofiffima Muliere in ejus domo apud ipfam fedens, & cum ipfa *lætus*, *& fuperabundans gaudio* amatorios fermones habens reperiebatur, præfentibus Fœminæ Matre, ac aliis eorum Confidentibus, inopinanter fupervenit Notarius cum alio infimul Juvene effœminato, qui è manica extracta Apoca per ipfum confecta, eaque exhibita Clerico, unà cum dictis malis Fratribus, Matre, Amicifque Mulieris eum follicitavit, ac dolosè induxit ad illam fubfcribendam, quemadmodum Clericus ex fui natura pufillanimis a tot iniquis Hominibus, & præcipuè a Fratribus Mulieris admodum facinorofis circumdatus, dubitans de aliquo infultu, fi id facere detrectaffet, Apocam præ timore fubfcripfit, & deindè juftum fuum internum diffenfum diffimulans cum affectata hilaritate unà cum Muliere, Fratribus, aliifque Amicis ibidem refectionem etiam recepit.

At in libertatem vindicatus, & a timore ereptus ftatim Clericus reclamavit adverfus prædictæ Apocæ fubfcriptionem fraude, metuque extortam, ac proteftatus fuit fe velle potius fubire mortem, quam nubere,
6 & conftituto Procuratore ad judicialiter agendum contra præfatam Mulierem, curavit inftrui Judicium vigore *l. Diffamari Cod. de Ingen. & Manumiff.*, præfixifque folitis terminis Mulieri ad probandum, pro illius parte fuit, ut diximus, in Actis producta enunciata SponfaliumApoca, & per eam inftitutum, ut fupra, præmifimus.

Quibus ita fe habentibus, cum appareat, quod prædicta fubfcriptio per machinationem, dolum, & etiam metum, & præter intentionem Clerici fuerit extorta, ex defectu liberi 7
confenfus nulla, & invalida effe videtur ad *text. in Cap. Ad audientiam* 4. *de his, quæ vi, metuque Cap. Quod latenter* 5. *de Reg. Jur. l. Nihil* 117. *ff. eod. l.* 1. *ff. de dol. except. Caftald. confult.* 45. *num.* 12. *Rot. cor. Emerix Jun. dec.* 139. *num.* 4. *tom.* 1. Quæ machinatio, dolus, fraus, metus, atque diffenfus fatis refultant ex facti ferie narrata *in jurata declaratione Clerici*, in qua conftanter affirmat fe nullo unquam tempore, neque ullo loco fermonem, colloquium, vel tractatum habuiffe cum præfato Notario fuper extenfione, & confectione prædictæ Apocæ, fed rem ita fe prorfus habere, prout mox defuper recenfuimus, ex qua jurata declaratione emiffa ab honefto Juvene bonis imbuto moribus, ac Clericali charactere infignito, qui non præfumitur perjurium committere velle, & in propriæ 8
animæ difcrimen falfum afferere *Can. Sancimus* 1. *quæft.* 7. *Mandel. Alban. conf.* 10. *num.* 25. *& feq.* cum aliis relatis per *Rot. in Romana Donationis* 12. *Decemb.* 1710. §. *fin. cor. Aldrovand.* maximè concurrente inverifimilitudine, quod honeftus Juvenis ex honeftis, & divitibus Parentibus ortus Mulierem pauperem, vilem, & impudicam ducendo fe, domumque fuam fummo dedecore perpetuo deturpare voluerit *Rot. decif.* 19. *num.* 23. *par.* 10. *recen.* fufficiens emergit probatio dictam fubfcriptionem per fraudem, & dolum fuiffe extortam *Rot. cor.* 9
Falconer. tit. de appellat. dec. 4. *n.* 5. *& tit. de falfit. dec.* 3. *num.* 3. *& feq.*

Accedente præfertim depofitione Teftium pro parte Fœminæ inductorum, quorum alter Notarii machinationem, & fraudem comprobat, 10
dum

dum ait = „ M' incontrò la mattina il
„ Notaro, e dissemi aver di me bi-
„ sogno, per un affare DI SOMMA SE-
„ GRETEZZA, e che però fossi andato
„ all' ore 20. da lui, come feci, e
„ subito mi dettò il foglio de' sud-
„ detti Capitoli Matrimoniali, e
„ terminato di scrivere, m' ingiunse
„ di non parlarne COLLO SPOSO, nè
„ con altra persona, e per meglio
„ assicurarsi della SEGRETEZZA, e
„ dell' osservanza del sigillo, volle,
„ che io dassi ancora il giuramento
„ = *& inferius* = Nella stessa sera
„ del giorno, in cui scrissi, come ho
„ deposto, il detto Foglio, andai in
„ Casa della Sposa, ove sopraggiun-
„ se il Notaro con un suo Compagno,
„ e dopo alcuni Atti d' Urbanità,
„ estrasse dalla saccoccia lo stesso Fo-
„ glio, e lo diè a leggere allo Spo-
„ so, e dopo ad intelligenza di tutti
„ fu letto dallo stesso Notaro „ =

Alii vero duo Testes etsi partici-
pes proditoriæ machinationis paratæ
contra Clericum, utpotè plenè conscii
de supradicto folio Sponsalium per
præfatum Notarium exarato, eisque
præventivè ostenso, & ad legendum
dato ab altero ex Fratribus Mulieris,
ut liquet ex eorum dictis = ibi = „ All'
„ ore 22. il Fratello della Sposa mi
11 „ fece leggere CON SEGRETEZZA il
„ foglio delli Sponsali; Lo lessi, me
„ ne rallegrai con lui, glie lo resti-
„ tuii; e gli promessi, che la sera
„ sarei andato a Casa sua, per esser
„ Testimone, secondo il suo deside-
„ rio, e così feci „ = adhuc de tali
machinatione exprefsè nnn deponunt,
sed tamen fatentur, quod pessimus
Notarius Mulieris domum ingressus,
extractoque ex ejus manica Sponsa-
12 lium folio, illud Clerico ad legen-
dum exhibuit = ibi = „ Sopraggiunto
„ il Notaro, dopo aver salutati tutti,
„ consegnò al Sig. NN. (*scilicet Cle-
„ rico*) il foglio de' Capitoli Matri-
„ moniali, dicendogli, questo è ciò,
„ che desidera la Signora NN. (*hoc
„ est prædicta Fœmina*) a cui sog-
„ giunse lo Sposo: E che cosa è? e
„ prendendo il Foglio lo lesse, e poi
„ lo restituì al Notaro, acciò lo pub-
„ blicasse = *Alter vero testatur* = A-
„ vendo il Notaro ivi sopraggiunto
„ in mano il Foglio &c. lo stese al
„ Signor NN. dicendogli: tanto de-
„ sidera la Signora NN. „ =

Ex quibus Testium Clerico con-
trariorum dictis confirmata, & com-
probata videtur jurata Clerici decla-
ratio de nullo prorsus habito præven-
tivo sermone, & tractatu cum Nota-
rio super confectione Apocæ Sponsa- 13
lium, alias non prohibuisset prædicto
Testi = *di parlarne collo Sposo* = nul-
la adfuisset necessitas ante publicatio-
nem legendi, & videndi per Cleri-
cum dictam Apocam, nèc in eodem
Clerico causa interrogandi = *E che
cosa è?* = satisque fuisset huic audire
illius lecturam in actu rogitus, prout
satis fuit eamdem lecturam in actu
rogitus audire Mulieri, ejusque Ma-
tri, ac Fratribus utpotè de omnibus
in Apoca contentis ante hunc actum
instructis, & ad eorum tantum instan-
tiam peractis, unde ex hoc ipso satis
arguitur machinatio, fraus, & repen-
tina coactio, quibus mediantibus in-
ductus fuit Clericus ad Apocam Spon-
salium subscribendam.

Maximè quia nulla affertur pro-
batio scientiæ per Clericum habitæ
ante actum stipulationis Contractus
de illo condendo, seu quod ad id
consensum præstiterit, prout ex par-
te Mulieris probandum esset, & è
contra urget præsumptio machinatio-
nis, & fraudis, cum agatur de perso-
nis vilissimis, miserabilibus, & infa- 14
mia notatis, ut inferius demonstrabi-
mus, quæ pudorem, & honestatem
non habent, nèc profitentur, sicuti
enim similes Personæ nil aliud quæ-
runt, quam nubere Filias, aut Soro-
res divitibus, vel Nobilibus Adole-
scentibus sine dote, vel eos sub falso
prætextu stupri, aut alterius crimi- 15
nosi tituli ad illas dotandas compel-
lere, ita legalis præsumptio suadet,
quod nonnisi per fraudem ab ipsis
Clericus ad subscriptionem Apocæ 16
Sponsalium coactus fuerit *Valer. in
verb. Metus differ. 4. Piton. discept.
Eccles. 52. n. 53.* = ibi = *Et multoties,
consentientibus Consanguineis, invi-
tant Juvenem in domum &c. quæ sunt
pessimæ inventiones ad illaqueandos
Viros*,

Viros, & Fæminas ſine dote maritandas, qui caſus figuratur per Canoniſtas in Cap. Veniens de Sponſal. &c. quam Conſanguineorum aſtutiam in dundo libertatem Puellis, ut hoc modo fortunam ſuam quærant, ponderat Rota &c. ita, & taliter, quod non ſemper vera eſt illa regula, quod Puella præſumitur ſeducta a Viro, ſed multoties militat è contra, ut nempè ea Virum ſeducat juxta Juvenum indolem, quæ poteſt eſſe non ſagax, ſed ingenua, & ſuperari per Virginem ſagaciſſimam, & artificiosè inſtructam &c. = & infra *n.65.* = ibi = *Fortius conſiderando fraudes, & aſtutias Puellarum, earumque Conſanguineorum &c. volendo enim maritare Fæminas abſque dote, multoties corruptas, tendunt laqueos Juvenibus divitibus &c. & ſub his execrandis aſtutiis lucrum faciunt, exindè generantur peſſimi eventus &c.* = quod
17 proculdubio ita frequenter non ſequeretur, ſi pœna lenocinii Puellarum Parentes, Fratres, & Conſanguinei fraudis, dolique aut participes, aut auctores mulctarentur, & unà cum ip-
18 ſis damnarentur ad triremes Notarii parum timentes Deum, prout eſt Notarius prædictus, aliique ejuſdem indolis, qui hujuſmodi iniqua Sponſalia coadjuvant, & authorizzant, nèc bona fide, ſed dolo malo, ſubdolè, & *ſecretò* ea ad finem perducunt, ne Adoleſcentium Conſanguineis ante fraudolentam ſtipulationem innote-
19 teſcant, nullo habito reſpectu ad ruinam incautorum Adoleſcentium, nullo ad Parentum dedecus, atque mœrorem, nullo ad diſcordias, diſſenſiones, & damna ex futuris litibus per illorum Familiam tolleranda, nullo ad tot peccata, quibus ita viam aperiunt, abutentes ea publica fide, quam utique quantum olim intemeratam in manibus Nobilium Virorum antiquitas venerabatur, tantum ſuſpectam in manibus nonnullorum Virorum etiam infimæ conditionis, ſubdolorum, perditorum, & nonnunquam ſola igno-
20 rantia, falſitate, & malitia excellentium hodierna tempora ſæpè deflere coguntur.

Nèc ad excludendam in hac facti ſpecie fraudem, & dolum ſive Mulieris, ejuſque Conſanguineorum, ſive malitioſi Notarii objici poteſt, quod Sponſalia voluntariè, & pleno Cleri- 21
ci conſenſu fuerint contracta, quatenùs conſtat ex Teſtibus illi contrariis eumdem nèc ante, nèc in actu ſtipulationis adverſus ea reclamaſſe, nèc ullum protuliſſe verbum ſignificans ejus contrariam voluntatem, vel diſſenſum, quinimo plura dediſſe ſigna, actuſque feciſſe demonſtrantes ejus conſenſum, ejuſque liberam voluntatem deſponſandi dictam Mulierculam, cum ea nempè ſemper loquendo, ridendo, ac refectionem lætanter ſumendo unà cum illius Conſanguineis poſt peractam Sponſalium ſtipulationem.

Etenim cum ex præmiſſis apertè reſultet in actu ſubſcriptionis, & ſtipulationis Apocæ plenam in Clerico 22
defeciſſe libertatem ſe abſtinendi a ſubſcriptione, nèc habere tunc potuiſſe ſecuritatem reclamandi, & diſſentiendi, cum fuerit ex improviſo adortus, & ſollicitatus ad ſe ſubſcribendum in ipſa domo Mulierculæ, ibidemque præſentibus perditis, audacibus, & ferociſſimis, proptèreaque timendis infamibus ejuſdem Mulierculæ Fratribus *Pignatell. conſult. 173. n.36. tom.9.* = ibi = *Concurrente maximè natura feroci, & rigida inferentis metum* = & unà cum ipſis maxima domeſticorum, & amicorum turba ſaltem propter inſolitam multitudinem inferente metum, quod quidem palam facit dictam Apocam ab eo præ timore fuiſſe ſubſcriptam, etſi non appareat actu fuiſſe metum illa- 23
tum *Cap. Bonæ 23. de Elect. l. Habitatores 30. §. fin.* ibique *Gloſſ. verb. Verè ff. locat.* = ibi = *Sufficit ergo juſtus timor, quamvis malum non contingat* = præſertim in materia Matrimoniali, in qua abſolutum eſt, quod licet metus actu non inferatur, ſufficit tamen pro metu juſta metus ſuſpicatio, maximè ſi aderat, ut in caſu, potentia coactionis in puncto *Alberic. in rubr. ff. Ex quib. cauſ. met.* = ibi = *Et juſta metus ſuſpicatio ſufficit pro metu* = item *Bald. conſ. 165. in fin. lib.2.* = ibi = *Quod in Matrimonio*

monio animus debet esse liber non solum a compulsione; sed etiam a timore compulsionis = iisdem utitur verbis *Barbos. Vot. I. n.*130. = ibi = *Et maximè in Matrimonio, in quo animus debet esse liber non solum a compulsione, sed etiam a timore compulsionis* = & consonat *Paschal. de patr. potest. par.*3. *cap.*2. *n.*39. = ibi = *Et licèt metus actu non inferatur, sufficit tamen si adsit potentia coactionis* = cum aliis concordantibus penes *Alex. cons.* 99. *num.*7. *lib.*3. *Grivell. dec. Dolan. sub num.*28.
24 *Bordon. de Profess. cap.* 19. *n.*21. temerarium quippe erat damnum expectare, quod verosimilitèr evenire poterat *Bartol. in l. Metum ff. de eo, quod met. caus.* plenè *Hermosill. gloss.*1. *lib.*56. *tit.*5. *par.*5. *num.*15. *& seqq.*, *Castill. contr. Jur. lib.*8. *tit. de aliment. cap.* 59. *n.*20. §. *Timor itaque Sanchez de Matrim. lib.*4. *disput.*1. *n.*16. & verosimilitèr evenire poterat in casu, attenta ferocitate Fratrum Mulieris, qui audientes Juvenem dissentientem, facile ad arma adversus eumdem de-
25 venissent ad vindicandam affectatam Sororis injuriam, & honestatem sub simulato, fictoque amore deceptæ, idque verosimilitèr eventurum eo certius suspicari poterat Adolescens naturaliter timidus, expavescens, & pusillanimis, cujus pusillanimitas, ac
26 tenera ætas sicuti certo efficit, ut facilius perterrefiat *Borbos. dict. Vot. I. n.*23. ita metus etiam levis gravissimæ violentiæ æquiparatur tam in Mascu-
27 lis, quam in Fœminis teneræ ætatis, ut promiscue docent *Barbos. loc. cit. Boss. de Matrim. cap.*12. §.22. *n.* 253. *Sporer. tom.*3. *par.*4. *cap.*1. *sect.*2. *de Sponsal. num.*170. *Sanchez de Matrim. lib.*4. *disput.*3. *n.*4. *tom.*1. *Panimoll. dec.*19. *n.*12. *tom.*1. *& dec.*102. *n.*23. *tom.*2. *Rot. cor. Seraphin. decis.*771. *num.*4. *& cor. Dunozz. Jun. dec.*930. *num.*2. *tom.*2.

Inde consequitur, quod etiamsi Clericus in actu, & post actum stipulationis ostenderit vultum hilarem, riserit cum Muliere, refectionemque
28 acceperit una simul cum aliis inibi præsentibus, hoc tamen tollere non valet metum ab eodem Clerico jam conceptum, sed quemadmodum propter metum se subscripsit repentinam violentiam sibi illatam dissimulans, ita deinde pariter dissimulando cum hilari vultu, & cum risu comedere debebat, quousque fuisset è domo Mulieris egressus, & absque prædicto metu in libertatem reversus, in quibus terminis enunciati affectatæ lætitiæ actus inducere per se soli non valent consensum, atque validitatem Sponsalium, in quibus non solum requiritur purus consensus, sed ille re- 29
quiritur cum plena libertate, & securitate juxta *gloss. in Cap. Cum locum* 14. *verb. plena ff. de Sponsal. Paschal. de patr. potest. par.*3. *cap.*2. *n.*3. *&* 4. *Monald. cons.*5. *num.*106. = ibi = *Quod in actu contrahendi riserit, & hilari vultu contraxerit, quia dicta* 30
probatio insufficiens est = consonat *Barbos. dicto Vot. I. num.*101. *&* 107. = ibi = *Unde risus in ipso actu contrahendi non est indicium consensus* = Fusius *Alex. cons.*99. *n.*10. *lib.*3. = ibi = *Quæcumque sint signa interiora demonstrativa lætitiæ nullius sunt fidei, ex quo apparent signa de extrinseco metu, nam animum intrinsecum nullus cognoscere potest, & multi fingunt se ridere, qui timent; unde Jura, & DD. voluerunt, quod si appareant signa metus, non admittatur volens per lætitiam similia probare, scilicèt metum purgatum, quia animus cognosci non potest* = non obscure *Ruin. cons.* 122. *num.*4. *vol.*4. = ibi = *Et quamvis exadverso diceretur, quod consensit, allegando fortè, quod risit, & similia, per hoc tamen non concluditur necessario, quod consenserit, cum pendeat a mentis arcano, & istud etiam sequitur Imol. quando apparet de metu, non debet quis admitti ad probandam spontaneam voluntatem directè* = clare *Ciarlin. contr.*108. *n.*66. = ibi = *Data causa metus, licèt metum passus videatur læto animo facere, nihilominus actus censetur meticulosus* = item *Seraphin. de privil. Juram. privil.*110. *n.*15. = ibi = *Est etiam observandum, quod quamvis quis ridendo juraverit, non propterea diceretur spontè jurasse, si metus instaret, quia risus non est indicium consensus* = convenit *Amat. dec. Lusit.*346. *num.*3. *Rot. cor. Ludovis.*

*Ludovis. dec.*392. *n.*3. = ibi = *Quamdiù enim durat causa metus, quicumque actus fiant, etiamsi præseferant liberam voluntatem, & lætum, jucundumque animum, nedum metum non purgant &c. sed potius eum magis confirmant* = & pariter *dec.*373. *n.*11. *part.* 18. *recen.* = ibi = *Ideoque procedit etiamsi actus fuit in specie in læto, & jucundo animo, dum nec per hoc censetur cessasse timor, quoad durat illius causa* = in puncto eadem *Rot. cor. Seraphin. dec.*851. *n.*6. = ibi = *Tertia conclusio, quod Ludovica valdè lætata est de conclusione Capitulorum, nihil facit, non data plena libertate, etiamquod præseferret lætitiam* = & rursus in illius *Confirmatoria*, quæ est *dec.*687. *num.*2. *cor eod.* = ibi = *Metum nunquam censeri purgatum, nisi ea persona, cui fuit illatus, sit constituta in plena libertate &c. & ideò ea omnia, quæ possunt tribui liberæ voluntati, censeri facta per metum, non autem voluntariè durante eodem causa metus* = At in supposito quoque, quod Adolescens non propter metum, sed *præ gaudio, maximaque lætitia*, per quam Notarius in suo adventu illum exultantem invenit, prolapsus fuerit ad approbanda Capitula Matrimonialia, adhuc ea adimplere non tenere-
31 tur, quia fuit, ut diximus, in lætitia, & improvisa occasione deceptus, ad sensum *Piton. discept. Eccles.* 52. *num.* 80.

Verum cessantibus etiam hisce rationibus, & fundamentis, quæ afferebantur pro nullitate Contractus, animadversum fuit, quod, etsi ageretur de Sponsalibus per reciprocam promissionem in suo esse perfectis, simulque juratis, nulloque concurrente metu, dolo, vel fraude absolutis, adhuc apud omnes Canonistas assentata est Juris conclusio, quod aliqua justa impellente causa, etiam in casu, quo nulla ab initio non fuerint,
32 tamen rescindi possunt, & Judex a Matrimonii coactione desistere debet, ut post litteralem *text. in Cap. Requisivit* 17. *de Sponsal.* unanimiter advertunt DD., & signanter *Marc. Antonin. resolut.*2. *num.*5. *Fontanell. de pact. nupt. claus.*12. *gloss. unic. n.*6. *Rot. dec.*311. *n.*2. *& seq. cor. Buratt. & dec.*979. *num.*1. *cor. Molines tom.*4. *& dec.*19. *n.*2. *& seq. par.* 10. *recen.*, & diximus in nostro *Vot. III. num.*45. *& seqq.*, & *Vot. V. num.*49. *& seqq.*

In hac autem thesi non una tantum, sed plures, & quidem justæ, rationabilesque concurrunt causæ, quæ nedum simul unitæ, sed unaquæque earum licet separata reddit Sponsalia nulla, vel rescindenda; Quarum prima promanat ex jactura, & amissione hæreditatis maternæ valdè pinguis, 33
& opulentæ, quæ non compræhensis bonis dotalibus, ad valorem scutorum vigintiquinque millium ascendunt, super qua quidem jactura, & amissione hæreditatis non cadit solus timor, aut dubitatio, sed imminet effectiva amissio, & privatio, nam statim ac Clerici Mater scientiam habuit de Apoca Sponsalium cum præfata Muliercula initorum, gravissimo affecta mœrore, & indignatione supremas tabulas exaravit, in quibus pro æquali in bonis Extradotalibus omnes suos Filios hæredes instituit sub ea tamen conditione, ut desponsare, & Uxorem ducere non valeant nisi Virginem, aut Viduam natam ex honestis, & nobilibus, aut civilibus Parentibus, & Familiis, & in casu contraventionis, illum, qui tali præcepto non paruerit, desponsando vilem, & minus honestam, seu quomodolibet imparem Fœminam, expressè, & absolutè privavit omni prorsus parte suæ hæreditatis, accrescendo illius portionem aliis Filiis cohæredibus voluntati maternæ obtemperantibus. Quapropter si solus timor, & dubitatio amissionis bonorum, & 34
hæreditatis Paternæ, seu Maternæ, est causa plusquam sufficiens a Sponsalibus recedendi, multo magis justa, & rationabilis est, quando certa sit, & indubitata exhæredatio, & privatio hæreditatis maternæ, quoties ad suum effectum Sponsalia perducerentur, ut uno ore affirmant *Card. de* 35
*Luc. de Matrim. disc.*8. *num.*11. 16. *&* 17. *Rot. cor. Seraphin. dec.*1258. *num.*2. *& cor. Peu. dec.*517. *num.*5. *& seq. & cor. Molines dec.*979. *n.*2.

tom.4. & cor. Kaunitz dec.77.num.5.
& ſeqq. & firmavimus *in noſtro Vo-*
to IV. num.162, 163. 166. & Vot.V.
num.61. & ſeqq.

Non minoris, imo majoris pon-
deris eſt & altera cauſa, quæ pro-
manat ex reluctantia, & indignatiu-
36 ne Matris, Fratrum, & omnium Con-
ſanguineorum Clerici, qui omnes
tàm turpem, & indignum Sponſalium
contractum odio habent, ac deteſtan-
tur, diſſenſum enim, & gravem Pa-
rentum, & Conſanguineorum indi-
gnationem eſſe juſtiſſimam cauſam re-
cedendi a Sponſalibus etiam juratis
ſuſtinent *Guttierez quæſt. Canonic.*
lib.1. cap.20. n.17. & ſeqq., *Averſa*
de Matrim. quæſt.8. ſect.14. §. Quin-
to verſ. Et inter hæc damna cum aliis
laudatis per *Piton. diſcept. Eccleſ.52.*
n.80. & 81.Rot. dec.19.n.45.par.10.
recen. Sac. Congreg. Concilii in Ma-
joricen. Sponſalium 24. Auguſti 1723.
in qua expreſsè declaravit, quod in
37 Sponſalibus non eſt locus coactioni ac-
cedente indignatione Parentum, quæ
reputatur juxta cauſa diſſolutionis, &
in *Mediolanen. Sponſalium 13. Ju-*
lii 1725.in qua reſcripſit, quod Spon-
ſalia diſſolvuntur per denegationem
38 conſenſus Patris ex juſta cauſa ſe de-
clarantis nolle Filium Matrimonium
cum certa Muliere contrahere, & la-
tè nos quoque probavimus in noſtro
Vot.IV.n.162. & Vot.V. n.61.& ſeqq.

Eoque potiſſimum in themate, in
quo diſſenſus, & indignatio Matris,
Fratrum, & omnium Conſanguineo-
39 rum Clerici non eſt irrationabilis, ſed
juſtiſſima, utpotè originem ducens a
graviſſimis, & valdè relevantibus cir-
cumſtantiis, quarum prima eſt diſpa-
ritas natalium, & divitiarum, quæ
ſimul eſt tertia cauſa receſſus a Spon-
ſalibus; Clericus enim ortum habuit
a probis, honeſtiſque Parentibus in-
40 ter Cives ſuæ Civitatis adſcriptis,
ejuſque Conſanguinei ſunt omnes pa-
riter Cives, & nonnulli etiam in albo
Nobilium deſcripti, ac de fortunæ
bonis abundè proviſi, quod eſt pu-
blicum, & notorium.

Fœminam è converſo conſtat na-
tam eſſe ex viliſſimis, & miſerrimis
Parentibus, ex Patre ſcilicèt; qui
dum vixit, ſordidas artes prius Famu- 41
li, & deinde Lanionis exercuit, &
ex Matre adhuc vivente, Muliere
extera, miſerabili, & adeò vafra, ut
ex ignota Regione ad hanc Civitatem
perventa, poſtquam ſuis impuris ille-
cebris ad ſui amorem traxit prædi-
ctum Famulum, eique ad illius libi-
tum copiam ſui corporis fecit, frau-
dolenter per ipſammet delata ad
hujus Epiſcopalis Curiæ notitia præ-
narratæ pravæ conſuetudinis, impe-
travit, ut idem Famulus in carcerem
detruſus illam, omiſſis quoque pro-
pter prægnantiam, proximumque par-
tum denunciationibus, deſponſaret.
Habet præterea eadem Fœmina non
ſolum hujuſce indolis Parentes, ve-
rum etiam duos miſerabiles Fratres
alterum furti, ac lenocinii, alterum
verò tentati nocturno tempore homi-
cidii infamia notatos, ideoque ad-
modum facinoroſos, ipſaque Fœmi-
na ad ſibi victum comparandum fa-
mulatui ſe addixit, in quibus ſanè
terminis ſicuti evidentiſſima evadit
tùm natalium, tùm divitiarum, mo-
rumque diſparitas, ita juſtiſſima red- 42
ditur indignatio Conſanguineorum
Clerici, quæ proculdubio juſtam ex-
cuſationem, motivumque præbet re-
ſiliendi a Sponſalibus utcumque per-
fectis *Dicaſtillo diſput.4. num.181.*
& 224. latè *Piton. d. diſcept. Eccleſ.*
52. a num.76. ad S'. Ricciardel. in
Lyc. Eccleſ. tom.2. cap 9. § 4. n.72.
& ſeq.=ibi=*Vel adſit imparitas inqua-*
litate, vel ſi eſſet timor diſcordiæ inter
Matrem, Fratrem, & Filium = cum
aliis relatis per *Rot. in Tuden. Spon-*
ſalium 21. Martii 1746. §. Cæterum
cor. R. P. D. Caprara.

Altera vero lacrymabilis, ac
magis urgens circumſtantia excitans
Matris, & Conſanguineorum indi-
gnationem, & quarta reſpectivè cau-
ſa recedendi a Sponſalibus eſt inho-
neſtas, & procacitas ejuſdem Fœmi-
næ deſponſandæ, quæ a teneris annis 43
prædictæ ſuæ Matris unà cum impu-
dico lacte malis inbuta moribus ſe
licentioſam, & viroſam omnibus ex-
hibuit, pubertatemque vix nondum
egreſſa magis undique manifeſtavit
ſuam impudentiam, & inhoneſtatem,
ducen-

ducendo amores cum Juvenibus,aliisque Hominibus cujuscumque gradus, & conditionis , ac inhonestos actus , gestusque eis faciendo , itaque sectando Matris vestigia se illius veram Filiam ostendit , talemque se necessario demonstrare debebat ; nam in comperto undique manet , quod Filiæ Matrum mores imitantur , & a
44 Matre impudica nisi impudentiam discere valent , ut ait *D. Ambrosius lib.3. de Virgin.* = ibi = *Quid potuit Filia de adultera Matre discere , nisi damnum pudoris ?* = fusius *Tiraquell. de leg. Connub. leg.7. num.*10. = ibi = *At illud verissimum est Filias plerumque mores Matrum repræsentare solere ; neque enim verisimile est , ut Filia statim ab ineunte ætate turpibus Matris moribus imbuta honestatem in grandiori ætate sectetur , ad quam tantum absuit , ut Mater cohortaretur , ut etiam ab ea magis & exemplo dehortaretur , & verbo* = breviter *Boss.tract.variar. tit.de plur. viol.n.68.* = ibi = *Præsumitur incontinens, cujus Mater incontinens fuit* = itemque *Constant. Vot. Crimin.* 12. *n.*16. *tom.*4.= ibi = *Ex mala qualitate Parentum multum arguitur pro inhonestate Filiæ* =

Et re vera non solum in facto liquet , quod Muliercula , de qua agitur , non adhuc facta viripotens impudicè se gesserit , sed quod ad adultam ætatem perventa creverit ejus procacitas , & inhonestas , ejus-
45 que impudica indoles , & natura in apertum fuerit exposita,dum quædam Nobilis Matrona eam ad sui famulatum admisit ; Quemadmodum enim in Ædibus ejusdem Nobilis Mulieris ad animi relaxationem quamplures conveniebant Nobiles Juvenes , & Adulti illius Consanguinei , & Amici , multique alii Cives præsertim baccanalium tempore , ut inibi aleis luderent , vel ut festas ducerent choreas , ita latissimus patuit Mulierculæ campus lasciviendi , habendique amatorias confabulationes , ac gestus , & actus inhonestos practicandi modò cum dictis Nobilibus Viris , modò cum eorum famulis , cum quorum quoque nonnullis non se continuit cum signis , & gestibus tantum amatoriis , sed ad apertos positivos impudicitiæ , & inhonestatis actus præcipitavit , se cum illis ad invicem blandiendo , reciproca impura verba proferendo , reciproeosque impudicos tactus , obscenasque vellicationes per omnes suorum Corporum partes invicem attentando donèe , & quousque à famulatu præfatæ Nobilis Matronæ dimissa non fuit.

Ad cohabitandum cum Matre , & Fratribus deindè reversa cum istorum lenocinio ita inhonesta , & procax
magis evasit , ut toti Civitati scandalo 46
fuerit , dum omnibus diebus , & horis manens in fenestris quamplurimis suis amantibus per viam transeuntibus salutationes amatorias , & manibus oscula , vulgo *baciamani* protendebat , nèc erubuit intra suam habitationem plures amantes, etsi Clericali charactere distinctos, admittere , atque secreta , & occulta cum eis habere colloquia ; Ipsa non renuit ab eisdem amantibus munera , & dona recipere ; Ipsam non puduit in Sacrosanctis Ecclesiis ad amantes impudicos oculos cum risu scandalosè convertere , eosque in publicis viis detestabili petulantia , ac immodestia tractare ; Ipsa demum tantos , talesque actus , & gestus inverecundos , inhonestosque commisit , ut ab ea omnem etiam externum virginalem pudorem penitus exulasse manifestaret , à quo vitæ genere , contractis etiam Sponsalibus , non declinavit.

Si igitur hujusmodi Fœmina usque ab ineunte ætate impudicè se gessit , ejusque inhonestas non se continuit in amatoriis tantum confabulationibus , risibus , aliisque obscenis actibus factis cum Juvenibus tàm Laicis , quàm Ecclesiasticis cujuscumque generis , & conditionis , qui in vili , & paupere
Muliere per se soli sufficientes forent 47
tùm pro ea reputanda inhonesta ad tradita *per Bursatt. cons.* 445. *n.* 31. , *& seq. lib.*4.*Berlic. conclus.* 30. *n.* 32. *part.*3. *Farinacc. quæst.*136. *num.*141. *Constant. dict. Vot. Crimin.* 12. *n.* 11. *tom.*4. = ibi = *Qui testes dicunt insimul,quod dicta Francisca erat* = una sfacciatella , ed una pettegola= *& rationem deducunt ab actibus obscenis* ,

quos faciebat præcipuè cum dicto Dominico, ex dictis enim actibus alloquendi, ridendi, cachinnandi, faciendi, ut dicitur, li baciamani *ex fenestra, & in horto habetur vitæ inhonestas* = convenit *Ricciardell. in Lyc. Eccles. tom.2. cap.9. §.1. sect.8. num.38.* = ibi = *Et maximè quia paupertas, & vilitas in Muliere Juvene ex colloquiis diuturnis, secretis confabulationibus, munusculis, & donis mutuo traditis &c. facit oriri suspicionem libidinis, & inhonestatis Tiraquel. &c. ubi probat, quod natura ipsa in prædictis propriam quamdam veluti domesticam qualitatem peculiaris libidinis ingenuit, ut sint ad venerem sua spontè procliviores &c., & ex dictis actibus Virgo etiam dicitur ducere vitam meretriciam* = tùm ad excitandam Consanguineorum indignationem, & pro rescindendis quibuscumque Sponsalibus etiam juratis *Ledesm. de Matrim. quæst.51. artic.2. dubit. 3. §. Advertendum Sanchez de Matrim. lib.7. disput.18. num.38., & seq., Rot. in Majoricen. Censurarum 16. Januar. 1715. §. Exulante coram Card. Scott.*

Sed se ad actus longè pejores positivè ostendentes, & comprobantes ejus effectivam procacitatem, & im-
48 pudicitiam extendit se ad invicem cum Amantibus blandiendo, reciproca libidinosa verba eodem contextu proferendo videlicèt = *Oh me felice, se io già fossi tua!* = *Chi più fortunato di me, se io già fossi della tua bellezza padrone!* = reciprocosque impudicos tactus, prædictasque obscenas vellicationes admittendo, & in publica via alterum ex suis Amantibus palam amplectendo, prolatis unà simul iis amorosè verbis = *Gioja mia pur ti rivedo: Amami caro, perchè io per te notte, e dì mi consumo* = ut rubori fuerit eidem Amanti, ultra alios similes impudicos, & meretricios actus cum aliis factos, ad illos ad sui amorem alliciendos.

In his igitur facti circumstantiis certò, certius indubitata, & inne-
49 gabilis undique resultat inhonestas, & impudicitia Fœminæ ad tradita *per Tiraquell. de leg. Connub. leg.2. num. 9. & seqq., Ricciardell. in Lyc. Eccles. cap.9. §.1. sect. 3. num. 17. 18. 19. & sect.8. num. 38., & 39.*, quæ sanè inhonestas sicuti meritò ad indignationem provocat Adolescentis Matrem, & Consanguineos, justamque præbet causam resiliendi a Sponsalibus, ita consectariè sequitur, quod Clericus ex hac, alisque causis hucusque
deductis ab injustis vexationibus per 59
eamdem Fœminam ei illatis justissimè fuerit per nos absolutus *Sanchez de Matrim. lib.1. disput.63. num.2. Konich. disput. 23. dub.7. num. 56. Bonaccin. Theol. Moral. tom. 1. tit. de Sponsal. quæst.1. punct.8. num.2.* = ibi = *Sponsum posse resilire à Sponsalibus non solum si Fœmina fornicetur, sed etiam si permittat se ab alio impudicè tangi, ut per amplexus, oscula &c.* = & dixit *Rot. in Majoricen Sponsalium 6. Martii 1752. §. Plurimum coram R. P. D. Amadeo* = ibi = *Pro hujusmodi enim effectu licet Fœmina corpore non sit vitiata, si tamen ex depravatis moribus mentem corruptam habeat, non immeritò de inhonestate redarguitur* = & in illius *confirmatoria diei 9. Aprilis 1753. §. Maximum vero coram R. P. D. Buss.* = ibi = *Si autem loquimur de illius conditione, putida omninò est Nobilitatis jactantia, quoties constat Actricem se se famulatui addixisse, & viliora quoque in privata Domo præstitisse servitia &c. sin autem loquimur de moribus, non utique se se Actrix talem probat, ac ejus vivendi ratio illibatam, omnique suspicione immunem evincat integritatem; Ipsa enim sola per Civitatem vagari, & etiam nocturno tempore, & etiam invitis Dominis quandoque consuevit. Ipsa in publica Caupona cyatum vini à Milite oblatum non respuit, & in Sutoris Apotheca se jocis non inimicam ostendit; Ipsa demum externam verecundiam, quæ Virginum decor est, non adeò rigidè custodivit, ut non imò ingenitæ hilaritati plus æquo sæpius indulserit, quæ quidem omnia incorruptæ pudicitiæ rationi minus accomodata probat Decisio R.P.D. Amadei.*

Absque eo quod prædicta concuti possint vel ab expiscata depositione quam-

quamplurium Teſtium deponentium
de bona fama , & aſſerta honeſtate
Fœminæ , vel eo minus ab oppoſita
ſingularitate Teſtium ad probandam
illius inhoneſtatem pro parte Clerici
inductorum . Pro eo namque quod
attinet ad dictam in favorem Fœminæ
atteſtationem , iſta nullam prorſus
probationem conſtituere poteſt , ul-
tra quod enim omnes fermè teſtes in
illa ſubſcripti ſunt amore ducti , &
valdè affectionati erga prædictam Mu-
51 lierculam communem eorum Ama-
ſiam , & ſic etiam valdè ſuſpecti, qui-
bus nulla proindè fides eſt adhibenda
*ad Text. In Cap. In literis 24. de Te-
ſtib. Farinacc. conſ. 110. num.3. &
quæſt. 55. num. 1. , & 23. Marſil.
caſ.31. num. 14. & caſ 76. num. 27.
Grammatic. conſ.45. num.15. Cyriac.
controv.407. num.201. tom.3. Rot. co-
ram Emerix Jun. deciſ. 112. num.7.
& deciſ. 278. num.12 & coram Fal-
coner. tit. de Jurepatr. deciſ. 47. n.6.
& coram Dunoz. Jun. deciſ. 296.
num.3.* = ibi = *Quia tamen bis concur-
ris ſuſpicio nimiæ dilectionis , eorum
Teſtimonium redditur ſuſpectum .*
Exuberat inſuper in hoc propoſi-
52 to, quod agitur de ſimplici fide, pen-
dente lite, expiſcata, quæ nullo modo
53 attendi valet , multoque minus con-
traponi Teſtibus pro parte Clerici ad-
verſus illam formiter examinatis , qui
ſemper prævalent aliis extrajudiciali-
ter deponentibus *Imol. In leg 1. §. Si
quis negat num.6. in fin. ff. Quemadm.
Teſtam. aper. Rot. deciſ.1173 num. 9.
& 10. coram Molines tom.5. & de-
ciſ.57. num.10. coram Criſp. tom.1.*
Maximè cum Teſtes inhoneſtatem
comprobantes in majori parte ſint Sa-
cerdotali charactere diſtincti , qui
54 omnimodam fidem merentur , ut plu-
ribus relatis dixit *Rot. deciſ. 301.
num.11. part. 17. recent. & coram
Molines deciſ. 693. num. 11. tom.3.*
& reſpectivè quia Teſtibus de bona
fama Mulierculæ deponentibus,etiamſi
55 fuiſſent ſub formali examine repetiti ,
nihilominus nulla foret præſtanda fi-
des , tùm quia ad ſuperandos , men-
dacesque reddendos contrarios Te-
ſtes de mala fama teſtificantes depo-
nere debuiſſent , quod cum eſſent ipſi
quoque præſentes in loco , & tempo-
re , quo deponunt Teſtes Fœminam
prænarratos actus inhoneſtos exhibuiſ-
ſe , adhuc ipſam Fœminam ibi non
adfuiſſe , aut ſi adfuerit , nonniſi mo-
deſtam , honeſtam , & caſtam ſe
omnium adſtantium oculis præbuiſſe ,
unde falſa , ſeu ſaltem ſuſpecta præ-
dictorum contrariorum Fœminæ Te-
ſtium depoſitio appareret , alias iſti
videre potuerunt actus inhoneſtos Fœ.
minæ , quos alii Teſtes de illius bo-
na fama deponentes, uti eo tempore,
iiſque in locis minimè præſentes non
viderint , ſtat enim benè ſimul , quod
quis uno loco aliquid inhoneſtum
agat , quodque ab aliquibus ibi præ- 56
ſentibus obſervetur , ab aliis vero ab
eo loco abſentibus ignoretur , qua de
cauſa etiamſi mille Teſtes de honeſta- 57
te deponant in hoc conflictu illis non
eſt deferendum *Zaul. ad Stat. Favent.
lib. 4. rubr. 58. n.89.* tùm quia in hac
Civitate , & Diœceſi ille malus, mul-
torumque malorum origo inolevit
abuſus nunquam , ſeu raro denegandi
atteſtationes pro humano reſpectu
quibuſcumque illas ad ſui defenſio-
nem petentibus ſub eo erroneo ſup-
poſito , ſeù verius prætextu , quod
quamvis ſive ex publica voce , & fa-
ma , ſive ex aſſertione alicujus , vel
aliquorum de viſu , & auditu affir-
mantium de contrario ſint informati ,
nihilominus , quia ipſi propriis non
viderint oculis , ideo valeant contra
publicam vocem , & veridicas rela-
tiones a ſe habitas totum oppoſitum 58
ſine peccato , & falſitate etiam cum
Juramento teſtificari ; tùm demum
quia Teſtibus de bona fama alicujus
Fœminæ in genere deponentibus mi-
nimè credendum venit in concurſu
aliorum deponentium ex factis indi-
viduis de ipſius mala fama , & inho-
neſtate ex ea ratione , quam pluribus
relatis adducit *Dyn. deciſ. crimin. 18.
num.37.* = ibi = *Quia nemo eſt tàm* 59
*infelix in Civitate , qui non habeat
aliquos de ejus bona fama deponentes ,
cum in quolibet perdito homine facilè
in genere probetur , nèc relevat quo-
ties venit eadem conquaſſata ex factis
individuis* = idque confirmat *Rot. Ja-
nuen.* apud *Balducc. dec.70.n.2.tom.4.*
Quo

Quo vero ſpectat ad ſingularita-
tem Teſtium de mala fama deponen-
tium, nihil detrahit legitimitati pro-
bationum, dum Teſtes inter ſe con-
veniunt, &, ob numerum, probationem
ſufficientem conſtituunt procacitatis,
& inhoneſtatis Mulieris, ubi enim
actus ſunt reiterati, & multiplices,
nèc ſingularitas eſt obſtativa, & con-
tradictoria, ſed potius accumulativa,
quæ patitur dicta Teſtium conjungi ad
faciendam plenam probationem, uti-
60 que ad probandam inhoneſtatem Fœ-
minæ ſimiles Teſtes ſatis, ſuperque
ſunt, & ſi ſingulares, juxta commu-
nem DD. Sententiam, de qua teſtan-
tur plene *Riminald. Jun. conſ. 2. per
tot. vol. 2. Bajard. ad Clar. § Stuprum
num. 29. Farinacc. quæſt. 64. num. 223.
Grammatic. deciſ. ult. num. 9.* cum
aliis collectis per *Ricciardell. in Lyc.
Eccleſ. cap. 9. §. 1. ſect. 3. num. 21.* = ibi =
*Nèc obſtat, quod Teſtes ſint ſingula-
res, quia ad probandam inhoneſtatem
alicujus Mulieris, Teſtes etiam ſingu-*
61 *lares deponentes de diverſis actibus,
& tempore ſufficiunt ad plenam ipſius
inhoneſtatis probationem, & hanc
eſſe communem opinionem ſcripſit
Alex. &c.* = item *Conſtant. d. Vot.
Crimin. 12. num. 38., & ſeq. tom. 4.* =
ibi = *Haud relevat, quod Teſtes depo-
nentes ſuper inhoneſtate Franciſcæ
ſint ſingulares, nam reſpondetur,
quod Teſtes etiam ſingulares deponen-
tes ſuper diverſis, ac ſeparatis inho-
neſtatis actibus probant in propoſito,
quinimo etiamſi adducantur plures*
62 *Teſtes deponentes de honeſtate in gene-
re, dum adſunt plures deponentes de
inhoneſtate in ſpecie, hi præferuntur,*
63 *etiamſi eſſent duo, aliis etiam majoris
numeri deponentibus de bona fama in
genere* = convenit *Dyn. deciſ. 39.
num. 45. Peguer. deciſ. 12. num 9.* imo
inhoneſtas probatur etiam per Teſtes
de fama, & auditu deponentes *Fa-*
64 *rinacc. quæſt. 136. num. 103. Burſatt.
conſ. 69. num. 14. lib. 1. Rot. deciſ. 19.
num. 11. 12. 13. part. 10. recen.* ac etiam
per ſimplices præſumptiones, quando
65 non agitur, prout in caſu, ad con-
demnandam, & pœna mulctandam
Mulierem proptèr inhoneſtatem *Bur-
ſatt. d. conſ. 69. num. 1., lib. 1. &
conſ. 445. num. 7. & ſeq. lib. 4. Cephal.
conſ. 140. num. 27. verſ. Solum lib. 1.
Vermigl. conſ. 396. num. 13.*

Atque hæc certa Juris regula eo
fortius locum ſibi vindicat in hypo-
theſi, quia Teſtibus de mala fama 66
deponentibus aſſiſtit valida præſumptio
veritatis, cum res ſit de vili, & pau-
pere Muliercula, & famulatui addi-
cta, habente Matrem de impudicitia
diffamatam, & Fratres miſerabiles,
ac de lenocinio, aliiſque prædictis de-
lictis notatos, in quibus terminis
quemadmodum lex ipſa dubitat de
ſimili genere perſonarum, cum adver-
ſus eas inſurgat præſumptio inhone-
ſtatis ob eorum vilem conditionem,
paupertatem, aliaſque malas quali-
tates, ita dicta Teſtium de illarum
mala fama deponentium ex ipſamet
Juris præſumptione adminiculata, &
roborata nullo modo elidi valent, &
ſic plenam inhoneſtatis Fœminæ pro-
bationem conſtituunt ad notata per
*Luc. de Penn. in leg. Quemadmodum
num. 9. Cod. de Agricol. Maſcard. de
probat. concluſ. 1067. num. 32. & ſeq.
tom. 2.* = ibi = *Item præſumitur de
inhoneſtate Mulieris &c. ut ſi pau-* 67
*percula ſit Mulier, quæ facile præ-
ſumitur ſui corporis copiam face-
re &c. Item ex eo, quod Matrem, vel
Patrem habuit incontinentem* = & pa-
riter *Cephal. conſ. 140. lib. 1. num. 30.*
ibi = *Non omitto, quod Antoniæ Ma-
ter fuerat inhoneſta &c. ut idem Hyp-
politus teſtificatur, ex qua re ſuſpicio
ſuboritur contra Antoniam, cum re-* 68
*ſpectu morum Filia præſumatur ſimilis
Matri &c. non enim poteſt mala arbor
bonos fructus facere* = item *Boſſ. tract.
variar. tit. de damn. n. 29.* = ibi = *Et
ob id, quod communitèr faciunt tales
Mulierculæ juxta ea, quæ latè ſupra
dixi ad probandam inhoneſtatem Mu-
lierum, & quæ poſſit Corn. in l. ſi
qua illuſtris, ubi dicit, quod Ancil-* 69
*læ, & Famulæ ſunt Meretrices, de-
ducendo tum ob mores ſuos &c.* = ac
innumeris cumulatis *Ricciardel. in
Lyc. Eccleſ. cap. 9. §. 1. num. 133.* =
ibi = *Unde concludebatur cum in-
fraſcriptis DD. tradentibus, quod lex
ipſa de ſimili genere perſonarum valde
dubitat, cum præſumptio inhoneſta-*

tis

70 *tis oriatur ex paupertate Mulieris, quia paupereula Mulier facilè in corpus suum peccare præsumitur* = & concordat *Piton. discept. Eccles.* 52. *num.*53. *&* 65.

Cum igitur ex præmissis constet tùm de fraude, & machinatione in extorquenda subscriptione prædictæ Apocæ, tùm de legitimis, & perurgentibus causis resiliendi à Sponsalibus, jure meritò Clericum ab illorum executione absolvere debuimus, quia cum tot justissimas habeat causas recusandi tam exosum, & indignum
71 Matrimonium, nullo sane pacto ad id cogi poterat *Cap. Ex literis* 10 ibique *DD. de Sponsal.* & pluries dixit *Rot.* & signanter *coram Coccin. decis.* 437. *num.*1. *& seqq.*, *& decis.* 19. *n.* 56. *part.*10. *recen. & decis.*979. *num.*3. cum aliis ibi congestis *coram Molines tom.*4. etiamsi minores, easque tres tantummodo causas habuisset, quas in proposito recenset *Piton.discept.*52. *num.*80. = ibi = *In præsenti tres concurrunt legitimæ causæ; Prima di-*
72 *sparitas divitiarum, & nobilitatis inter Virum, & Mulierem; secunda quia fuit deceptus in lætitia, & improvisa occasione ad faciendam promissionem, & hodie potius eligit mori, quam nubere; & tertia dissensus, & indignatio Patris, qui hujusmodi Nuptiis acerrimè restitit.*

Indubitantius quia, quatenus etiam Clericus de his omnibus maximis Fœminæ præjudiciis non ignarus, sed plene conscius, & informatus fuisset, & nihilominus spontè, advertenter, & quacumque cessante fraude, de futuro Conjugio dedisset eidem Mulierculæ fidem, & insuper unà simul cum ipsa enunciatæ Apocæ executionem postulasset, adhuc illius instantiæ nequaquam annuendum erat, attento expresso, ac rationabili, justissimoque dissensu Matris, aliorumque Consanguineorum, cum Filiifamilias sinè peccato insciis, vel invitis
73 Parentibus, minusque cum eorum, totiusque Familiæ injuria Matrimonium contrahere valeant, ut diximus in præcedentibus *Vot.I.II.III.IV.& V.*

Nec turbat objectum opponi solitum, quod Filius non in potestate Matris constitutus reperiatur, sed in potestate Patris, qui cum jam ex hac
vita migraverit, ideo Filius post ejus 74
obitum liber à Patria Potestate statim fuerit sui Juris effectus.

Siquidem juxta opinionem nonnullorum Juris Publici Interpretum præstantia sexus non efficit, ut Pater
potius, quam Mater Jus in prolem 75
acquirat, sed cum ex Matrimonio proles proveniat, in quam juxta antiquissimum imperii genus de Jure naturæ Patria Potestas est constituta, cujus vigore Parentum jussa venerari, eorumdemque præ se eminentiam liberi tenentur agnoscere, hoc proindè
oriri deducunt ex generatione, ad 76
quam cum Vir, & Uxor, seu Pater, & Mater unanimiter concurrant, originariè utrique simul in prolem jus quæri opinantur; quinimo ultra quoque progrediuntur existimantes, quod dominium in Infantem ad eum primo pertineat, qui eumdem primus in sua habuerit potestate, ideoque manifestum esse eum, qui modo nascitur,
prius esse in potestate Matris, quam 77
cujusvis alterius, addentes insuper quod si non nobiliorem, saltem magis laboriosam, & molestam operam ad prolis generationem Fœmina præ mare confert, quippè quæ eamdem intra corpus suum diù cum non levi
incommodo gestat, ex sua substantia 78
eo tempore alit, maximo cum dolore, mortisque periculo parit,& proindè majori, quam Pater, amore natam prolem ordinariò prosequitur *Quintilian. decla nat.*338.=ibi = *Alia est horum ratio, quos brevis transitus voluptatis fecit Parentes, quos liberis suis extra posita voluptates conciliant. Aliter amant quæ pepererunt, quæ memoriam decem Mensium, quæ tot periculorum, tot sollicitudinum recordationes afferunt* = undè illud *Medeæ* apud *Hennium* = ibi = *Ter sub armis malim vitam cernere, quam semel modò parere*=Quibus tamèn opponi posset, quod non ubique locorum singula hæc incommoda omnibus Fœminis sunt communia, nam *in re-*
gione Paria in America gravidæ Mu- 79
lieres absque omni dolore parere,nullam sentire debilitatem, statimque à par-

à partu ad consuetum opus redire di-
cuntur, *& Americus Vespuccius in*
Epistola ad Renatum Jerusalem, &
Siciliæ Regem, Lotharingiæ Ducem
in prima Navigatione Africana *Ann.*
1497. regionem observasse testatur,
80 in qua Fœminæ *levissimo, minimoque*
dolore pariant, ita ut in crastinum
alacres, sanatæque ubique ambulent,
ac post partum integræ, ac solidæ ap-
pareant, ac si nunquam peperissent.

Aliis vero ad titulum imperii in
humanam sobolem acquirendi solam
generationem sufficere non videtur, sed
potius id efficere educationem, cui ta-
81 men addunt, quod vel commodè ge-
neratio possit adjungi, quia onus edu-
candi est sequela generationis, &
utrumque finem ante oculos habere de-
bent, qui nuptias contrahunt, vel quod
educatio per se sola sit causa proxima
paternæ potestatis, & mutuorum inter
parentes, & liberos officiorum, unde
deducunt, quod ad effectum liberos
educandi, a natura Parentibus injun-
gatur, ut imperium utique in illos
exerceant, sinè qua potestate, & im-
82 perio nequaquam possent hanc educa-
tionem, & curam rectè exercere,
nèc liberorum actiones dirigere ad
eorum salutem, quam ipsi propter
judicii defectum nondum intelligunt;
hæc autem Parentum potestas ex in-
juncta sibi liberorum cura resultans
necessariò ponat in liberis obligatio-
83 nem submittendi se se Parentum di-
rectioni, eisque opportuno tempore
retribuendi, quia sine educatione
84 non bonos, sed malos, pravosque
mores acquisivissent *Plutarch. de edu-*
cat. liber. = ibi = *Fons, & radix*
probitatis est, decentem sortiri insti-
tutionem = ex ea ratione, quam affert
Isocrates in Areopagitica = ibi = *Nam*
85 *Homines malè institutos leges etiam ex-*
quisitissimas negligere audere, qui au-
tem rectè, & constantèr educati sint,
eos demum bonis legibus velle obtem-
perare = egregiè *Plato de republ.*
lib.6. = ibi = *Animi præstantissimo in-*
genio præditi, si malè fuerint educa-
86 *ti, pessimi fiunt. An putas nefanda*
scelera, & extremam nequitiam ex
ignara potius ingenio, quam generoso
educatione corrupta procedere? Imbe-
cillem verò naturam ingentium vel
bonorum, vel malorum quandoque
causam fore = nèc non *Horat. lib.4.*
Ode 4. = ibi = *Doctrina, sed vim*
promovet insitum, rectique cultus pe- 87
ctora roborant; utcumque defecere
mores, dedecorant benè nata culpæ.

Cum autem tàm a Patre, quàm
a Matre liberi educationem æqualiter
habeant, ex hoc inferunt, quod aut 88
æqualis sit eorum potestas in Filios,
aut illa in majori gradu in Matre,
quàm in Patre reperiatur, tùm quia
secundum Jus naturale sine legitimo
Matrimonio nati Matrem sequuntur 89
leg. Lex Naturæ 24. ff. de Stat. Ho-
min. = ibi = *Lex Naturæ hæc est, ut*
qui nascitur sinè legitimo Matrimonio,
Matrem sequatur = unde & *Jure Ro-*
mano constitutum est, ut qui extra
Matrimonium concipitur partus ven- 90
trem, seù Matrem sequatur, & æqua-
liter cum Filiis legitimis in Matris,
non autem Patris Hæreditate succe-
dat, quasi quod partus Matri magis
hæreat, quam Patri, proùt expressè
declarasse quoque videtur ea *Lex*
apud *Lycios* videlicèt = *Si qua inge-*
nua servo nupserit, liberi, qui ex his
suscipiuntur, ingenui, ac nobiles
existimantur. Sin autem Vir vel inter 91
Cives primarius Uxorem duxerit ex-
ternam, aut pellicem, suscepti ex his li-
beri putantur non ingenui = apud quos
etiam se de nominibus Matrum, non
Patrum appellabant *Herodotus Clio.*

Tùm quia major est cura Matris,
atque molestia, quæ primam præbet
in teneris annis, primisque diebus 92
nativitatis educationem puero ita
diurnis, nocturnisque horis inquieto,
ut eum *Plato de LL. L. VII.* vocet *in-*
tractabiliorem quavis bestia: ei Mater 93
propria ubera præbet, aut saltem præ-
bere debet *Plutarch. de Educat. liber.*
Favorin. apud *Gell. lib. 12. cap. 1. Hein-*
nec. lib. 2. §. 61. in Schol. etiam quatenus 94
opus per triennium *ad Text. in leg. Nèc*
Filium 9. ibique *gloss. verb. Trima Cod.*
de patr. potest. quemadmodum apud
Hebræos Infans ante triennium ab 95
uberibus non depellebatur *lib. 2. Ma-*
cab. cap. 7. vers. 27. Mater qua-
libet hora de eo sollicitudinem habet,
pro eo noctes ducit insomnes, eum 96
pri-

prima Deum colere docet , prima in ejus animum semina pietatis , & religionis insinuat , bonisque moribus imbuit , & sæpissimè illius educationem usque ad pubertatem , & etiam adolescentiam continuat , vel quia citò nimis remanet viduata Marito , vel quia Maritus satis munus suum adimplevisse arbitratur , si tota educationis sollicitudine relicta Matri , ipse in id tantummodo incumbat , ut Filium opibus abundantem relinquat , de cujus generis Patribus *Xenophon. Epist.*
97 *ad Catonem* inquit = *Qui Filiis de multis opibus prospiciunt , ut autem boni , aut egregii evadant , negligunt , simile quid agunt equos alentibus , quos belli disciplinam non docent , iis vero multum pabuli exhibent . Sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed rerum , quas præstare oportebat , imperitos* =

Utcumque autem se res habeat circa Patriæ Potestatis originem sivè a generatione , sivè ab educatione de Jure naturæ promanantem , certum
98 est , quod quamvis hæc a Jure Civili in Patre restricta fuerit , ut sit aliquis in Familia , qui uti caput eam gubernet , & ab eo tota Familia dependeat, ad quod gubernium a Jure magis aptus Masculus , quam Fœmina reputatur , cui ratione sexus ab honestate absque præcisa necessitate huc illuc vagari, aut cum omnibus indistinctè tractare non est permissum , nihilominùs illa radicalis potestas Matris in liberos sivè ex generatione, sivè ex educatione naturaliter promanans in ea residet vel inferior potestate Patris argumen-
99 to *Text. in leg. Furiosæ 4. ff. de Curat. Furios.* , dum enim ibi inæqualem dicit hanc Matris Potestatem *Ulpianus* , aliquam in Matre Potestatem agnoscere videtur ; vel æqualis cum Patris Potestate ex ea ratione potissimum , quod Patria Potestas in pie-
100 tate consistit *leg. Divus 5. ff. Ad leg. Pomp. de Parricid.* = ibi = *Nam Patria Potestas in pietate debet &c. consistere* = quæ in liberis tàm erga
101 Patrem , quàm erga Matrem inesse debet *leg. Congruentius 3. Cod. de Patr. Potest.* = ibi = *Præses Provinciæ &c.* REVERENTIAM DEBITAM *exhibere Matri Filios coget ; Et si provectam ad inclementiores injurias improbitatem deprehenderit , læsam pietatem severius vindicabit* = & quidem in æquali gradu *ad Text.* expressum 102
in d. Leg. Furiosæ 4. ff. de Curat. Furios.

Ex quo infertur , quod aut *naturalis* Potestas in Matre supra liberos est æqualis , nèc differt a Potesta- 103
te Paterna , & quemadmodum vigore hujus potestatis Filius ad ineundum Matrimonium Patris consensum expectare tenetur , ita & consensum Matris negligere proculdubiò non debet tàm vivo , quàm mortuo Patre , ideòque tàm *Jus Divinum* , quàm *Canonicum* , & *Civile* statuunt , quod 104
Filii Nuptias insciis , vel invitis justè non Patribus tantum , sed *Parentibus* contrahere nequeant .

Aut Materna potestas est minor Potestate Paterna , & nihilominus Fi- 105
lii vivente Patre , multòque magis post Patris obitum , reluctante Matre , Matrimonium cum Fœmina rationabiliter eidem invisa contrahere nullatenus valent , quia vivente Patre etiam in Matre liberi potestatem, etsi paterna minorem , agnoscunt , Patre verò defuncto potestas Patris in liberos Maternæ accrescitur potestati 106
Genes. cap. 21. vers. 21.

At in rei veritate , quod in proposito *naturalis* potestas Matris in liberos non sit minor potestate Paterna , sed potius æqualis , id , ut dixi- 107
mus, ex eo facilè desumitur, quod liberorum pietas tàm erga Patrem , quàm erga Matrem æqualis esse debet ad tramites præcitati *Text. in leg. Furiosæ 4. ff. de Curator. Furios.* = ibi = *Pietas enim Parentibus (etsi inæqualis est eorum Potestas)* ÆQUA *debebitur* = pietas enim societatis omnis est coagulum , nam ut benè *Grot.* 108
ad Decalog. sub 4. præcepto observat , *qui Parentes reveretur , amatque , is Fratres amat , ut iisdem ortos Parentibus ; alios propinquos ob Avos, Proavosque communes , undè tota illa fluit necessitudinum series , eademque antiquissima Civitatum , ac Pagorum origo* ; Ad quam æqualitatem circa pietatem in utrumque Genitorem ser-

vandam liberos obligat æqualitas be-
109 neficiorum, quæ ab utroque accepe-
runt *Aristotel. Nicom. VIII. cap.* 14.
= ibi = *Est amicitia Filii erga* PAREN-
TES *&c. tamquam erga bonum quod-
dam, atque excellent. Beneficia enim
maxima contulere, quippe cum sint in
causa, ut & sint, & enutriti, atque
educati fuerint, postea que in lucem
venerint*=breviter *Philo Judæus lib.*2.
Allegor. = ibi = *Ne* PARENTIBUS *qui-*
110 *dem dignam referre valemus gratiam,
quandoquidem non possumus eis gignen-
di vicem reddere*=egregiè *Quintilian.
Declamat.*5. = ibi = *In hunc te Divi-
norum, humanorumque conspectum de
nostra protulimus anima. Maria, ter-*
111 *rasque, & infatigabiles siderum cur-
sus, & cuncta sacro fulgore lucentia
nos, ut fruereris, ostendimus* =

Neque ab hac pietate servanda
in Parentes liberat Filios vel ætas
112 adulta, vel sublimitas officiorum,
vel etiam Dignitas Sacerdotalis, vel
emancipatio, quando enim Filius è
Familia Paterna excessit, Patriaque
Potestate solutus est, suique Juris in
omnibus effectus, manet attamen sem-
113 per pietatis, & observantiæ debitum,
cum non minus Filio sub Patria Pote-
state existenti, quam Filio sui Juris
vetitum sit dehonorare Parentes,
iisque injuriam, & ignominiam affer-
re, pietatis namque, & observantiæ
debitum erga Parentes est perpe-
tuum, quia perpetua est ejus causa
ex antegressis quippè Parentum me-
ritis orta *Plato de LL. L.*4. =ibi=*Pa-
rentibus fas est prima, & maxima
debita, omnium antiquissima debi-
torum, persolvere. Putare enim quis-
que debet omnia, quæ possidet, eorum
esse, qui genuerunt, & educarunt,
ita ut illis hæc omnia pro viribus
ministrare debeant; primum quidem
externa bona, deinde etiam corporis,
postremò quæ ad animum pertinent,
hæc omnia videlicet mutuo data per-
solvens, & pro curis, doloribusque
priscis Parentum in senecta recen-
tes redolent quando maximè indi-
gent. In verbis quin etiam* PER TO-
TAM VITAM *Parentes venerari maxi-
mè decet* =

Ex hoc autem pietatis debito
tàm in Patrem, quàm in Matrem
æqualiter ab omnibus inculcato, at-
que præscripto *a Jure Civili, Cano-
nico, Naturali, & Divino*, a quo
nunquam toto vitæ tempore solvun- 114
tur liberi, descendit illa obligatio
non ineundi Matrimonium, insciis,
vel invitis justè Parentibus, officium
namque pietatis, & reverentiæ re-
quirit, ut consilium Patris, & Ma-
tris in Matrimonio liberi adhibeant, 115
nèc ipsorum voluntati reluctentur,
ut *de Jure Civili* est *text. in l. Unic.*
§. *Et siquidem vers. Oportet Cod. de
rapt. Virgin.* = ibi = *Oportet enim,
ut quicumque Uxorem ducere volue-
rit sive ingenuam, sive libertinam
secundum nostras leges, & antiquam
consuetudinem* PARENTES, *vel alios,
quos* [illegible]*et, petat, ut cum eorum vo-
luntate fiat legitimum Conjugium* =
juncta *l. In conjunctione* 20. *Cod. de
Nupt.* = ibi = *In conjunctione Filia-
rum in sacris positarum, Patris ex-
pectetur arbitrium, sed si sui Juris
Puella sit intra quintum, & vigesi-
mum annum constituta, ipsius quo-
que assensus exploretur* = & immedia-
tè, nulla habita ratione de Patria Po-
testate ab ipso *Jure Civili* introdu-
cta, utpotè quæ lædere non valet
pietatis debitum, prosequitur = *Si
Patris auxilio destituta*, MATRIS, *&
Propinquorum, & ipsius quoque re-* 116
quiratur adultæ judicium &c. = de
Jure Canonico text. in *Cap. Videtur*
3. *Qui Matrim. accus. poss.* & notant
*Piton. discep. Eccles.*52. *sub num.*83.
Vessembec. in lib. 23. *ff. de rit. nupt.
tit.*2. §.4. = ibi = *De Jure Divino, &
ex præcepto Decalogi idem debetur
honos* MATRI, *qui Patri; & ideo* CA-
NONES *utrorumque Parentum consen-* 117
sum indistinctè requirunt = & demum
de Jure Naturali, & Divino id ha-
betur in IV. Decalogi præcepto =*Ho-
nora Patrem, &* MATREM = & sæpis-
simè in Sacris Literis quæ indistin-
ctim liberis obsequium erga Paren-
tes præcipiunt, & signanter *Apost. in
Epist. ad Ephes. cap.*6. *vers.*1. *&*2. *&
ad Colossen. cap.*3. *vers.*20., quod ex-
plicat benè *Catull. Carm.* 63. *In fin.*
= ibi = *Non equum est pugnare, Pa-
ter quoi tradidit ipse; ipse Pater cum
Ma-*

Matre, quibus parere necesse est. Virginitas non tota tua, ex parte Parentum est. Tertia pars Matri data, pars data tertia Patri; Tertia sola tua est, noli pugnare duobus &c. = tùm
118 quia tàm Patris, quàm Matris interest quales Generos, & Nurus, & Nepotes sortiantur, tùm quia non esset pietas, sed impietas Parentes cogere invitos ad accipiendum in Generum Virum improbum, vel inimicum, vel imparem, seu in Nurum Fœminam sibi invisam, vel vilem,
119 aut ignominiosam, multoque minus illos compellere ad eam in domo sua tollerandam.

Positi itaque in liberis erga Parentes pietatis æqualitate, quodque
120 propterea etiam vivente Patre, Matris quoque consilium, atque consensum in Nuptiis contrahendis adhibere debeant, non est utique dubitandum, quod fortius, defuncto Pa-
121 tre, ratione pietatis, quæ est perpetua, idem Matris consensus omninò sit necessarius, prout etiam probavimus in *Vot.II. num.62. & seqq. & Vot.IV. num.39. & seqq.* Cumque pietas reciproca sit inter Parentes, & liberos, ideò nec indignum licet inire sine peccato Matrimonium post obitum primæ Uxoris Patrisfamilias, contra quem urget pariter eadem ratio pietatis, quæ non patitur, quod
122 Pater afficiat ignominia, & dedecore Filios, ita ut ex illius impietate cogantur pellicem, seu alias indignam habere Novercam, quod & dicendum venit de Matre, quæ in sua Viduitate ad secundas Nuptias convolare voluerit.

Quinimò quando agitur, prout in hypothesi, de Matrimonio cum indigna contrahendo nèc Patris, nèc Matris, nèc respectivè Filiorum consensus sufficit, sed quia tale Matrimonium totam Familiam deturpat, idcircò, invitis cæteris Consanguineis, absque lethali pariter culpa
123 non solum a Filiisfamilias, sed nèc etiam ab iis, qui sunt sui Juris, non obstante Juramento, contrahi potest per ea, quæ late deduximus in præcedenti nostro *Vot.IV. n.92. & seqq.*; Quibus stantibus neque prædicta Sponsalia approbare, neque in illorum executionem Matrimonium cum sacrilegio contrahendum esse declarare potuimus, alias si Decretum de illo contrahendo a Nobis emanatum fuisset, cooperantes ita Contrahentium peccato, Nos quoque in eamdem gravem culpam incurrere debuisse plurium Theologorum, & Cano- 124
nistarum auctoritate firmavimus in *Vot. V. num.70. & seq.*

Quemadmodum autem prædicta Sponsalia, quæ sunt principale, sustineri, & adimpleri nequeunt, ita accessorium, pœna videlicet scutorum 500., quæ in eadem Sponsalium Apoca malitiosè, sed perperam, & ignoranter fuit adjecta, quatenùs Clericus datam fidem fregisset, cum sit famulativa ejusdem Sponsalium Contractus nèc sustineri, nèc exigi va- 125
let, ut in puncto docet *Gloss in Cap. Gemma 29. de Sponsal.*=ibi= *Unde non tenuerunt Sponsalia &c. ergo nec pœna*, ETIAMSI LICITA FUISSET *&c.*, *quia si principale non tenuit, nèc accessorium* = & notat *Piton.discept. Eccles. 52. num.5. & 6.* cum aliis ab eo laudatis.

Nequaquam obstantibus Juribus adductis a *Barbos. in. d. Cap. Gem-* 126
ma 29.num.8. de Sponsal. Reiffenstuel. in Jus Canonic. lib.4. Decretal. tit.1. §.2. a num.187. Layman. Theol. Moral. lib.5. tract.10. par.2. cap.1. n.8. Suarez tom.2. de Relig. lib.2. tit. de Juram. cap.23.num.5. Vasquez Opusc. de testament. cap.3. n.28. Castropal. Oper. Moral. tit. de Sponsal. disput.1. punct.9. n.3. Perez de Matrim. disp. 7. sect. 1. n.6. La Croix lib.6. par.3. num. 148. Pirhing. lib.4. tit.1. sect. 1. num. 33. vers. Extendunt, aliisque Juribus, quæ forsan in contrarium adduci possent.

Tales etenim auctoritates vel militant ad summum in casu, quo Sponsus ad pœnam obligatus absque ulla 127
causa, ac temere penitùs, & injustè a Sponsalibus resilire contendat, & simul agatur de pœna levi, & moderata contra injustè resilientem conventa, ut voluit *Mascat. Instit. Canonic. tom.2. lib.4. tit.1. de Sponsal. §.1. n.18.*, non autem quando, prout hic,

Sponsus justè Sponsalia rescindere
intendit, non solum videlicet ob Na-
talium disparitatem, sed maximè pro-
pter peccatum, attento Matris, alio-
rumque Consanguineorum dissensu,
128 nèc non propter inhonestatem Mulie-
ris tàm ante, quàm post contracta
Sponsalia ab ipsa manifestatam, quod
ei proculdubio ex hac causa facere li-
cèt tùm *ex pacto* expresso in Apoca,
in qua declaratum fuit tunc Sponsum
ad pœnam conventam teneri, cum
ex facto proprio, suorumque Dome-
sticorum, non autem cum ex culpa
Mulieris a Sponsalibus recedere co-
geretur, tùm etiam *de Jure*, quia
ob oscula, amplexus, aut tactus im-
pudicos a Sponsa liberè, & volunta-
129 riè admissos, justè Sponsus a Sponsali-
bus recedere valet ex Juribus jam al-
latis, utque declarant *Reiffenstuel. in
Jus Canonic. lib. 4. Decretal. tit. 1. §. 1.
n. 253. Pirhing. eod. tit. n. 61. Sanchez
de Matrim. lib. 1. disput. 55. n. 5. Lay-
man. Theol. Moral. lib. 3. tract. 10.
par. 1. cap. 2. n. 11. Sporer. tom. 3. par. 4.
cap. 1. sect. 2. de Sponsal. n. 273.*
Vel neutiquam sunt attendendæ
130 (quod est probabilius) tamquam di-
rectè cum Jure Canonico, & Civili
pugnantes *D. Antonin. 3. par. Summ.
Theolog. tit. 1. cap. 18. Tamburin. lib. 8.
de Matrim. tract. 3. cap. 1. § 3. Tanner.
tom. 4. disput. 8. quæst. 1. n. 44. Dica-
stillo disput. 1. dub. 26. n. 36. Beja par. 1.
cas. 1. Onnate de Contract. disput. 34.
n. 15. Tancred. lib. 1. distinct. 30. n. 1.
Aversa de Matrim. quæst. 8. sect. 9.
Sanchez eod. tract. lib. 1. disput. 30. n. 2.*
asserens sic omnes secum sentire *Rot.
dec. 142. n. 7. par. 15. recen.*
Idque regulare est, & in Jure
adeò certum, & indubitatum, ut
quoties stipulatio Contractus Sponsa-
lium in se contineat, & secum ferat
pœnale pactum, istud pro non appo-
sito habetur, utpotè ab utroque Jure
131 damnatum tamquam adversativum li-
bertati Matrimonii, quia coactionem
inducit, ut *de Jure Canonico* habe-
mus textum expressum in præcit. *Cap.
Gemma 29. de Sponsal.* = ibi = *Cum ita-
que* LIBERA MATRIMONIA ESSE DE-
BEANT, *& ideò talis stipulatio pro-
pter pœnæ interpositionem sit meritò
improbanda, mandamus quatenùs, si
ita est, eumdem B., ut ab extorsione
prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica
Censura compellas* = ubi communitèr
Canonistæ, & de Jure Civili est *text.
in l. Titia 134. ff. de verb. obligat.*
= ibi = *Respondit ex stipulatione, quæ* 132
*proponeretur, cum non secundum bo-
nos mores interposita sit, agenti exeu-
sationem doli mali obstaturam, quia
inhonestum visum est vinculo pœnæ
Matrimonia obstringi sive futura, sive
jam contracta* = & pariter in *l. Mul-
ler 5. in fin. Cod. de Sponsol.* = ibi =
Extra definitionem autem hujus le- 133
*gis, si cautio pœnam stipulationis con-
tinens fuerit interposita, ex utraque
parte nullas vires habebit, cum in
contrahendis nuptiis libera potestas
esse debeat* = rursus in *l. Libera 2. Cod.
de Inutilib. stipulat.* = ibi = *Libera
Matrimonia esse antiquitus placuit,
Ideòque pacta, ne liceret divertere,* 134
*non valere, & stipulationes, quibus
pœnæ irrogarentur ei, qui, quæve di-
vortium fecisset, ratas non haberi
constat* = late *Pirhing. in Jus Cano-
nic. tom. 4. tit. 1. sect. 1. de Sponsal.
§. 4. n. 22.* cum aliis quamplurimis cu-
mulatis per *Rot. in Tuden. Sponsa-
lium 21. Martii 1746. §. Hæc quoad
primam & seq., cor. R. P. D. Caprar.*
= ibi = *Quandoquidem ejusmodi stipu-
latio reipsa continens pactum pœnale
in subjecta materia viribus subsistere* 135
*nequit. Cum enim in contrahendis
Nuptiis libera debeat esse potestas, ut
ait text. in l. Muller &c. hujus pro-
pterea generis conventiones, utpotè
libertati Matrimonii, & sic bonis
moribus contrariæ, utroque Jure
damnantur, & irritantur, ne Ma-
trimonia, vel Sponsalia formidine im-
positæ pœnæ contrahi contingat, ut
respondit Paulus &c. Idemque severè
decernitur per Jus Canonicum, ut
patet ex Cap. Gemma &c. Si igitur
pœna inutiliter propter illius impro-
bitatem apposita dignoscitur in Apo-
ca, de qua agitur, ambigendum uti-
que non erat, quin Antonius immunis
ab ejus solutione esset reputandus* =
idque confirmavit etiam in *Colonien.
Sponsalium super pœna Imperialium
2000. 3. Martii 1752. §. Jure enim*

cor,

cor. R.P.D. Molino, *& in Firmana Restitutionis in integrum 9. Junii 1752. & 13. Febr. 1756. cor. R.P.D. Stadion.*

Similesque pœnales pactiones,
136 conventiones, & stipulationes tamquam turpes, quia appositæ contra legis dispositionem, ideòque nullius roboris, & efficaciæ *l. Generaliter 26. l. Si Plagii 123. ff. de Verb. obligat. l. Juris gentium 7.§. Si paciscar vers. Et generalitèr l. Si unus 27.§.Pacta, quæ turpem ff. de Pact.l.5. Cod. de legib.* nedum in exteriori foro, sed nèc
137 in interiori tenent, quamvis fuerint Juramento firmatæ, cum non liceat Jusjurandum servare præstitum ob rem a legibus Ecclesiasticis vetitam,
138 nèc sine peccato etiam veniali efficiendam *Sanchez de Matrim. lib. 1. disput.32. n.1. vers.Hoc tamen tam.1. Aversa de Matrim. quæst. 8. sect. 9. Pont. verb. Sponsalia num.56.* imò in hypothesi cum mortali peccato ob justam Matris, Fratrum, & Consan-
139 guineorum contradictionem, in quos etiam ignominia ex hujusmodi prætenso Matrimonio redundaret ex Juribus, de quibus in nostro *Vot. II. num.92. & seqq.*

Haud refragante, quod in dicta Sponsalium Apoca non legatur adjecta ulla *pœna conventionalis*, neque ulla facta expressio *pœnæ*, sed tan-
140 tummodo extiterit stipulata promissio, & obligatio Clerici solvendi Fœminæ scuta 500. in *augmentum idealis Dotis* a miserrimis illius Matre, & Fratribus constitutæ, & ideò hujusmodi stipulatio, uti non continens expressum pœnale pactum, irritari non possit.

Quandoquidem hoc objectum omninò prosternitur advertendo, quod licèt malitiosus Notarius quæsiverit eludere prælaudatam utriusque Juris Civilis, & Canonici dispositionem dolosè, & fraudolentèr obtegendo pœnam conventionalem ab utroque Jure
141 prohibitam sub specioso titulo augmenti Dotis alias a Jure non improbati, nihilominus adeo sagax esse non potuit, ut apertissimè simul non ostenderet hanc esse verè pœnam conventionalem, cum voluit, quod solvi deberet etiam in casu, quo Matrimonium ex culpa Clerici non effectuaretur, ut clarè pandunt verba ejusdem Apocæ = ibi = „ E per dare il Signo„ re Sposo una più chiara, sicura, e „ sincera riprova del distintissimo af„ fetto, stima, e particolar bene„ volenza, con cui ha riguardato, „ e riguarda la sudetta Signora Sua „ Sposa, per sua mera liberalità, e „ spontanea deliberazione promette, „ assegna, e costituisce alla mede„ ma la sopraddote, ò sia aumento „ di Dote in somma di scudi 500. da „ conseguirsi senza veruna eceezzio„ ne, contradizzione, e pretesto „ non solo in caso, che s' effettu asse „ il Matrimonio, ma ancorchè non „ sortisse PER COLPA però D'ESSO SI„ GNORE SPOSO, e de suoi Domestici, „ e Parenti „ =

Eo enim ipso, quod conventa pecuniæ quantitas solvi debet etiam Matrimonio non secuto, & quidem ex culpa Clerici promissoris, cœcus etiam videt, quod hæc est pœna conventionalis per promissorem solvendam, quoties ex illius culpa Matrimonium non habuerit effectum, non autem est amplius, ut fingebatur, augmentum Dotis, quod non secuto Matrimonio evanescit, quia causa obligationis solvendi Dotis augmentum, quæ 142
est ipsum futurum Matrimonium, eodem Matrimonio deficiente, reducitur ad non causam *Card. de Luc. de Dot. disc.1. num.9. Rot. in Albanen. Sponsalium 26. Junii 1711. §.Non relevante cor. Eminentissimo Scott.*

Sonitus igitur, & intelligentia præmissorum Apocæ verborum abundè suadent, & clarissimè ostendunt supradictum augmentum Dotis importare, & in se continere palliatum pœnale pactum, dum volita fuit il- 143
lius solutio non solum, si futurum Matrimonium optatum a Fœmina habuisset effectum, verum etiam contra naturam ipsius augmenti Dotis, quatenus scilicet *ex culpa Sponsi* minimè celebratum fuisset = ibi = *Ancorchè non sortisse per colpa però d'esso Signore Sposo* = Si itaque in promissione dicti augmenti Dotis contemplata fuit effectuatio Matrimonii, eoque non secuto

cuto ex causa, & renitentia Sponsi, adhuc illius solutio conventa, & volita fuit, res clara evadit, quod causa, & origo promissionis ejusdem augmenti, & stipulationis illius solutionis ea fuit, ut si optatum a Fœmina Matrimonium ipsa deinde assequi non potuisset, prout ob suam vilem conditionem, & inhonestatem assequi non posse, hujusmodi inani tamen cautela se dubitare apertissimè demonstravit, illius vice Sponsus dictam summam scutorum 500. amittere, eamque, ob violatam fidem Sponsæ datam solvere deberet, & consequenter in-
144 negabile redditur, quod stipulatio solutionis ipsius augmenti Dotis continet pœnale pactum, quod nullam promereri potest executionem, uti ab utroque Jure improbatum, & pro nullo, & irrito habitum; causa enim, & origo cujuslibet dispositionis contractus, vel obligationis semper in-
145 spici debet ad effectum illam interpretandi juxta *Text. in leg. Qui id 34. ff. de Donation.* = ibi = *Causam, & originem constitutæ pecuniæ, non Judicii potestatem prævalere placuit* = benè *Cravett. in respons. 1. pro Genero num. 36. 44. & 83.*, & in hisce nostris terminis *Mandel. Alban. cons. 77. num. 28.*, *& seq.* = ibi = *Propterea cum tale Matrimonium postea non habuerit effectum, videntur esse revocanda ea, quæ data, & promissa sunt ea contemplatione &c. & vulgare est, quod inspici debet semper origo, & causa dispositionis, ut ait Textus &c. & inspiciendum qua contemplatione actus fiat &c., & cessante causa, & deficiente conditione debet cessare effectus, & debet repeti, quod datum est &c.* = & infra *num. 22.* = ibi = *Posset etiam tentari aliud fundamentum videlicet, quod supradictæ omnes dispositiones censeantur factæ, tamquam in pœnam, ut Sponsalia servarentur, quia manifestæ promissiones pœnales tali casu non valent de jure l. Titia &c. Cap. Gemma &c. ideoque tales dispositiones tamquam factæ in fraudem legis debent annullari leg. Ita fidei &c. & dicunt DD. in dicta leg. Titia, quod omnis promissio verisimiliter tendens ad hunc finem, ut Sponsalia serventur, quamvis velata sit, debet rejici, ut ibi post alios Jason. &c.* = & in terminis generalibus dixit *Rot. dec. 19. num. 21. part. 19. tom. 1. recen.*

Minus obstat, quod eadem augmenti Dotis promissio fuerit pro majori illius firmitate in posteriori parte ejusdem Apocæ confirmata cum diverso titulo *Donationis irrevocabilis inter vivos*; Quamvis enim Notarius prædictus totus intentus ad decipiendum Clericum, & ad ideandos varios modos, & titulos ad defraudandum finem legis, omnem ejus malitiosam adhibuerit operam apponendo in sæpedicta Apoca cautelas, & formulas insolitas, & pacta præter morem similium Apocarum, & præcipuè prætextum etiam Donationis, & quidem in Capitulo separato, & finali ejusdem Apocæ ab ipso summa fraude, & dolo extensæ, ut jam præmisimus, quod sanè præsefert, inducit, & aggravat machinationem, & dolum tùm ejusdem Notarii, tùm Fœminæ, ejusque adhærentium, redditque dictam Apocam nullam, & invalidam *Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 20. num. 20. Barbos. Vot. 68. num. 48. lib. 2. Rot. decis. 652. num. 4. part. 19. rec.* 146 147

Attamen illius malitia, & calliditas eo usque se protendere non valuit, ut obtegere potuerit maximam natalium disparitatem, & notoriam inhonestatem Mulieris, propter quam disparitatem, & inhonestatem, & propterea *ex culpa* ipsius Mulieris Matrimonium habere non potest effectum, quo casu, & augmentum Dotis, & Donatio, quatenus etiam valida fuisset, *ex pacto expresso* corruere deberet, multoque minus eo usque se protendere valuit, ut cessante quoque natalium disparitate, & inhonestate Mulieris, evertere potuerit prædictam Juris utriusque Canonici, & Civilis dispositionem, quorum causa finalis fuit, & est tollere in Sponsalibus quodcumque pactum inducens *coactionem*, per quod vulnerata esse possit Matrimonii libertas juxta distinctionem, de qua *in Vot. I. num. 169. & seqq.*, itaut nèc unus, nèc alter Sponsus unquam compelli possit timore pœnæ pecuniariæ, 148 149

seu

seù amissionis pecuniæ ad ineundum *coactè* certum aliquod, & particulare, seù speciale Matrimonium, ne pœnam pecuniariam subeat, aut pecuniam amittat, vel solvere debeat, quemadmodum prædictam causam finalem legis pro veritate consideranti patet, in quibus angustiis reperiretur profectò Clericus, si indebitè co-
150 geretur ad servandam Donationem subdolè in Apoca per Notarium ita conceptam = ibi = „ E perchè incer„ ta, è la vita dell' Uomo, nè mai è „ sicuro di giungere alla meta de'suoi „ disegni, perciò, affinchè la mede„ sima meglio concepisca quanto è „ l'amore, che il Signore Sposo le „ porta, si dichiara, che in caso, „ che Egli a lei premorisse prima di „ contrarre con essa il Matrimo„ nio, intende di donare, sicco„ me ora per allora dona con dona„ zione irrevocabile, che dicesi *in*„ *ter vivos*, i suddetti scudi 500. al„ l'istessa da esigergli, e pagarsegli „ da suoi Eredi quindici giorni dopo „ la sua morte senza veruna eccez„ zione, acciocchè veramente si co„ nosca quanto ardentemente, e con „ sua piena volontà siasi Il Signore „ Sposo risoluto di contrarre colla Si„ gnora Sposa il futuro Matrimonio=

Ultraquamquod, si foret etiam attendenda promissio hujus augmenti Dotis, hujusque illicitæ, & invalidæ
151 Donationis, per quam promissoris voluntas ita ligata remanet, ut nèc possit aliam Uxorem ducere, alias incidat in pœnam solutionis dicti augmenti Dotis, nèc manere valeat in Cœlibatu, alioquin illius hæreditas pœnali debito solvendæ Donationis obstricta remaneat, sicuti insuper ista Donatio restringitur ad eum tantum casum, & eventum, quo Clericus prædecessisset Fœminæ ante celebratum Matrimonium, ita absque ulla hæsitatione incongrua, & impertinens foret petitio illius præsentis executionis, cum enim adhuc purificata non sit conditio, sub qua concepta fuit, & ad quam coarctatur ipsa donatio, ad obitum nempè Clerici, dum ille
152 adhuc inter mortales existit, nulla in præsenti esset exercibilis actio pro consecutione prætensorum scut. 500. quia trita est juris regula, quod obligatus sub conditione ad nihilum tenetur, nisi conditione purificata *leg. Item quia* 4. *ff. de pact. leg. Cedere* 153
diem 213. *ff. de verb. significat. Rot. coram Lancett. decis.*7. *num.*3. *tom.*1. *& coram Molines decis.*641. *num.*16. *tom.*2., & ferè in puncto eadem *Rot. in Tuden. Sponsalium* 20. *Junii* 1746. §.*Replicatione cor. R.P.D. Caprara*.

Hæc autem adhæsivè ad hujusce casus circumstantias, & ad abundatiorem prænotanda esse duximus; Cæterum extra quoque similes circumstantias certissimum est, quod si ratione libertatis Matrimonii quodlibet pœnale pactum, seù pœna conventionalis inducens coactionem a lege prohibetur, ex eadem ratione qualibet alia pactio, quocumque titulo cohonestetur, dummodò sit im- 154
peditiva libertatis Matrimonii, & coactionem inducat, eadem lege æqualiter prohibita censeri debet ex vulgata Juris nostri regula, quod ubi militat eadem ratio, ibi quoque militare debet eadem Juris dispositio 155
leg. Illud 32. *ff. Ad legem Aquil. Surd. cons.* 301. *num.* 19. *Cephal. cons.* 1. *num.*33. *Rot. decis.*369. *n.*3. *part.*14. *recen.* undè cum obligatio prædicta solvendi scuta 500. sive sit expresè distincta cum proprio nomine pœnæ, sivè palliata cum nomine augmenti Dotis, sive velata, & colorata cum titulo Donationis semper oriatur in proposito a conventione adversante libertati Matrimonii, cujus generis conventiones in quorumcumque Sponsalium stipulatione ab utroque Jure irritantur, atque damnantur, nullo 156
idcircò prorsus modò substineri potest, ut præter punctuales auctoritates supra laudatas pluribus collectis firmavit *Rot. in Colonien. Sponsalium super pœna Imperialium* 2000. 3. *Martii* 1752. §. *Jure enim coram R. P. D. Molino* = ibi = *Explorati, & absoluti Juris est, quod Matrimonia sivè futura, sivè jam contracta nullo vinculo pœnæ obstringi possunt, & quævis pœna pecuniaria sivè conventionalis, sivè ab Homine, ac Judice inflicta ob spretam fidem, aut ob re-*

cessum

cessum à futuris Sponsalibus etiam juratis propter favorem libertatis Matrimonii, neutiquam sustinetur =

Constabilito igitur, quod promissio, & obligatio solvendi dicta scuta 500. in augmentum Dotis, & præmemorata Donatio evidentissimè respiciant præcisam coactionem contrahendi futurum Matrimonium sub expressa promissione solvendi enunciatam summam, quatenus ex causa Promissoris non contrahatur, vel recedendo a Sponsalibus, vel permanendo in cœlibatu usque ad obitum, & propterea contineant conventiones libertati Matrimonii totaliter oppositas, quia in utroque casu cogunt Promissorem ad contrahendum certum Matrimonium, ne dictæ pœnæ subjaceat, etiamsi eadem promissio, obligatio, & donatio non legantur, neque appareant sub proprio nomine pœnæ, sed ad eludendam legis dispositionem sub emendicato titulo aug-

157 menti Dotis, seù Donationis, aut Sponsalitiæ largitatis, quia in rei veritate sunt pœna compellens ad certas speciales nuptias, licet alio vocabulo malitiosè palliata, a jure proinde remanent irritatæ, & omnimodè improbatæ, quia pro earum irritatione, & damnatione non habetur respectus ad titulum sub quo solutio pactionata extitit, sed solummodo ad impedimentum, quod præstant libertati Matrimonii, & sic ullam habere nequeunt

158 executionem, ut in hisce præcisis terminis firmavit *Rot. in Tuden. Sponsalium* 20. *Junii* 1746. §. *Exclusa*, *&* *seq.*, *cor. R. P. D. Caprara* = ibi = *Quia conventiones hujusmodi libertati Matrimonii adversantes damnantur, & irritantur, & doli mali exceptione refelluntur tùm Jure Civili &c. tùm in Jure Canonico &c. Replicatione non attenta, quod sponsio Ducatorum* 3000. *non quidem nomine pœnæ, sed titulo Dotis fuerit per Antonium emissa; Ultra quod enim unus Dominorum advertebat, quod Antonius Ducat.* 3000. *se soluturum spopondit*, SI DATAM FIDEM FREGISSET, ET SIC NOMINE POENE, *solumque addidit* = *&* *quatenus Statum Eccesiasticum assumere vellem, eidem Puellæ dari debeat Dos &c.* = *unde inferebat, quod si Antonius statum Ecclesiasticum nondum assumpsit, extranea erat ex hoc capite Dotis petitio &c. Urgebat præterea, quod Textus Civiles, & Canonici, & DD. omnes in Decisione, quæ revidetur, allegati non respiciunt ad titulum, sub quo solutio conventa fuit, sed unicè hasce conventiones improbant ratione impedimenti, quod præstant libertati Matrimonii; Undè cum ratio semper sit eadem, distinctio inter Sponsionem pœnæ in genere, & ejusdem pœnæ promissionem nomine Dotis, nil utique concludit, nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus &c. imo cum rationis identitas utrique casui adamussim conveniat, idem Jus, eademque lex in utroque casu est utique statuenda* =

Et ita &c. Utraque &c.

ANONYMA SPONSALIUM CUM SUBSEQUENTI STUPRO.

ARGUMENTUM

Prohibetur Filiusfamilias contrahere Matrimonium cum Fœmina sub jurata promissione Matrimonii ab ipso stuprata, quando ex Matrimonio resultat infamia, & deturpatio propriæ Familiæ, ac Consanguineorum.

SUMMARIUM

1 *Xystus V. pro Lenocinii delicto pœnam mortis imposuit.*

2 *Quæ de consuetudine in pœnam extraordinariam Triremium, vel Fustigationis, & Exilii commutatur.*

3 *Hinc viles Genitores lenocinio Nobiles Adolescentes ad suarum Filiarum amorem alliciunt, eos invitant, in propriam Domum introducunt, & cum Filiabus etiam secretò sermocinari permittunt.*

4 *Quæ post tactus, amplexus, & oscula sub jurata fide futuri Conjugii se carnaliter cognosci patiuntur.*

5 *Et*

5 *Et deinde Matrimonium contra assertum Defloratorem maxima expostulant audacia.*

6 *Et si id obtiveant, alii pauperes, vilesque Genitores ad proprias Filias ita nobilitandas excitantur.*

7 *Facti series*, & num. seqq.

8 *Ea venustate, per quam modestæ Fœminæ absque alia Dote assocuntur Maritum, aliæ impudentissimæ potius ad se prostituendas abutuntur.*

27 *Habita Stupri querela, & probata familiaritate, Deflorator carceratur ratione delicti, multoque magis, si antea habuerat præceptum de non conversando.*

28 *Pœna Stupri violenti de Jure Civili est pœna mortis.*

29 *Lex Julia nullum discrimen facit inter Stuprum, & Adulterium.*

30 *Adulterium tamen in nuptam, Stuprum vero in virginem, Viduamque committitur, quod Græci corruptionem appellant.*

31 *Ex eodem Jure Romanorum non in omnes virgines, sed tantum in honestas Stuprum committitur.*

32 *Ex ipso Jure cum Ancilla, cum Libertina, cum ingenua obscuro loco nata, vel cum ea, quæ quæstum corpore fecit, non committitur Stuprum, sed Concubinatum.*

33 *Vilis Persona dicitur ludionis, lenonis, & arenarii filia.*

34 *Ex eodem Jure cum vili Fœmina nupta non committebatur Adulterium, nec Stuprum, si erat innupta.*

35 *Pœna Stupri non violenti ex eodem Jure, quoad Stupratorem honestum, erat publicatio dimidiæ partis bonorum, quoad humilem vero coercitio corporis cum relegatione;*

36 *Præter alias extraordinarias pœnas.*

37 *Gravius puniebatur persuasio, quam violentia, & quare?*

38 *Aliæ pœnæ de Jure Cæsareo pro Stupro infligendæ remissive.*

39 *Hodie in quacumque virgine, vel honesta Vidua Stuprum committitur.*

40 *Stuprator obligatur ad solvendam Dotem Stupratæ, & subeundam pœnam.*

41 *In veteri lege Stuprator Stupratam desponsare, eamque dotare tenebatur.*

42 *Verbum Hebraicum* = maher = *hoc est* = festinare = *habet etiam dotandi significatum.*

43 *Antiquiùs tàm apud Hebreos, quàm apud cæteras Gentes Mariti dotabant Uxores.*

44 *Patris Hebrei ea erat potestas, ut à Conjugio Filiæ sivè virginis, sivè defloratæ dissentire posset.*

45 *Ecclesia præcepit Stupratorem aut Stupratam ducere, aut in Monasterium detrudi ad peragendam pœnitentiam.*

46 *Hodie Stuprator tenetur vel Stupratam desponsare, vel eam dotare ad suam electionem.*

47 *Quæ alternativa recepta est in omnibus Tribunalibus Ecclesiasticis, & Laicalibus Italiæ.*

48 *Item Germaniæ.*

Et in terris Electoratus Saxonici. ibid.

49 *Et pariter Galliæ.*

50 *Nec non Hispaniæ.*

51 *Non omnibus tamen casibus hæc alternativa, seu regula aptari potest.*

52 *Dantur diversæ species Puellarum, quæ innuptæ se carnalitèr cognosci patiuntur.*

53 *Prima est earum Puellarum, quæ ex rusticis Parentibus ortæ a teneris annis a Genitoribus ad custodiendum gregem per arva mittuntur.*

54 *Istæ honestiores reperiuntur in praxi, quam illæ, quæ in Oppidis, seu Civitatibus educantur.*

55 *Si aliqua ex eis Stuprum subeat, est commiseranda, & quare?* num. 56. 57.

56 *Stuprator condemnatur ad dotandum, vel nubendum, si Stuprata præcedentèr fuerit honesta.*

59 *Si copulæ promissio Matrimonialis accesserit, Stuprator condemnatur absolutè ad nubendum.*

60 *Promissio Matrimonialis tamen est plenè, concludentèr, & rigorosissimè probanda.*

irritum, ac invalidum esset Matrimonium.

108 *Judex compellere tantum potest ad Matrimonium stuprantem, quem videt in sua simplicitate titubantem.*

109 *Matrimonia coactè contracta funestos semper sortiuntur effectus.*

110 *Ecclesia abstinet a coactione quamvis indubitata intercesserint Sponsalia, & primævam Sponsis libertatem restituit, quando timentur scandala, ac mala probabilitèr contingibilia*, & n. seqq.

112 *Sponsalia rationabili concurrente causa dissolvi possunt.*

113 *Quamvis fuerint juramento firmata.*

114 *Multoque magis, si non fuerint jurata.*

116 *Alterius speciei Fœminarum sunt Ancillæ, quarum aliqua innupta, & a suo Domino seducta, Stuprum passa fuit.*

117 *Hæc commiseranda videtur, & illius Dominus ad ei Dotem persolvendam est condemnandus.*

118 *Dos stupratæ debita quomodo taxanda.*

119 *Dos debetur probato corpore delicti in genere, & in specie.*

120 *In Crimine Stupri probatum remanet Corpus delicti in genere vel ex prægnantia Stupratæ, & subsecuto partu, vel recognitione Claustri virginalis per Obstetrices facienda.*

121 *Hæc recognitio ut plurimum est fallax.*

122 *Tota Medicorum ars est undique fallax, & periculosa.*

123 *Ancillæ præsumuntur faciles ad meretricandum.*

124 *Si fuerint carnalitèr cognitæ, debent probare præcedentem honestatem cum attestatione Parochi, aliorumque Testium.*

125 *Qui reddere debent opportunam scientiæ causam, & non genericè deponere.*

126 *Sed Parocho potissimum semper est deferendum, & quare?*

127 *Nemo est tàm infelix in loco, ubi habitat, ut non habeat aliquos testes de illius bona fama deponentes, & quare?*

128 *Tertia species est earum Puellarum, quæ in Oppido, vel Civitate honestè educatæ, honestèque viventes ab aliquo Juvene desflorantur.*

129 *Quibus, si fuerint verè seductæ, vel Matrimonium, si promissæ præcesserit, vel Dos, aut Matrimonium a Stuprante debetur.*

130 *An hujusmodi Puellæ præsumantur seductæ.*

131 *Quarta species est earum Puellarum, quæ in Oppido, vel Civitate natæ huc illuc vagantur, Viros allocuntur, & tactus admittunt.*

132 *Quibus, si aliquem de Stupro accusent, nèc Dos, nèc Matrimonium debetur, quia non sunt honestæ.*

133 *Filia Jacobi Patriarchæ foris deambulans, & circumvagans pudicitiæ cingulo spoliatur.*

134 *Solus tactus libentèr admissus Mulierem reddit inhonestam.*

135 *Hæ Mulieres sunt veræ Meretrices, ideòque fustigandæ, & in exilium mittendæ.*

136 *Aut ne Meretricium exercere valeant, in pœnam Carceris usque ad senectutem condemnari debent.*

137 *Quintæ speciei est Puella in Oppido, seu Civitate nata, cujus Genitores Adolescentem æqualis Conditionis in propriam domum introducunt, ut impudico Filiam amore prosequatur.*

138 *Ad quem effectum Mater Filiam ornat, & nonnunquam pigmentis, seu picturis fucat.*

139 *Illumque tàm ea præsente, quàm absente cum Filia tractare permittit.*

140 *Si dicta Filia cum aliis Viris ante liberè tractare consueverat, ex hac inverecunda posteriori conversatione oritur suspicio, quod ante fuerit ab alio corrupta.*

141 *Quemadmodum huic ultimo se fœdandam offert.*

142 *Istæ Puellæ pudore virginali sunt destitutæ.*

143 *Contra illas procedendum esset cum antiquo Canonum rigore, qui nulli sinebant nubere viro Fœminam*

minam ab aliquo Viro corruptam, & num. 146.

144 *Aliquando tamèn permissum fuit inter Stupratorem, & Stupratam Conjugium, sed post annualem pœnitentiam*.

145 *Hujusmodi rigor vigebat adhuc XI. labente Sæculo*.

146 *Modo severitas Canonum est adhibenda, modo indulgentia est exercenda in eos, quibus oportet impendi pro opportunitate locorum, & temporum*.

147 *Crescente malitia, pœnæ debent exasperari*.

148 *Quare Sacri Canones Dotem, & Conjugium ut supra interdixerint*.

149 *Sibi imputare debent Genitores, si Juvenem quæsierunt, invitarunt, in domum introduxerunt, simulque cum Filia confidenter tractare permiserunt, donec illam stupraverit*.

150 *Parentes non debent paleam igni approximare, si exoriri nolunt incendium*.

151 *Hodiè ferè nulla Puella vere seducta præsumi potest*, & n.234.

152 *Sibi imputare debet Puella Stuprata, si remaneat sinè Conjugio, & sinè Dote, quando ipsa Stuprantem seduxit*, & n.247.248.

153 *Quia a proprio Crimine præmium reportare non debet*.

154 *Deflorator in foro tàm interno, quàm externo nèc dotare, nèc desponsare tenetur Puellam, quæ sine vi, fraude, vel metu consensit in Stuprum*.

155 *Volenti, & consentienti nulla fit injuria*.

156 *Puella Stuprata ab Adolescente æqualis conditionis, cujus Genitores illum, licèt non invitatum, in Domum die, noctuque recipere, & cum ipsa Puella Familiariter tractare permiserunt, neque Dotem, neque Conjugium meretur*.

158 *Sextæ speciei est Puella, quæ licèt sit infimæ conditionis, adhuc Nobili Juveni se prostituit coadjuvantibus Genitoribus*.

159 *Quæ pariter non fuit seducta, sed ab ipsa, ejusque Matre Juvenis seductus fuit, & quomodo*, & num. seqq.

160 *Post tactus, amplexus, & oscula inter Puellam, & Juvenem nonnisi subsequens copula expectari potest*.

163 *Matrimonii Sacramentum fœdissimi Stupri pretium esse non debet*.

164 *Hisce Fœminis nèc Dos, nèc Matrimonium à Deflorante debetur*.

166 *Quando fictus promissor æquiparetur vero, ita ut Puellam à se defloratam desponsare teneatur*.

167 *Per promissionem Matrimonialem una cum Stupro vir cogendus est ad servandam fidem*.

168 *Cogere Defloratorem nobilem ad desponsandam Mulierculam, idem est ac meliorare defloratæ conditionem in præmium peccati, eidemque ansam præbere, ne se peccasse pœniteat*.

169 *Vir Nobilis, qui defloravit Mulierculam sub promissione Matrimonii cogi non potest ad illam ducendam, dum Parentes dissentiunt, & quare*, & num. seqq.

Limita si ex Matrimonio damnum eveniat tantummodo Defloratori, & fuerit prævisum, n.185.187.

193 *Alias non tenetur, etiamsi illius promissio fuerit Juramento firmata*, & num. seqq.

204 *Licèt Mulier prævlis Sponsalibus fuerit à Promissore violata, pluribus deindè annis cum illo versata, & plures ex concubitu conceperit, & pepererit Filios, tamen Deflorator non est cogendus ad illam desponsandam, si timeatur malus exitus*.

205 *Incautæ Mulierculæ, earumque Parentes falsò sibi suadent, quod Sponsalia per fas, aut nefas contracta accedente Stupro, revocari non possint*.

206 *Non subsistit, quod Mulierculæ Stuprum sinè Matrimonio fit malum irreparabile*.

207 *Quia reparatur Dote*.

208 *Proptèr subsequentem Sponsæ defloratæ fornicationem Deflorator non tenetur eam ducere*.

209 *Item*

209 *Item propter gravem indignationem Defloratoris Parentum, & Consanguineorum, & Sponsi aversionem in Sponsam, scandalum, & infelicis exitus timorem*, & num.212.217.218.221.

210 *Quibus stantibus non debet Deflorator ad Matrimonium compelli non obstante promissione, Sponsalibus, Juramenta, & Stupro*, & num.222.

211 *Imo Deflorator paratus ad Matrimonium poterit à Judice ex Officio inhiberi ne contrahat*, & num.214.215.

213 *Declaratur verbum illud* = poterit =

216 *Constitutio Synodalis, per quam irrita declarantur Sponsal'a Clandestina, est licita, & honesta.*

217 *Edictum Emi, & Rmi D. Card. Guadagni Urbis Vicarii, in quo absolvitur Deflorator à contrahendo Matrimonio cum Deflorata sub promissione Matrimonii, si propter inæqualitatem conditionis oriretur grave Scandalum, aut Consanguineis Deflorantis ignominia.*

220 *Quæ procedunt sivè promissio sit vera, sivè sit simulata.*

223 *Non semel, aut in aliquibus casibus, sed perpetuo, & in quocumque casu Virtus Justitiæ nequit quemquam cogere, ut impleat opus, quod sinè scandalo, peccato, & contemptu Divini, & Ecclesiastici præcepti adimpleri non potest.*

224 *Obstrictus Voto simplicis Castitatis, aut ingrediendi Religionem, si Virginem data fide Matrimonii corruperit, non potest eam desponsare*, & num.228.

225 *Maximè si Mulieri Votum Viri non erat ignotum.*

226 *Qui nuda Sponsalia cum una Puella contraxit, si deindè cum altera, contractis novis Sponsalibus, hanc violet, non huic, sed priori Sponsæ fidem reddere tenetur*, & num.228.

227 *Nemo unquam ad opus illicitum sivè ex justitia, sivè ex damno illato, sivè ex alia quacumque causa compelli potest.*

229 *Ad opus illicitum compelleretur Deflorator Fœminę cum promissione Matrimonii, si non obstante disparitate, ad illam desponsandam cogeretur, & quare?*

230 *Non debet Promissor servare fidem sivè simplicem, sivè juratam, sivè cum Stupro conjunctam Puellæ datam, contrahendo cum illa sacrilegè Matrimonium.*

231 *Judex in hisce casibus naturalem æquitatem ante oculos habere debet.*

232 *Quid Judex in hisce casibus examinare debeat circa Stupratam, ejusque Parentes pro concedendo, vèl deneganda Conjugio*, & num. seqq.

236 *Nèc non circa Parentes, & Consanguineos Deflorantis*, & num. seqq.

240 *Reipublicæ multum interest, ut nobilium Familiarum decus servetur.*

244 *Inhonesta rèputatur Mulier permittens nudi pectoris tactus.*

245 *Maximè si introducat Juvenem in propriam Domum hora nocturna, & intempestiva.*

249 *Puella, ejusque Genitores, qui Juvenes alliciunt ad copulam, puniri debent*, & num.252.254.258.259.

250 *Tàm de Jure Civili, quàm Canonica.*

251 *Et ex prædicto Edicto Emi Cardinalis Guadagni Urbis Vicarii.*

253 *Tàm Masculus, quàm Fœmina prò Stupro puniri debent*, & num.258.

255 *Gravitèr plecti debent Sponsi, qui antè Matrimonium carnali copula se commiscent, licèt legitima sint Sponsalia.*

256 *Fortiùs puniendæ sunt humiles Puellæ, quæ indigna Sponsalia cum Juvene superioris conditionis contrahunt cum pacto subsequentis Stupri.*

257 *Sunt hujusmodi Puellæ ruina Juventutis, & ex indulgentia Judicum audent faciliùs talia per-*

perpetrare delicta in Urbibus Italiæ, & Hollandiæ.

260 *Dotanda minimè sunt.*

261 *Quid resolutum fuerit in casu circa Dotem.*

262 *In aliquibus locis Viri humiles infamiam ex Connubiis resultantem non perhorrescunt.*

263 *Qua pœna mulctati fuerunt Deflorator, & Deflorata in casu*, & num. seq.

264 *Quomodo provisum fuerit circa Defloratam in futurum.*

VOTUM VII.



IXTUS V., cujus in æternum memorabile nomen, pro gravissimo
Lenocinii delicto pœnam mortis naturalis
imposuit per suam *Con-*
1 *stitutionem* particularem incipien. =
Ad compescenda = quæ est *Constit.* 46.
in Bullar. pag. 421. , sed quia, non
obstante hac sanctissima lege sivè pro
Urbe, ejusque Districtu, sivè pro toto Statu Pontificio emanata, talis pœna Ordinaria, quemadmodum ante
publicationem *Edicti* Emi, & Rmi DD.
Cardinalis Guadagni Urbis Vicarii
jussu s. m. CLEMENT. XII. *sub die* 13.
Septembr. 1736. emanati, de con-
2 suetudine in pœnam *extraordinariam*
Triremium, vel Fustigationis, & Exilii commutabatur *Farinacc. quæst.* 144.
§. *Pœna Lenocinii num.* 7. & 8. *Clar.
in prax.* §. *fin. quæst.* 68. *num.* 24. *Menoch. de Arbitr. cap.* 534. *num.* 45.
centur. 6. ita eo publicato, quamvis
in illo prædicta XISTI *Constitutio*, &
altera PAULI IV. fuerint expresse innovata, ut apertè legitur in eodem
Edicto, & advertit eruditissimus *P.
Ubald. Giraldi Scholar. Piar. ad Thesaur. de pœn. Eccles. par.* 2. *verb. Lenocinium cap.* 1. *vers. Nota VI.* nihilominus eadem pœnæ commutatio in
Laicis Tribunalibus indistinctè continuatur, & quia etiam sæpissimè nimia
Judicum indulgentia penitus impuniti
delinquentes evadunt, hinc evenit,
ut notat etiam *Piton, Discept. Eccles.* 52. *num.* 53., quod Genitores
Puellarum infimæ conditionis, & potissimum illarum Matres Adolescentes Filiosfamilias maximè ex Stirpe
Nobili natos omnis generis Lenocinio
alliciunt ad suarum Filiarum impudicum amorem, eos invitant, eos in
propriam Domum introducunt, eos
cum Filiabus familiariter, & etiam 3
secretò sermocinari permittunt, à quibus tandem post tactus, amplexus, &
oscula perditè exoptant, atque enixè
petunt, quod ipsæ Puellæ ab iniquis
Genitoribus edoctæ sub affectata specie pudoris se nunquam concessuras
protestantur, nisi prius jurata fide futuri Conjugii. Itaque, Dei nomine
impiè invocato, se coinquinant Stu- 4
pro, & forsan simplici fornicatione,
quia prius ab alio stupratæ fuerunt,
& exindè specioso prætextu servandæ
fidei, adimplendi Juramenti, ac compensandæ injuriæ honestæ virgini illatæ, Ecclesiæ præsidium incredibili
expostulant audacia; Jactitant non
suam agi Causam, sed *Sacrorum Canonum*, quibus statuitur, & jubetur
jusjurandum inviolabiliter observari,
resarciri damnum illatum, ac Deflo- 5
ratorem virginis eam sibi Matrimonio
conjungi debere, & quia nonnunquam
invenitur aliquis Judex, qui nihil de
peccatis cogitans, quæ talia Matrimonia concomitantur & subsequuntur,
cum omni facilitate, ad favendum
hisce Mulierculis, hujusmodi Adolescentes ad Matrimonium ineundum
condemnat, aut illorum voluntati indignè contrahendi cum dedecore propriæ Familiæ auxilium, opemque
præstat, ideo alii pauperes, humilesque Genitores in magnis maximè
Civitatibus hoc exemplo animati 6
iisdem artibus ad nubilitandas proprias Filias illas ignominiosè prostituunt.

Ita quoque accidit in hac Urbe,
ubi diebus elapsis coram nobis personaliter comparuit quædam Vetula
veram Lenæ faciem præseferens, ac 7
laceris induta vestibus, quæ absque
ullo mœrore, sed alacri animo, ac
serena fronte audacter exposuit se habere unicam Filiam rara venustate à
natura dotatam (qua rara venustate,
& pulchritudine, per quam modestæ
Fœminæ Maritum æqualis conditionis
absque

absque alia Dote nonnunquam assequi
8 solent , hæ impudentissimæ potius ad
se prostituendas abutuntur) & prose-
quendo narravit , quod quidam No-
bilis Adolescens , cujus Familia jam-
diù decorata extitit Insigniis Militiæ
Hierosolymitanæ , illius amore captus
9 solitus fuerit per aliquot Menses ferè
quotidie ad ejus Domum accedere ,
eamque visitare , unde ad tollendam
murmurationem eidem Adolescenti
tandem apertè dixit = ,, Io in Casa
,, mia non ci voglio scalda sedie ; Se
,, la mia Figlia le piace , come già
,, dimostra d'esserne innamorato , se
,, la prenda , e faccia i Capitoli Ma-
,, trimoniali , altrimenti si contenti
,, di starsene a Casa sua , perchè tale
,, ancora è il sentimento di mio Ma-
,, rito (*qui Artem Fabrimurarii*
,, *exercebat*) onde il Giovine , ciò
,, inteso , alla mia presenza , e della
,, detta mia Figlia , subito scrisse di
,, suo pugno i Capitoli Matrimoniali,
,, e gli giurò , come in essi si vede ,
,, alla presenza di due Muratori ami-
,, ci di mio Marito , che vi sono so-
,, scritti , e da lì in poi continuò a
,, venire in Casa a visitarla , trat-
,, tarci , e discorrerci, ed un giorno,
10 ,, avendogli lasciati soli in Casa , es-
,, sendo uscita per un mio urgente
,, affare , il temerario tanto la lusin-
,, gò , che la fece cadere , e accon-
,, sentire &c. , e perciò fò istanza
,, anco a nome di mio Marito , che
,, ora si trova in Diocesi a lavorare ,
,, che dal Giovine le venga restitui-
11 ,, to l'onore collo sposarla ,, = sunt
verba prius oretenus , & deindè in
Processu per Cancellarium Crimina-
lem descripta , utpotè in expositione
querelæ per ipsam Vetulam repetita.

Examinata deindè Puella magis
ingenuè deposuit= ,, Cominciò il Sig.
,, NN. a passar per la strada , dove
,, è la nostra Abitazione , e veden-
,, domi alla finestra mi salutava, e
,, io gli corrispondevo col saluto.
,, Finalmente un giorno disse a mia
,, Madre , che Esso non aveva il vi-
,, zio del giuoco , e perciò la sera
,, sarebbe venuto volentieri a trat-
,, tenersi in Casa nostra , e mia Ma-
12 ,, dre gli rispose , che era il bel Pa-
,, drone , e la stessa sera ci venne , e
,, subito mi disse , che mi voleva
,, bene , senza però , che sentisse
,, mia Madre = *& infra* = sarà un
,, Anno , e più , che cominciò a ve-
,, nire in Casa nostra di giorno , e
,, di notte , cioè fino a tre , e quat-
,, tr'ore di notte , ma da sei Mesi in
,, quà in circa non ci veniva se non la
,, sera occultamente , perchè disse a
,, mia Madre , ed a me , che aveva
,, avuto il Precetto da questo Tribu-
,, nale ad istanza del suo Signor Pa- 13
,, dre , e de' Vicini di non accostarsi
,, più a Casa nostra , e perciò ve-
,, niva la sera solamente per non es-
,, ser veduto , e sempre mi diceva ,
,, che mi voleva bene , e mi voleva
,, sposare , e più volte andando mia
,, Madre in un altra Stanza , dove si
,, dorme , e lasciandoci soli al fuo-
,, co , se era d'Inverno ,, = & hic li-
bere narrat *tactus pectoris , & oscula* 14
per eam admissa , & reciprocata ,
quodque idem Juvenis tandem copu-
lam carnalem ab ea requisivit , quam
tamen ipsa ob animæ , ac honoris præ-
judicium eidem denegavit , & subin-
dè pro veritate deponit *se prædicta*
verba amatoria , tactus , & oscula 15
semper adamussim propriæ retulisse
Matri , quæ licet antea quoad recen-
sitos inhonestos actus absque ulla ama-
ritudine semper tacuerit , cum tamen
audivit , quod Adolescens ab ea car-
nalem etiam copulam extorquere ten-
taverat , statim subjunxit = ,, Stà fre- 16
,, sco lui , se questo vuole , biso-
,, gna , che ti sposi , ma ci penserò
,, io : e venuto la sera , gli disse in
,, presenza mia , ò che facesse meco
,, i Capitoli Matrimoniali, ò non ve-
,, nisse più in Casa nostra , ed Esso su-
,, bito gli scrisse , e gli giurò alla
,, presenza di due Muratori , e d'al-
,, lora in poi , lasciandoci mia Madre
,, la sera soli, e andando da una no-
,, stra vicina sua amica , che si chia-
,, ma per nome NN. (*quæ examina-* 17
,, *ta hoc Puellæ dictum plenissimè con-*
,, *firmavit*) sollecitandomi esso &c.,e
,, riflettendo io, che già ero sua Spo- 18
,, sa, ed esser dovevo sua Moglie ,
,, finalmente mi lasciai vincere &c.
,, e dopo questa prima volta abbiamo
,, fatto

,, fatto più volte sempre lo stesso =
,, *& Inferius*=Signorsì, che quando
,, mia Madre acconsentì, che venis-
,, se in Casa la prima volta, sapeva
,, benissimo da me, che prima pas-
19 ,, sando per la strada mi salutava,
,, anzi alcune volte lo vedeva da se,
,, stando meco alla finestra, e dopo,
,, che fui caduta &c. la prima volta,
,, ne resi consapevole mia Madre,
,, ed essa mi replicò: Oh adesso sì,
20 ,, chè bisognerà, che ti sposi: ed in
,, fatti gli parlò, e si protestò, che
,, se non l'avesse fatto per amore,
,, l'averebbe fatto per forza, e per-
,, chè sempre prometteva, e mai
,, concludeva il Matrimonio, perciò
,, col consenso di mio Padre si risolse
,, di venirlo ad accusare=*& demum*=
,, Sette, ò otto giorni dopo fatti i
,, Capitoli io caddi &c. la prima vol-
,, ta, e s'è continuato fino a quin-
,, dici giorni fà, perchè più non ci è
21 ,, venuto, avendogli io detto, che
,, dubitavo d'esser gravida. Ciò se-
,, guiva però quando mia Madre era
,, uscita, ed era andata dall' Amica
,, sua Vicina, ed in Casa non eravi
,, verun altro, perchè mio Padre la
,, sera andava con altri Lavoranti
22 ,, all'Osteria, ò si trovava in altri
,, Paesi a lavorare, e quando Esso mi
,, sollecitava &c., io l'avvertivo, che
,, potevano venire i Birri, ed Esso
,, mi replicava, che non dubitassi,
23 ,, dicendo: i Birri hanno mangiato,
,, e mangeranno.

Ad probandam autem prædictam
Familiaritatem, continuam Conver-
sationem, & accessum Adolescentis ad
Puellæ Domum examinati fuerunt
plures Vicini, inter quos duæ Fœmi-
næ Domui Puellæ propinquiores, qua-
rum altera deposuit prout infra =
,, Sarà più d'un anno, che il Signore
,, NN. và nella sudetta Casa, ma se
,, prima ci andava di giorno, e la se-
,, ra, da sei mesi in quà in circa non
,, ce l'ho veduto entrare se non do-
,, po l'ore 24. e vicino all' un ora
,, di notte, perchè si disse, che aves-
,, se avuto precetto di non accostar-
,, visi da questo Tribunale &c. Io in-
,, sieme cōn NN. mia vicina avvertii
24 ,, la Madre, che v'era questo pre-
,, cetto, e l'avvertissimo ancora cir-
,, ca un Mese fà per l'ultima volta,
,, dicendole di più, che non gli la- 25
,, sciasse in Casa soli, ma Ella ci ri-
,, spondeva con arroganza, che sape-
,, va quel, che faceva, e che aveva
,, accomodato l'affare in maniera,
,, che la sua Figliola sarebbe divenu-
,, ta Signora, Moglie d'un Cavalie-
,, re, e Madre di Dame, e Signori,, =
& cum hujus depositione ferè ad un- 26
guem concordat altera Fœmina ab
hac, ut supra, in contestem vocata.

Præmissis omnibus his probatio-
nibus una cum visitatione, & reco-
gnitione Obstetricum juxta solitum,
sed magna cum cautela, ne hoc ad
aures perveniret Adolescentis, undè
vel latitasset, vel fugam arripuisset,
expedito deindè adversus illum Cap-
turæ mandato, illud exequi curavi-
mus per Satellites Curiæ Laicæ, qui
ante non fuerant, quemadmodum illi
hujus Ecclesiasticæ Curiæ, pecunia
corrupti, prout exequuti sunt, nèc
illius Carceratio debuit omitti, tùm
ratione Criminis, tùm ratione spreti 27
præcepti, & quidem maxima cum sa-
tisfactione ejusdem Parentum, & Pro-
pinquiorum, qui non pœna Stupri,
sed pœna arbitraria corporali illum
absque misericordia mulctari postula-
runt, & insimul insteterunt per nos de-
clarari vel invalida, vel esse rescin-
denda indigna Sponsalia, nullamque
Dotem Defloratæ deberi, quemad-
modum, inspectis omnibus circumstan-
tiis in casu concurrentibus, nèc Stupri
pœnam intrare, nèc Sponsalia esse
adimplenda, nèc deberi Dotem re-
solvendum esse censuimus.

Etenim, quoad pœnam Stupri, si
fuerit violentum, de Jure Civili est
pœna mortis naturalis, eamque in 28
Tribunalibus laicis infligendam esse
desumitur ex §. *Item lex Julia de vi
publica vers. Sin autem* ibique *gl. ff.
Instit. tit. de public. Judic. l. 1. §. ult.
ff. de extraordin. crimin.* nèque *Lex
Julia* ullum discrimen facit inter Stu- 29
prum, & Adulterium *l. Inter Stu-
prum* 101. *ff. de Verb. signific.* Papi-
nianus in *l. 6. § 1. ff. Ad l. Juliam de
Adulter.* = ibi = *Lex Julia Suprum,
& Adulterium promiscuè, & abusivè*
ap-

30 *appellat. sed propriè Adulterium in nu-*
ptam &c. Stuprum vero in Virginem,
Viduamve committitur, quod Græci cor-
ruptionem appellant=& concordat *text.*
in l. Stuprum 34. *ff. eod.*& ex hoc eo-
dem Jure non in omnes Virgines, sed
31 tantum in Virgines honestas Stu-
prum committitur, ex quo sequitur
cum Ancilla, cum libertina, cumque
ea ingenua, *quæ obscuro loco nata est,*
vel quæstum Corpore fecit, & cum alia
quacumque Fœmina vili propriè non
32 esse Stuprum Jure Romano, sed tan-
tum Concubinatum, ut ex *Marcian.*
in l.3. pr. de Concubinis arguunt DD.,
& præ cæteris *Heinecc. ad l. Juliam*,
*& Pap. lib.2. cap.4. n.4. pag.*172. ubi
33 etiam vilis Personæ exempla ponit in
ludionis, lenonis, & arenarii Filia;
Unde *Anton. Matthæus de Stupr. n.* 3.
addit insuper, quod cum Jure Roma-
no cum vilibus Fœminis, si nuptæ
34 sint, non committatur Adulterium,
multo minus Stuprum committitur si
sint innuptæ. Violentia autem longe
abest a nostro casu, ideò de pœna
Stupri sine vi a nobis dumtaxat est
agendum.

Ad pœnam igitur Stupri sine vi
quod attinet ea in Stupratorem hone-
stum erat publicatio dimidiæ partis
bonorum, in humilem vero coercitio
35 Corporis cum relegatione §. *Item lex*
Julia de Adulteriis Instit. tit. de pu-
blic. Judic. præter alias extraordina-
36 rias pœnas, de quibus *Anton. Mat-*
thæus n.8. & 9. Sed illud a communi
sensu abhorrere videbatur, quod ex
lege *Solonis* gravius puniebatur per-
suasio, quam violentia, ut ex *Lysia*
37 adnotat *Duarenus ad l. Juliam de*
Adulter. Verumtamen non temerè,
sed sapientissimè id sanciri intelle-
ctum fuit, quia violentia Corpus tan-
tum corrumpit, & mentem castam
relinquit, at persuasio, blanditiæ, &
turpiloquium mentem prius incestant,
postremò quod restat, & Corpus
etiam polluunt, ideòque reus hujus
sceleris est graviori pœna plectendus.

Sed omissis aliis pœnis Jure Cæ-
38 sareo pro Stupro statutis, de quibus
Harprect. in §. Item lex Julia de Adul-
teriis Instit. tit. de public. Judic. Hen-
ric. Zoes in Comment. Pandect. sup.
tit.5. lib.48. num.58. & seqq., *ff. Ad*
l. Jul. de Adulter. Gonzalez in Cap.
Expectabamus 2. num. 6. de Adulter.
Guttierez quæst. Canonic. lib.1. q.47.
Farinacc. quæst.147. n.6. & seqq. ho-
die tàm in quacumque Virgine, quàm
in qualibet honesta Vidua Stuprum 39
committitur *Carpzov in pract. crimin.*
par.2. quæst.68. num.4. & seqq., *&*
n.23. & 27., ubi quod Stuprator cuili-
bet Virgini, seu Viduæ blanditiis, &
suasionibus per ipsum corruptæ non
solum ad subministrandam congruam
dotem obligatur, sed & Magistratui
ad subeundam pœnam remanet adstri- 40
ctus, toto namque discrimine hone-
starum, aut vilium Personarum om-
ninò sublato, sancta Mater Ecclesia
labentium imbecillitati simul indul-
gens, & violatæ Virginis consulens
indemnitati, suscitavit quodammodo
ut meminit *Rot. dec.74. n.9. cor. Penn.*
jam mortuum judiciale præceptum
Veteris legis *Exod. cap.22. vers.16.*
= ibi = *Si seduxerit quis Virginem*
nondum desponsatam, dormieritque
cum ea, dotabit eam, & habebit eam 41
Uxorem = relatum in *Cap.1. de Adul-*
ter. Hebraice autem legitur = *festi-*
nando festinabit eam sibi Uxorem =
sed Hebraistæ volunt verbum hebrai-
cum = MAHER = quod vulgo est = FE- 42
STINARE = habere etiam *dotandi* signi-
ficatum, itaque LXX. posuerunt = *do-*
tando dotabit sibi eam Uxorem = ubi
idem est *dotare sibi in Uxorem*, quam
ducere, quia per solum Conjugium
damnum Defloratæ illatum reficieba-
tur, non autem per Dotem, quam Stu-
prator solvebat non uti Stuprator, nèc
uti pro Stupro debitam, sed uti Mari-
tus, nam antiquitùs tàm apud He-
bræos, quàm apud cæteras Gentes 43
Mariti dotem futuræ Uxori dicebant,
quemadmodum etiam clarè colligi-
tur tàm ex *Exod. d. cap.22. vers.* 17.
= ibi = *Si Pater Virginis dare nolue-*
rit, reddet pecuniam juxta modum
dotis, quam Virgines accipere consue-
verunt = quam ex *præcit. Cap.* 1. *de*
Adulter. ubi eadem verba leguntur,
qui modus dotis disertè statuitur in
Deuter. cap.22. vers.28. & 29. = ibi =
Si invenerit Vir Puellam Virginem,
quæ non habeat Sponsum, & appre-

bendens concubuerit cum illa, & res ad Judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea Patri Puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam Uxorem, quia humiliavit illam = & quamvis *Grotio*, aliisque placuerit facti speciem, quæ in *Exodo*, ab ea, quæ in *Deuteronomio*, differre, quia ibi optio Patri datur, non autem in *Deuteronomio*, posterior attamen locus cum priore conciliandus videtur, subaudiendo = *Si Pater corruptæ in Matrimonium consenserit* = Tanta
44 enim erat in Patre potestas apud Hebræos circa propriæ Filiæ Sponsalia, ut non solum si esset Virgo, nèc violata, ab ejus Conjugio dissentire potuerit, verum etiam eidem licebat Filiæ defloratæ annullare Sponsalia non obstante copula, quam inter Virum, & Puellam intervenisse satis significat Moyses *pelliciendi* verbo, pro quo vulgata, ut supra sub *num.* 40., usurpavit = *seduxerit* =

Posterius autem eadem Sancta Mater Ecclesia aut rigorem mitigans, aut explicans quomodo mandatum illud renovare intellexerit, præcepit
45 Stupratorem aut Virginem ducere, aut in Monasterium detrudi ad peragendam perpetrati Criminis pœnitentiam *Cap. Pervenit* 2. *de Adulter.*

Accessit tandem Interpretum consensus, & ab omnibus recepta consuetudo, qua vel antiquior exposita, vel nova sancita fuit lex, ut scilicet qui seduxerit, aut violaverit Virginem, dummodò copulam non præcesserit promissio Matrimonialis, (ultra infamiam Juris, per quam Stuprator efficitur irregularis, ut ad Ordines promoveri non possit, quoties crimen fuerit notorium *Majol. lib.* 5.
46 *cap.*40. *n.*1.) illam pro sui optione aut Uxorem ducere, aut dotare teneatur *Barbos.in Cap.*1. *n.*7. *de Adulter. Gonzalez in d. Cap. Expectabamus eod. tit. Engel. lib.* 5. *Decretal. tit.*16.*n.*11. *Pirhing. ibid.num.*39.41. & 44. *Anaclet. Reiffenstuel. in Jus Canonic. lib.* 4. *Decretal. tit.*1. *n.* 87. *Guttierez quæst. Canonic. lib.*1. *q.* 37. *num.*7. & *seq. Card. de Luc. de Dot. disc.*142. *n.* 71. *Antonell. de regimin. Eccles. lib.* 6. *cap.* 30. *Rub. in annot. ad Rot. dec.*431. *n.*110. *par.*4. *tom.*2. *recen.* circa quam alternativam conveniunt quoque Theologi, inter quos *Fagundez in* 6.*præcept.Decalog.tom.*2. *lib.*6. *cap.*5. *Dicastill. de Just. lib.*2. *tract.*2. *disput.*7. *dubit.*9. *n.*115.*Card. de Lug. tom.*1. *disput.*12. *num.*11.*Less. lib.*2. *cap.*10. *n.*10. *Molina tract.*3. *de Just. disp.*106. *n.* 6. *Vasquez in opusc. Moral.tract. de restit.cap.*3.§.2.*dub.*1. *n.*2. & 3. eaque recepta est in omnibus Tribunalibus tàm Ecclesiasticis, 47
quàm laicalibus nostræ Italiæ *Ghirland. de pœn. cort. quæst.*7. *n.*2. *Clar. in* §.*Stuprum n.*3.ibique *Bajard.n.*10. *Farinacc.quæst.*147.*n.*97. & 98.*Clarlin. contr. forens. cap.* 174.*n.*53. *Thesaur. dec.pedemont.*3. *n.*3. & similitèr 48
in Germania *Berlic. pract. quæst. p.*5. *quæst.*38.*num.*4.& 14. *Carpzov pract. crimin. par.* 2. *quæst.*68. *n.*34. In terris Electoratus Saxonici *Carpzov loc.* 49
*cit.n.*8.& 9.in Gallia *Papon. arrest.*9. 50
tit. 9. *lib.*2. & in Hispania *Guttierez quæst. Canonic. lib.*1.*cap.*37. *a num.*6. illamque magistralitèr firmavit *Rot. in Taurinen. Matrimonii* 24. *Januar.* 1590. *cor. Penn.*, quæ est *dec.*74. *inter impressas cor.eod.*allegat. per *Card. de Luc.*, *Rub.*, & *Barbos. loc. cit. Clarlin. contr. forens. tom.*2. *cap.*174. *num.* 53. & *seq.*

Hanc autem regulam non omnibus casibus generalitèr in judicando
aptare possumus, prout nonnulli Ju- 51
dices cœcis oculis cuicumque casui adaptari posse opinantur; Etenim cessat optio Stuprantis, si Stuprata nolit ei nubere, vel ob aliquod impedimentum non possit, quia tunc eam dotare tenetur; Item quando Stuprator est impotens ad illam dotandam, eamdem volentem ducere debet, & si ipsa nubere nolit, nec ei Stuprator congruam dotem constituere valeat, loco solutionis dotis succedit pœna fustigationis, aut alia &c. ad tradita per *Mascat. Instit. Canonic. tit. de Stupr.par.*2. *n.*12.*pag.*523. juxta *nov. impress. Roman. cum addition. Rmi P. Ubaldi Giraldi Scholar. Piar.* & similitèr si Stuprator fuerit Clericus etiam in Minoribus, non cogitur eam ducere, sed solum dotare, & arbitraria pœna est insuper puniendus *Abb. in Cap.*1.

Cap. 1. *&* 3. *de Adulter. Farinacc. quæst.* 147. *n.* 108. *Diaz in prax. cap.* 86. *n.* 2. ibique *Salzedo.* Tandem antequam Deflorator alternativè, ut diximus, condemnetur, examinandum venit an copula fuerit extorta sub promissione futuri Conjugii, utrum Mulier fuerit seducta, vel seduxerit, an antea fuerit honesta, & quænam sit condi-
52 tio Deflorantis, & Defloratæ, ad quem effectum in judicando nos sex Puellarum species distinguere duximus opportunum,

Altera est earum Puellarum, quæ ex humilibus, vel rusticis ortæ Parentibus, vix ad annos discretionis per-
53 venerint, a Genitoribus ad pascendum, & custodiendum gregem per arva mittuntur, quæque ad pubertatem perventæ, aut in eadem custodia permanent, aut in cedendis, & colligendis lignis per Colles, Nemora,
54 & Montes, aut in laborando per Campos occupantur. Quamvis istæ regularitèr honestiores in praxi reperiantur, quàm illæ præcipuè humiles, ac etiam civiles, quæ in Oppidis, seu Civitatibus educantur, quia tamen, vix usum rationis habent, ab ipsis armentis, quo-
55 rum custodiam agunt, seu ab aliis gregibus, quos per arva luxuriantes vident, facilè malitiam percipiunt, ideò aliqua earum in pubertate jam constituta, & ab aliquo masculo coætaneo Pastore, cum quo in teneræ ætate pueriliter ludere, seu sermocinari consueverat, assiduis blanditiis, vel precibus sollicitata, & ferè coacta ab ea quoque antiqua amicitia inter se in teneris annis contracta, deinde verò in impudicum amorem conversa, nonnunquam in Stuprum consentit, & hujusmodi miseris Puellis, probato Stupro in genere, & in spe-
56 cie, ac præcedenti honestate, juxta prædictam regulam eum condemnatione Stupratoris ad dotandum, vel nubendum semper consulendum esse
57 censuimus, quia ratione sui exercitii ferè in occasione proxima præter intentionem usque ab ineunte ætate
58 jam positæ commiseratione dignæ existimantur. Si vero Stuprum fuerit qualificatum, si nimirum copulæ promissio Matrimonialis accesserit, ad differentiam Stupri simplicis Defloratorem præcisè, & absolutè ad desponsandam Defloratam condemnavimus, 59
quemadmodum faciendum docent *Less. de Just. & Jur. lib.* 2. *cap.* 10. *dubit.* 3. *n.* 20. *Sanchez de Matr. lib.* 1. *disput.* 10. *n.* 3. *& seqq. Ricc. in prax. for. Eccles. par.* 4. *resolut.* 406. *num.* 1. *Rot. decis.* 767. *per tot. par.* 18. *tom.* 2. *recent. & decis.* 230. *n.* 15. *&* 16. *cor. Lancett. tom.* 1. *& in Constantien. Sponsalium* 7. *Julii* 1751. §. *Constabilito cor. R.P.D. Matthæjo*, dummodo tamen probata remanserit prædicta promissio, & Mulieris honestas.

Pro qua promissione justificanda non quamlibet probationem admisimus, quia ad hunc effectum requiritur probatio rigorosissima, non per 60
præsumptiones, & conjecturas, sed vèl per confessionem Stuprantis, vèl per Testes, & documenta plenè comprobantia datam fidem Matrimonii, ex quibus Stuprator appareat legitimè
convictus *Carpzov Jurisprud. Concistor. lib.* 2. *tit.* 14. *definit.* 228. *num.* 10. 61
Sabell. in summ. §. *Stuprum sub n.* 6. *vers. Et stante Rot. in Pampilonen. Sponsalium* 6. *Decembr.* 1726. §. *Deficit enim coram Emo Cincio, & in Amerina Sponsalium* 22. *Novembris* 1737. §. *Siquidem coram Emo Calcagnin., & in Tarentina Sponsalium* 30. *Junii* 1747. *ferè per tot. coram R.P.D. Lana, & in Majoricen. Sponsalium* 10. *Junii* 1735. §. *Cum enim coram Emo Crescent., & in ejus Confirmatoria diei* 25. *Novembris* 1735. *per tot. cor. eod.*, cum agatur de materia, in qua homo, amissa ferè libertate, redigitur in vinculum quasi
servitutis Conjugalis *Raynald. Observ.* 62
Crimin. cap. 23. §. 4. *num.* 77. *tom.* 2. *Trentacinq. variar. resolut. lib.* 3. *tit. de Matrim. num.* 2. *Piton. discept. Eccles.* 52. *sub num.* 72. *Basilic. dec.* 15. *per tot.*

Neque probasse sufficit, quod Stuprator dixerit se velle cum Stupra-
ta Matrimonium inire, hæc etenim 63
verba joci potiùs, & amoris causa, quam animo se obligandi prolata censentur *Jas. in leg.* 1. §. *Si quis ita num.* 21. *ff. de pact. Ricciardell. in Licæo Eccles. cap.* 9. §. 1. *sect.* 8. *num.* 96.,

 & im-

& importare tantummodo possunt quamdam velleitatem Sponsalium de futuro, seù nudam, & simplicem præordinationem, ac voluntatis dispositionem Defloratoris desponsandi
64 Defloratam, ex qua neutiquam constabiliri valet consensus adeò certus, & deliberatus, ut Sponsalia dicantur perfecta, & consequenter in vim ejusdem consensus Promissor metu carcerationis, seù Excommunicationis, aliarumve pœnarum ad adimplendam promissionem cogi valeat; Ut enim procedi possit ad coactionem, consensus in Sponsalibus ei similis esse debet, qui requiritur in actuali Matrimonii contractu; Cum enim Promissor cogi non possit ad Matrimonium contrahendum; nisi in vim consensus jam præstiti in præcedentibus Sponsalibus, exindè pernecessè sequitur, quod talis consensus ejus indolis, & naturæ esse debeat, qualis in actu contrahendi in facie Ecclesiæ Matrimonium ad illius validitatem exposcitur, hoc est omninò liber, certus, & deliberatus, & quemadmodum, si in Matrimonio non liber, & deliberatus, sed coactus, & per vim, & metum exortus consensus intercederet, Matrimonium non esset perfectum, sed nullum, etiamsi deindè, durante causa metus, Conjuges una simul cohabitarent *Thesaur. de pæn. Eccles. par.2. verb. Matrimonia cap.7. num.2.* prolemque ex Conjugio susciperent *Rot. coram Arguelles decis.9. num.5., & seq.*, nèc vigore dicti consensus nullatenus voluntarii, nèc deliberati cogi possent ad perseverandum in Matrimonio animo deliberato nunquam volito, nèc unquam perfecte contracto, ità eodem libero, certo, & deliberato consensu in Sponsalibus deficiente, nonnisi nulliter cogi potest Promissor ad adimplendum promissum, & in sua promissinne consistendum, quia propter defectum dicti voluntarii, & deliberati consensus Sponsalia nunquam animo deliberato fuerunt volita, ideòque nunquam indubitantèr, & absolutè promissa, neque perfectè con-
65 tracta *Geminian. cons. 27. num. 8. Bald. cons. 12. num. 3. lib. 2. Ricc. decis. 5. par. 3. Ricciardell. loc. cit. Panimoll. decis.23. n.3. & seqq.; Rot. in Luceorien. Matrimonii* 30. *April.*1708. §. *Et ratio coram Scott. & in Hispalen. Matrimonii* 21. *Febr.*1718. §. *Nibilominus coram Foscar.* = ibi = *Primo enim loco considerandum occurrit, quod ipse triennalis Carcerationis molestiam subiverat, mandante Judice, non alio planè fundamento, nisi quia Vidua querelam porrexerat, in qua figurabat se sub certa Sponsione futurarum Nuptiarum à Diduco reportata eidem sui Corporis copiam fecisse, ad quod comprobandum induxerat in Testes quasdam sibi Familiares Mulieres idipsum asserere conantes. Cum igitur rimatis dictarum Mulierum depositionibus compertum sit vèl ex illis nequaquam oriri verum Sponsalium contractum, sed so-* 66
lummodò quamdam præordinationem, seù voluntatis dispositionem ad illa contrahenda, ex qua profectò loquendi forma non inducitur consensus omninò deliberatus = clarius *decis. 682. num.6.7.8. cor. Lancett. tom.3.* = ibi = *Sicut minus efficacem voluntatem secum ferunt verba, de quibus iidem Testes deponunt* = che la voleva sposare &c, che ci andava a fine di Matrimonio = *eo quia non indicant illum* 67
consensum volitum de præsenti, sed solum ostendunt quoddam desiderium Sponsalia contrahendi, adeòut ex isto præcisa obligatio ad effectum coactionis nullatenùs orta dici possit = ex ea solidissima ratione, quia maximum intercedit discrimen inter promissionem desponsandi, & ipsamet Sponsalia, 68
ut præ cæteris advertunt *Sanchez de Matrim. lib.1. disput.18. num.13. Rot. dicta decis. 682. num.9. coram Lancett.*

Et in durioribus terminis, quod promissio facta per illa verba = *promitto, quod te desponsabo* = non importent Sponsalia, sed tantum præ- 69
seferant promissionem Sponsalium contrahendorum tradit *Ricc. decis. 5. part.3.*, & si fuerit concepta his aliis verbis = *volo te accipere, habere, aut ducere in Uxorem* = quod nec etiam inducere valeat Sponsalia docent *Bonaccin. Theol. Moral. tit. de Sponsal.* 70
quæst.1. punct.1. num.3. tom.1. Sanchez

chez de Matrim. lib. 1. *disput.* 18. *num.*22. *Panimoll. decis.*23. *num.*6. cum aliis relatis per *Piton. discept. Eccles.*52. *sub num.*74. *vers. Et in fortioribus*, neque constare de validitate Sponsalium, quæ fuerant his concepta verbis = *Io infrascritto Antonio Levame dico, e prometto di non sposare altra Figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lei di non sposare altro Giovine, che me* = censuit *Sac. Congregat. Concil. in Vintimilien. Sponsalium*, quæ *sub die* 1. *Junii* 1709. sibi propositis Dubiis = *I. An constet de validitate Sponsalium inter Antonium. Levame, & Benedictam Genam, & quatenus affirmativè* = *II. An dictus Antonius Levame sit cogendus, vèl potiùs possit ab eis recedere contrahendo cum altera in casu* = rescripsit= *Ad I. Ex hactenus deductis non constare de Sponsalibus absolutis; Ad II. Negativè quoad primam partem, & quoad secundam dilata* = & reproposita Causa sub consueto Dubio = *An sit standum, vèl recedendum à decisis in casu &c.* = confirmatum fuit *sub die* 28. *Septembr. ejusdem Anni* 1709. dictum rescriptum, & insuper additum = *Antonium posse cum altera Muliere Matrimonium contrahere* = eodemque modo respondit *ead. Sac. Congregat. in Mediolanen. Sponsalium* 13. *Julii* 1725.

Et quatenùs probata remaneat promissio Stuprantis, non exindè tamèn semper dici possunt contracta Sponsalia, cum ad hunc effectum satis non sit nuda, & materialis promissio ex parte Viri, nisi concludenter doceatur de mutuo Stupratoris, ac Stu-
71 pratæ consensu, sine quo Sponsalia
non perficiuntur *Cap.Tuæ* 25.*de Sponsal.Canon. Sufficiat* 27. *quæst.*2. *Paris. cons.*55. *num.*14. *vol.*4. *Sanchez de Matrim. lib.*1. *disput.*5. *num.*1. *Rot. decis.*1285. *num.*3. *tom.*3. *coram Emerix Jun.*, *& in dicta Amerina Sponsalium* 22. *Novembr.* 1737. §. *Ast quatenus coram Emo Calcagnin.*, *& in Reatina Sponsalium* 29. *Januar.* 1753. §. *Non itaque cor. R. P. D. Buss. & dicta decis.*682. *num.*11. *cor. Lancett. tom.*3. = ibi = *At non solum probabilis non remanet ex prædictis consensus Dominici, sed nèc etiam constat de repromissione, & consensu Antoniæ.*

Quæ tamen mutua repromissio probata minimè dici valet ex copula secuta inter Marem, & Fœminam, ex ea nimirum præsumptione, quod Mulier haud permisisset violari, nisi pollicitam sibi fidem Matrimonii acceptasset, eamdemque repromisisset; Quandoquidem nisi agatur de honesta Fœmina, ut voluit *Rot. in Constantien. Sponsalium* 7. *Julii* 1751. §. *His igitur cor. R. P. D. Matthæjo*, neque undique constet de præambula promissione Viri certa, & indubitata, ex subsecuta copula depromi nullo modo potest illa certa, & indubitata probatio, quæ requiritur ad concludenda Sponsalia inter Stupratorem, & Stupratam, sed ex ea ad summum elici valet simplex præsumptio, quæ vires non habet perfectæ probationis,
qua de re, spreta tali præsumptione 72
ex copula nascente, probandum esse aliundè consensum Mulieris *ex Text. in Cap. Tua nos de Sponsal.* punctualiter firmant *Soccin.Sen. cons.*119. *n.*11. *lib.*3. *Rot. decis.*374. *sub num.*3. *cor. Cels.* = ibi = *Undè non potest dici constare de Sponsalibus, dum deficit promissio reciproca, & mutuus consensus, sine quo illa non contrahuntur &c. etiamsi fuerit secuta copula* = idque confirmat *dicta decis.*1285. *n.*4. *tom.*3. *coram Emerix Jun.* = ibi = *Etiamsi sequatur copula* = apertissimè *in Colonien. Matrimonii impress. post pract. observat. legal. Emi Calcagnin. decis.*1. §. *Injustè* = ibi = *Injustæ enim visæ fuerunt dictæ Sententiæ, dum Maria non probavit Sponsalia ab ipsa allegata, prout omninò requirebatur, ad effectum, ut præfatus Joannes Aurelius arctari posset ad celebrandum solemne Matrimonium, esto, quod intercesserit copula, quia ad contrahenda Sponsalia requiritur mutua promissio, & consensus, sine quo Concubitus nihil concludit, nèc Sponsalia 73
perficere potest* = cum aliis *in dicta decis.*682. *num.*11. *cor. Lancett. tom.*3.

Porrò in linea hujus necessariæ, ac indispensabilis probationis poni non
valet assertio ipsius Stupratæ, maxìmè 74
si non sit æqualis conditionis cum Viro,

ro, quod nempè permiserit ab eodem
claustra pudoris effrangi sub data, &
respectivè repromissa fide Matrimonii,
quoniam vulgatum est hisce assertioni-
bus nullatenùs esse deferendum, cum
75 enim respiciant ipsius Mulieris com-
modum, & interesse in puncto Ver-
migliol.cons.113.n.9.Honded.cons.100.
num.7. Farinacc. cons.80. num. 21.
Conciol. verb. Stuprum resolut.2.n.2.
Bonfin. ad bannim. general. cap. 6.
appendic. unic. num.11. admitteren-
tur proinde ad testificandum in causa
propria contra Text.expressum in leg.
Nullus 10.ff.de Testib.quod est omninò
vetitum, & potissimum in casu, ubi si
fides præstanda foret ipsis Mulieribus
corruptis, latissimus pateret aditus
fraudibus, & calumniis, & ipsæ Vi-
rum, quem vellent, habere possent
76 Horat. Lut. cons.161. inter cons. Cri-
min. divers. lib.1. num.10. vers. Quod
si fides Guazzin. ad defens. reor. de-
fens.4. cap 6. num.14. Ciaz. cons. 10.
num.15. vers. Sed etiam sequeretur ab-
surdum Moscatell. in prax. Crimin.
tit. de Adulter., & Stupr. num.11.
Carpzov Jur. prud. Consistor. lib.2.
tit.14. definit. 228. num.10. = ibi =
Etiamsi præsumptio sit, quod Virgo
77 spe Matrimonii fuerit seducta, nam
si attendenda esset dicta præsumptio,
præterquam ad faciendum indicium
promissionis &c. utique adinventa es-
set Puellis via inveniendi sibi Mari-
tos ad earum placitum, quia permit-
78 terent se deflorari, & deindè assere-
rent præcessisse dictam promissionem,
quod non est ullatenùs dicendum =
optime Rot. in Majoricen. Sponsalium
6. Martii 1752. §. Asserit enim vers.
Alias coram R. P. D. Amadeo = ibi =
Alias enim nimis patens aperiretur
via vilissimis Muliereulis se se Viris
subjiciendi, ut deindè assererent ea-
rum Violationem secutam data fide
ineundi Conjugii =

Ulterius, si re vera intercessisset
talis promissio, ac repromissio, &
Fœmina affirmaret, quod Vir ad has
promissiones devenerit, dum præ
amore æstuabat, eamque sollicitabat
ad copulam, utique in his terminis
tales promissiones tamquam proma-
nantes ab impetu, & ardore libidinis
nullatenùs aptæ sunt ad inducenda
Sponsalia, quia ob rationem, seù 79
mentem obtenebratam, neque con-
sensus, neque voluntas præcisa, &
deliberata Matrimonium contrahendi
ex iis desumi potest Bonfin. ad ban-
nim. gener. d. cap.6. num. 34. = ibi =
Vel quando promissio Matrimonii in
æstu, & ardore libidinis extorta fuis-
set, quia tunc ratione quodammodo 80
obtenebrata, neque consensus, neque
animus decipiendi interfuisse dicun-
tur = Imò in hoc casu Deflorata benè
percipere poterat hasce promissiones
ficto procedere ex animo ad ipsam al-
liciendam, & seducendam, & per
consequens credere, & sub tali pro-
missione corpus suum tradere non de- 81
bebat Ricc. decis.15. part. 3. Ros. in
pract. crimin.par.2. Decret. Magnæ
Curiæ cap.1. num.78. = ibi = Secundo
si promissio Conjugii antè carnalem
copulam facta fuerit tamquam ex vi,
& luxuriæ impetu peracta, facilè
Mulier eam intelligere poterat ficto 82
procedere ex animo, eamque non in-
ducere Sponsalia = Qua ratione ducti
Doctores communiter firmant, quod
Deflorans virginem sub hisce promis-
sionibus absque animo se obligandi
emissis, precisè cogi minimè possit ad 83
contrahendum cum Stuprata Matri-
monium Div. Antonin. part.3. tit. 1.
cap.19. in princ. Ledesm. de Matrim.
dubit.19. Card. de Lug. de Just., &
Jur. tit. de restit. ob Stuprum dis-
put.12. sect.2. num.19., & 20. Ain.
decis.38. sub n.14. tom.2. Rot. in Ma-
joricen. Censurarum 16. Januar. 1715.
§. Exulante cor. Card. Scott.

Ut autem in casu simplicis Stu-
pri, sic & in casu Stupri qualificati
cum promissione futuri Conjugii, ul-
tra ejusdem promissionis probatio-
nem, & quidem concludentissimam,
ut firmavit etiam Rot. in dicta Majori-
cen. Sponsalium 6. Martii 1752. §. As-
serit, & §. Quin obstaret cor. R. P. D.
Amadeo, & in ejus Confirmatoria diei
9. Aprilis 1753. §. Et sanè coram
R. P. D. Buss. nobis constare debuit
ex actis de certissima Mulieris hone-
state Stuprum præcedente, sine qua
Stuprator, non obstante promissione
prædicta, nunquam ad ineundum Ma-
tri-

84 trimonium cogi potuiſſet ad *Text. in leg. Stuprum* 34. *ff. Ad leg. Juliam de Adulter. Farinacc. quæſt.*147.*n.*82. *Raynold. obſervat. crimin. cap.* 23. §.4. *num.*51., *&* 52. *Burſatt. conſ.*69. *num.*13. *Theſaur. deciſ.*3. *num.*3. *verſ. Quarta concluſio*, quia uti præcipuum, ac eſſentialiſſimum requiſitum in hoc crimine ab omnibus inconcuſsè cir-
85 cumfertur illæſa, & illibata Mulieris pudicitia, & honeſtas *leg. Inter liberas* 6. *juncta leg. Stuprum* 34. *ff. Ad leg. Juliam de Adulter.* §. *Item lex Julia de Adulteriis*, ibique *gloſ. verb. Viduam Inſtit. tit. de public. Judic.*, & conſert *Text. in leg. Quæ Adulterium* 29. *Cod. Ad leg. Jul. de Adulter.* alias non conſtito de honeſtate, nedum conſtat actio Stupri, verum etiam licet Mulier fuerit deflorata, amittit non ſolum Jus ad Matrimonium, ſed Jus quoque Dotationis, &
86 Reus eſt abſolvendus juxta *Text. in leg. Si Uxor* 13. §. *Nam ut ſextus ff. Ad leg. Juliam de Adulter. Burſatt. conſ.*69. *num.*13. *Grammatic. deciſ. ult. num.*36. *& ſeqq. Theſaur. dicta deciſ.* 3. *num.*3. *verſ. Quarta concluſio Baſilic. deciſ.*15.*num.*21.

Secus autem dicendum eſſet, ſi Mulier ante Stuprum fuiſſet honeſta, eoque ſecuto, vivere inhoneſtè cœpiſſet, tunc enim, quia Stuprator fuit in cauſa, cur ipſa verecundiam, pudorem virginalem, & honeſtatem propter Stuprum amitteret, licet non teneretur eam ducere, adhuc illam dotare deberet ad ſenſum *Rot. cor. Emerix Jun. deciſ.* 1226. *num.* 10. *tom.*3.

Inhoneſta autem non reputatur Fœmina, quam Stuprator, ne illam dotet, aut in Uxorem ducat; ut plurimum aſſerit in actu copulæ non inveniſſe virginem, cui nullatenùs eſt deferendum, quia deponit ad proprium commodum, fitque Judex, atque peritus in cauſa propria, ſed de illius honeſtate, vel inhoneſtate conſtare debet per accuratam ipſius vitæ, ac morum inquiſitionem, ut in ſimili docuit *Rot. in Poſnanien.*, *ſeu Verſavien. Matrimonii* 26. *Junii* 1747. §.8. *& ſeq. coram R. P. D. Buſſ.* ideoque honeſta illa non præſumitur eſſe, quæ Hominum converſationes admit- 87
tat, atque tripudia *Farinacc. quæſt.* 136. *num.*14., *&* 201. vel amici- 88
tiam habeat cum pluribus Viris *Burſatt. conſ.*445. *num.*33. *lib.*4. *Manent. conſ.*121. *num.*7. *& ſeq.*, *Ledeſm. de Matrim. quæſt.* 51. *artic.*2. *dubit.*3. §. *Advertendum Rot. in Majoricen. Cenſurarum* 16. *Januar.*1715. §. *Exulante cor. Scott.* vel ipſa ad publica 89
accedat tripudia *Riminald. Jun. conſ.*244. *num.*33. *& conſ.*260. *n.*43. *Farinacc. dicta quæſt.*136. *num.*98. *Bajard. ad Clar.* §. *Adulterium n.*39. præſertim ubi agitur de Muliere paupere, & vili, quæ ut plurimum inho- 90
neſta reputatur *Ricciardell. in Lyc. Eccleſ. cap.*9. §.1. *num.*33.

Quibus concurrentibus præjudiciis, minus deferendum venit Teſtibus Fiſcalibus de Mulieris honeſtate in genere deponentibus, quia accidere poteſt, quod ignoraverint pravos, 91
inhoneſtoſque mores Stupratæ *Antonell. caſ.*98. *num.*5. etiamſi fuerint mille Teſtes ita de honeſtate deponentes *Zaul. ad Stat. Favent. lib.*4. *rubr.*58. *num.*89. Et profectò in praxi experientia nos docuit, quod in ſimilibus caſibus hiſce atteſtationibus non ita facilè præbendæ ſunt aures, delata namque nobis querela Stupri commiſſi in perſona cujuſdam Puellæ ex honeſtis Parentibus ortæ, licet omnes Teſtes Fiſcales de illius honeſtate deponerent, nec ulla certa probatio de illius inhoneſtate in Proceſſu haberetur, dum tamen Stuprator in noſtris Eccleſiaſticis carceribus detentus mediante Appellatione ab eo interpoſita à Decreto ſuper emergenti per nos emanato cauſam contra Stupratam coram A.C. proſequeretur, ipſa Mulier opera alteriùs Amaſii apparuit prægnans, ſimulque ſupervenerunt indicia anteactæ illius inhoneſtatis cum magno detrimento ipſius Genitoris, qui ingentes expenſas ad defendendum honorem propriæ Filiæ, ac vindicandam ſibi illatam injuriam uſque tunc pati debuerat; unde magis, magiſque inſtructi remanſimus prædictis Teſtibus de honeſtate Mulieris in genere deponentibus nullam fidem eſſe adhibendam, niſi aliæ de

ea-

eadem honestate magis certæ concurrant probationes, maximè si Testes fuerint viles, & pauperes, ac amici
92 Stupratæ; prout in terminis Testis vilis, & pauperis monent *Osasch. cons.66. num.22. vers. Sed si cum paupertate lib.1. Cravett. cons.479. n.12. Cartar. decis.87. num.62.* & in termi-
93 nis Testis Amici probant *Marsil. cas.31. num.14. & cas.76. num.27. Grammatic. cons.45. num.15.*

Sed potiùs deferendum est Testibus à Stuprante ad defensam, & ad
94 probandam Mulieris inhonestatem inductis, licet sint singulares *Bajard. ad Clar. §. Stuprum num.29. Farinacc. quæst.64. num.223. Grammatic. decis. ult. num.9.* aut de auditu, & fama
95 deponant *Farinacc. quæst.136. n.103. Bursatt. cons.69. num.14. Rot. dec.19. à num.9. part.10. recen.* imò etiam per simplices præsumptiones inhone-
96 stattem probari, quoties ob eam non agitur ad punitionem Mulieris, sed tantummodò adducitur ad defensam Stuprantis optimè distinguendo tradunt *Bursatt. cons.69. num.13. & cons.445. num.7. & seq., lib.4. Cephal. cons.140. num.27. vers. Solum Vermigliol. cons.396. num.13.* Occurrit tamen, quod aliquando honesta Puella ab aliquo Viro blanditiis, & etiam promissionibus seducta consentit in Stuprum, & deindè ab hoc Stuprante decepta, & posita sic in via meretricandi, cum nèc Stuprum in specie, nèc promissionem probare valeat, ab accusando abstinet, suam Deflorationem suis Parentibus, & Consanguineis celat, honestè vivit, & ab omnibus honesta reputatur, donec sub promissione Matrimonii facilè probanda denuò seducta se ab alio carnaliter cognosci patitur; at secuta copula, & hoc Promissore per Fœminæ Parentes, seù Consanguineos accusato, ipse ad illam supplantandam, ejus probare nititur inhonestatem, cui se statim offert ille primus verus, & quandoque fictus Stuprator ad testificandum prius eam à se fuisse corruptam, proùt id testificari non erubescit; Hujusmodi probationes similium impudentium Hominum, qui in malitia, & iniquitate gloriantur, nemo huc usque coram nobis exhibere tentavit, quia protestati sumus, & protestamur, quod si aliquando similis Stuprator, sæpè etiam fictus, Puellam ab omnibus reputatam honestam ita dehonestare præsumpserit, prævia carceratione, illum ad dotandum, vel nubendum, seù ad subeundam pœnam Stupratori renuenti nubere, vel dotare de jure debitam condemnare non dubitabimus, maximè namque alienum esse debet ab Homine nedum Christiano, & Catholico, sed etiam honesto tàm grave facinus propria ostentandi peccata, & cum infamia, injuria, & damno Proximi scandalosè publicandi ejusdem Proximi etiam verum, sed occultum delictum, ad cujus proinde famæ restitutionem, damnorumque omnium refectionem sub pœna amissionis æternæ beatitudinis omninò tenetur *D. Thom. 2. 2. quæst.6. artic.2. Henno Theol. tract.1. disput.6. quæst.10. artic. 3. conclus.1. & seqq. Sot. in 4. distinct.15. quæst.4. num.4. P. Hieronym. à S. Helena in Medull. Theol. Salmaticens. tract.8. num.33. & seqq. Layman lib. 3. de Just. tract.3. par.2.cap.6.num.2. Less. lib.2. cap.11. dub.19. Navarr. in Manual. cap.18. num.45.* vel Conjugio, aut saltem Dote *Rot. coram Emerix Jun. dicta decis.1226.num.10 tom.3.* utpote Puellæ ab ipso infamatæ iniquissimus Deflorator, & ad claudendam Januam huic sceleri, ac peccato gravissimo irremissibili sine restitutione expediret, quod à quibuscumque Tribunalibus hujusmodi attestationes, seù verius detractiones rejicerentur.

Constito autem de Stupro Matrimonii promissione qualificato, & de repromissione, ac honestate Puellæ Defloratæ, neque hoc etiam casu semper, & indistinctè devenimus ad coactionem Stuprantis, ut adimpleret cum actuali Matrimonio promissionem, a qua coactione abstinere debet Judex, etiamsi lis vertatur inter æquales, quoties rationabiles concurrant causæ eamdem coactionem 97
vetantes *Cap. Ex literis 10. de Sponsal.* = ibi = *Nisi rationabilis causa obstiterit* = & unanimiter advertunt *Fontanell. de pact. nupt. claus.12. gloss. unic.*

unic. n.6. Mantic. de tacit. & ambig. lib.3. tit. 17. n.6. Piton. discept. Eccles.52. n.79. Rot. decis.374. n.4. cor. Cels. & dec.19.n.2.par.10. recen. & decis.979. n.1. cor. Molines tom.4.

Quemadmodum igitur Stuprator honestæ Virginis, quando non urgent probationes, seu vehementes conjecturæ pro calumnia, est carcerandus, nèque a Carceribus habilitandus, sed in ipsis suas defensiones explere debet, saltem juxta opinionem *Roynald. observat. Crimin. cap. 23. §.4. 5. & 6. n.142.* ita Stuprator ad ineundum Matrimonium cogi non poterit, si ex longa ipsius Stuprantis car-
98 ceratione, passisque ærumnis, gravibusque expensis capitale odium, ac inimicitia irreconciliabilis inter Stuprantem renuentem inire Matrimonium, & Stupratam, ejusque Genitores, seu Consanguineos, aut affines querelantis exorta fuerit *Gabriel. cons. 166. n.7. & seq. lib. 2. Rot. decis.374. n.7. cor. Cels.* = ibi = *Concur-*
99 *rit etiam odium, & inimicitia inter prædictos absque ulla spe reconciliationis, nam quando adest periculum scandali, vel mali exitus, seu quod Matrimonium sequatur in perniciem, non est procedendum, ad coactionem* = Item *decis.979. num. 3. cor. Molines tom. 4. & decis. 1285. sub n.5. vers. Sive respiciamus ad carcerationem, & decis.1226.num.9. tom.3. cor. Emerix Jun.* = ibi = *Quia eum ipse fuerit ab eodem Arcangelo Dorotheæ Patre criminalitèr accusatus, & ex hac causa spatio duorum annorum in carceribus detentus, & graves expensas subsi-*
100 *nuerit, dici debet inter eos odium, & inimicitia suborta, ob quæ ille cogi non debet ad effectuandum Matrimonium* = cæterisque adductis hoc idem resolutum fuit in *Pampilonen. Sponsalium super Censuris 7.Febr.1718. §. Concludentius cor. Herrera* = ibi = *Concludentius quia dubitari non potest, quin ex tot, tantisque divexationibus ad instantiam dictæ Annæ Mariæ per Joannem Baptistam passis, gravis inimicitia, & magnum odium inter*
101 *ipsum, & Annam prædictam fuerit subortum, ex quo sicuti sufficiens ratio desumitur pro divortio inter Conjuges decernendo &c. ita plusquam sufficiens habetur causa pro resiliendo a Sponsalibus de futuro &c. & consequentèr pro abstinendo a præcisa, & finali coactione, cum majus malum sit* 102
Sponsum ad Matrimonium de præsenti cum perpetuo odio compellere, quàm Sponsalium fidem frangere =

Idem dicendum, si fuerit super Sponsalibus lis contestata, & acerrima substentatione in longum tempus 103
traducta, hæc enim sicuti pariter livores excitat, ac animos ad indignationem vertit, imò aversionem Promissoris a Matrimonio designat, ita justum, & rationabile præbet fundamentum, ne Promissor ad illius effectuationem cogatur *Mantic. de tacit. & ambig. lib. 3. tit. 17. n.17. tom. 1. Rot. decis.207. n.9. par. 1. recen* = ibi = *Advertebant etiam DD., quod cum versemur in assertis Sponsalibus, quæ Thomas semper impugnavit substinendo litem in pluribus instantiis veniendo ad Curiam, & faciendo alias omnes sibi possibiles diligentias, non debet cogi ad contrahendum Matrimonium, stante præcipuè, quod inter ipsum, & Isabellam malevolentiæ, atque odii semina exorta sunt, ex quo ipse illam inhonestatis, maleficii, aliarumque turpium rerum oppositione fœdavit &c. Siquidem Matrimonia coacta, ut plurimum, exitus parum felices sortiuntur* = & idipsum tenuit in *dec.1112. num.5. cor. Seraphin. & dec.296. n.9. cor. Dunoz. Jun. & dicta dec.1285. sub n.5. §. Causa autem vers. Sive ad litis contestationem cor. Emerix Jun. tom.3. & in Lunen. Sarzanen. Sponsalium 28. Junii 1694. §. Cæterum cor. Pio, & in d. Pampilonen. Sponsalium super Censuris 10. Febr.1718. §. De constanti cor. Herrera, & d. dec.979. num.3. cor. Molines tom.4.* = ibi = *Concurrente præsertim diuturna litis continuatione, quæ sicuti animorum exacerbationem inducit, ita justam præbet causam dissolvendi Sponsalia* = Quidquid secus dicendum esset, quando nèc grave odium, nèc maximam inimicitiam ex brevi, non diuturna, nèc acerrima lite inter Sponsos ortam fuisse timeri posset, in quibus terminis procedere 104

pinamus sententiam *Rot. in Majoricen. Sponsalium* 25. *April.* 1745. §. *Ultim. cor. R.P.D. Buss.*, vel quando facilis est indoles Sponsi non tàm suo, quàm alieno consilio reluctantis, quibus stantibus, procedere posse pariter opinamur alteram in *Reatina Sponsalium* 29. *Januar.* 1753. §. *Consanguineorum cor. eod.*, ut cum illis mox allegatis, aliisque similibus concilientur.

Aut si post Sponsalia alter Sponsus, altero non contradicente, expressè, vel etiam tacitè a Sponsalibus recesserit, aut alteri Sponso causam recedendi dederit, veluti si probata fuerit Sponsi, vel Sponsæ fornicatio sivè ante, sivè post Sponsalia, etiam si Sponsa vi fuerit oppressa, dummodò tamen Sponsus fornicationem ante Sponsalia commissam ignoraverit, nam si scienter, & voluntariè Sponsus cum Deflorata Sponsalia contraxerit, vel Sponsa fidem dederit Viro antea lupanar palam, eaque non ignorante frequentanti, (prout quamdam nobilem Puellam Juveni æqualis conditionis, sed cum Meretrice morbo gallico laborante per Satellites prius reperto, ac publico, sibique noto, & una simul corpore a natura vitiato lætanter nubere vidimus) tunc uterque censetur cessisse Juri suo, & consequenter nèc Sponsa Sponsi, nèc respectivè Sponsus Sponsæ pravos mores amplius reprobare potest, nisi nova supervenerit causa *Can. Horrendus* 32. *quæst.* 5. & cum hac distinctione intelligendus est alter quoque *textus in Cap. Quemadmodum* 25. *de Jurejurand.* = ibi = *Siquis juravit se ducturum aliquam in Uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illum non ducat in Conjugem* = juxta notata per *gloss.* ibidem *verb. præcedentem*; vel si alter ex Sponsis palam declaraverit se nolle amplius adimplere Sponsalia, sivè annulum ab altero receptum alteri retromiserit, sivè quemlibet alium fecerit actum indicativum recessus a Contractu, & alter Sponsus non reclamaverit, ut pluribus relatis firmavit *Rot. cor. Ansald. dec.* 516. *n.* 24. *tom.* 5.

Aut tandem si Stuprator expressè, ac constantissimè pluries protestatus fuerit se nolle unquam Matrimo- 105
nium cum Deflorata celebrare,
etiamsi opus foret in Carcere perpetuò, & usque ad obitum miserrimam
ducere vitam, & quibuslibet cruciatibus se subjicere, quo casu pariter
Judex abstinere debet a compulsione,
ne Matrimonia, quæ libera, non coacta esse debent *Cap. Requisivit* 17. *de
Sponsal.*, quæque ex mutuo, ac spontaneo utriusque consensu substantiantur, ob ejusmodi coactionem destituta remaneant prædicto essentialissimo
requisito, & per consequens nulla, irrita, ac invalida reddantur, & ver- 106
tantur in abominabile scortum, ut ex
text. in Cap. 1. *de pact.* in proposito
ratiocinantur *Gabriel. cons.* 186. *n.* 14.
Menoch. cons. 786. *Guttierez quæst.
Canonic. cap.* 15. *num.* 2. §. *Tertia vers.
Nisi attentis Rot. d. decis.* 1285. *n.* 6.
cor. Emerix Jun. = ibi = *Præsertim
post apertè declaratum a Carolo animum velle prius subire quodlibet præ-
judicium, quàm unquam Matrimonio 107
copulari cùm Dorothea* = & subindè
n. 7. firmat, quod Judex illum compellere debet, quem videt in sua simplicitate titubantem, secus eum, quem
cognoscit constanti animo reluctan- 108
tem, & in *Gadicen. Sponsalium* 21.
April. 1694. §. *fin. cor. Ursin. & decis.* 77. *num.* 10. *cor. Kaunitz tom.* 1. *&
dec.* 516. *n.* 20. *cor. Ansald. tom.* 5. *&
in d. Pampilonen. Sponsalium super
Censuris* 10. *Febr.* 1718. §. *Censuræ
enim cor. Herrera.*

Et ratio potissima ea est, quia
Matrimonia per licitam etiam coactionem contracta, ob liberi consensus
defectum, possunt esse nulla *Thesaur.
de pæn. Eccles. par.* 2. *verb. Matrimonia cap.* 7. *n.* 2. *in fin.* & etiam, nullitate cessante, funestos semper sortiun- 109
tur effectus *Rot. in d. Amerina Sponsalium* 22. *Nov.* 1737. §. *Itaque omnia cor. Emo Calcagnin.* qua de re
in his circumstantiis pia Mater Ecclesia ad avertenda scandala, ac mala
probabiliter contingibilia abstinet a
coactione, quantumvis indubitata intercesserint Sponsalia, primævamque
Sponsis libertatem restituit *Surd. cons.* 110
364.

364. *n.9. Decian. respons 66.num.15. lib.5. Mantic. de tacit. lib.3. tit. 17. n 17.& 18.Menoch de arbitr.cas.455. lib.2. Rot. dec.497. n.1.par. 1. divers. & decis. 242.n.2. cor. Duran. & decis.296. sub n.8. cor. Danozzett. Jun. & d. dec.979. n.3. cor. Molines tom.4.* = ibi = *Quando enim ex odio praecedentèr nato inter ipsos Sponsos, eorumque Consanguineos probabilitèr timeri potest, quod subsequens coactum Matrimonium potius malum, & infelicem, quàm bonum exitum sortiri debeat, etiamsi revera praecesserint Sponsalia, pia Mater Ecclesia, ut*
111 *majus evitetur malum se abstinere solet a coactione, & Sponsis primaevam libertatem restituere* =

Sponsalia namque non sunt ita indissolubilia, sicut est Matrimonium,
112 & ob id legitima, & rationabili concurrente causa, eaque praesertim pertinaciter persistendi in recusatione, absolutè debet a coactione desisti, ut, ultra mox allegatos, tenent *Ruin. cons.263. n.3. vers. Et plus etiam dico Gabriel. cons.186. n.14.lib.2.Rub. in annot.ad Rot.dec.431. sub num.79. par. 4. tom. 2.recen. Eadem Rot. cor. Seraphin. d. dec.1112. n.3. & seqq.*, quamvis praecesserint Sponsalia cum
113 Juramento firmata, ut communiter sentiunt Canonistae, & signanter *Jo: Andr.*, *Hostiens.*, *Ancharan.*, *Butr.*, *Abb.*, *Praeposit. in d. Cap. Requisivit de Sponsal. Sylvest. in Summ. verb. Sponsalia n.*10. Multòque magis quando Sponsalia non fuerunt jurata, tunc enim mitius est agendum, nec ita de
114 facili admittendam esse coactionem tradunt *Abb. in d. Cap. Requisivit sub n.6. de Sponsal. Gabriel.d. cons.186. n.10. vol.2. Giovagnon. cons.16.n.36. & 39. vers. Tum quia Sponsalia Sanchez de Matrim. lib.1.disput. 29. n.2. vers. Hanc videtur Rot. dec.447. n.7. cor. Cavaler. & d. dec.296. n.11.cor. Dunozzet. Jun. & d. dec.516. n.14. & 15. cor. Ansald. tom.5.* & permittendas esse Sponso, vel Sponsae renuenti nuptias cum alia, seu cum alio censuit *Sac.Congregat. Concilii in Senogallien. Sponsalium 1. Septembr. 1714.& in Majoricen. Sponsalium 24. April.1723., & in Mediolanen. & Salernit. Sponsalium 13. Junii 1725. & in Neapolitana 17. April.1728.& in Gallipolitana Sponsalium 28. Februar. 1733.*

Quibus omnibus maturè ponderatis, si absque dubio Stuprum tàm in genere, quàm in specie probatum remansit, si copulae promissio Matrimonialis accessit, si honestas Stupratae controverti minimè potuit, & si obstinata Stuprantis, vel Stupratae reluctantia non obstitit, nèque Stuprantis Parentes justam habuere contradicendi causam, eumdem Stuprantem ad ineundum praecisè Matrimonium compellimus, sed quoties coram Nobis de Stupro inter Personas praemissae speciei, scilicet inter Rusticos actum fuit, deficiente quoque promissione, tales Stupratores ad nuben- 115
dum, vel dotandum condemnati ferè semper Stupratam in Uxorem ducere consueverunt.

Alterius speciei sunt Ancillae, quarum aliqua Puella innupta, & actuali servitio alicujus nobilis, aut civilis, & honestae Familiae addicta, ab aliquo ejusdem Familiae Juvene suasionibus, blanditiis, vel precibus etiam importunis, & assiduis, aut muneribus seducta, se ab eo tandem carnaliter cognosci passa fuit, quae si- 116
militer in occasione posita, commiseratione digna videtur, at Stupratorem non alternativè ad illam dotandam, vel desponsandam condemnavimus, sed, ob conditionis disparitatem, ad ei simpliciter, & absolutè dotem persolvendam teneri decrevimus in 117
ea quantitate, quam ipsa Puella, si deflorata non fuisset, potuisset a suis habere Parentibus, seu Fratribus juxta solitum aliarum Foeminarum propriae Familiae, & praeterea ab eodem Stupratore augendam esse diximus talem dotem in tertia parte pro deteriorata conditione, prout in taxanda dote pro Puella deflorata inter 118
alios faciendum censuit *Rot. in Pampilonen. Sponsalium super Censuris 7. Febr.1718.§. Hodie in fin.cor.R.P.D. Herrera*, quae est *decis.39. inter impress. cor. eod.* probato tamen corpore delicti tàm in genere, quàm in spe- 119
cie: In specie subministrando indicia,

præsumptiones, & conjecturas, ex quibus argui posset Juvenem accusatum, fuisse Stuprantem; & in genere mediante prægnantia, & subsecuto partu *Dyn. decis. Crimin.* 37. *num.* 3.
120 *Basilic. decis.* 15. *num.* 32. aut visitatione duarum Obstetricum, præsertim si prægnantia deficiat *Cap. Causam Matrimonii* 14. *de Probat. Guazzin. ad defens. reor. defens.* 4. *cap.* 6. *num.* 5. *& 6. Farinacc. quæst.* 147. *num.* 141. *& seqq.*

Veruntamen cum corpus delicti in crimine Stupri non tantum consistat in recognitione claustri Virgina-
121 lis, quæ ut plurimum fallax est *Set. de Offic. Locumtenent. post cap.* 22. *verb. Recognitio Mulieris defloratæ vers. Quam vero sit fallax*, sicuti generaliter tota Medicorum ars, utpote mere conjecturalis, est undique fallax, & periculosa, ut post *Hipocrat.*
122 *aphor.* 1. notat *Vuames cons.* 541. *sub num.* 4. *vers. Neque allegatæ curabilitati*, sed principaliter resideat in antecedenti honestate Defloratæ, quæ omninò, & concludenter probare debet suam Virginitatem, &c. honestatem ante concubitum cum prætenso Stuprante, nam si prius ab alio corrupta fuerit, ejus Dominus, qui illam carnaliter deindè cognovit, nullam pœnam subire debet *Adden. ad Clar.* §. *Stuprum n.* 3. = ibi = *Item adde, quod cognoscens Ancillas suas non punitur &c. quod intelligendum est, si jam ab alio cognitæ fuerunt, secus si ab eo stuprantur, quoniam tunc Judicis arbitrio punitur* = cumque agatur de Ancillis, quæ præsu-
123 muntur faciles ad meretricandum *Boss. tract. var. tit. de damn. n.* 29. cujus verba retulimus in præcedenti nostro *Vot. VI. n.* 69. *Rot. in Majoricen. Sponsalium* 9. *April.* 1753. §. *Unica cor. R.P.D. Buss.* ideò quoties aliqua Famula, seu Ancilla de Stupro
124 per suum Dominum in sua persona commisso coram Nobis conquesta fuit, magis rigorosum, quàm aliæ Defloratæ, exhibere debuit præcedentis honestatis bonum testimonium proprii Parochi, aliorumque Testium fide dignorum, qui opportunam redderent scientiæ causam, & non genericè, suaque imaginatione de ea deponerent, ista namque eorum depositio 125
non relevasset *Vermigl. cons.* 72. *n.* 4. *Rot. dec.* 737. *n.* 3 *par.* 3. *recen.* Sed Parrocho potissimum inter alios Testes deferendum esse censuimus, quia ad eum spectat de suo grege illam plenam 126
habere notitiam, quam alii habere non possunt, sine qua sæpe deponunt de honestate, quia de actibus inhonestis personarum sibi neque de visu, neque de publica voce, & fama, neque ex veridica relatione notis deponere non valent, ex quo fit, quod nemo sit tam infelix in loco, ubi ha- 127
bitat, ut non habeat aliquos testes de illius bona fama deponentes *Dyn. dec. crimin.* 18. *n.* 37. = ibi = *Nemo est tam infelix in Civitate, qui non habeat aliquos de ejus bona fama, & honestate deponentes, eum in quolibet perdito homine facile in genere probetur* =

Tertia species est earum Puellarum, quæ in Oppidis, seu Civitatibus natæ, & educatæ fuerunt, pro- 128
priæ domi sub oculis Parentum, aliorumque suorum domesticorum quotidie manentes, nec nonnisi associatæ e domo exeuntes, quibus, si fuerint defloratæ, indulgendum venit vel coarctando Defloratorem ad celebrandum Matrimonium, quoties sub fide futuri Conjugii Stuprum commissum fuerit, nec illius Parentes rationabiliter obstent, vel hac promissione cessante, alternativè ad dotandum, vel nubendum, quia præsumuntur seductæ. Hanc 129
tamen præsumptionem, si fas est dicere veritatem, in hisce Fœminis raro, seu numquam admittendam esse opinamur. Quoties enim Puella quoli- 130
bet die exposita remanet oculis domesticorum, & nunquam sine fideli comite domum egreditur, si tamen deflorata fuerit, aut id accidit ex conniventia domesticorum, qui eam domi liberè cum aliquo Juvene tractare, & quotidianam consuetudinem habere permittunt, donec non seducta, sed voluntariè ad remotum Cubiculum cum eodem Juvene se conferat, ibique Stuprum patiatur, aut clàm domesticis malitiosè, & voluntariè aliquem Juvenem suum Amantem

tem in domum ad hunc finem introdu-
cit, ibique in Stuprum jam conven-
tum consentit.

Quarta species est earum Puella-
rum, quæ in Oppido, vel Civitate
natæ, non propriæ domi, ubi paupe-
res, sed honestæ Fœminæ labore
manuum sibi victum comparare solent
cum virginali modestia consistentes,
sed extra domum tota die huc illuc
vagantes quemcumque Virum sibi oc-
currentem alloquuntur, seu etiam ta-
ctus, vel ut dicunt = *pizzicotti* = pu-
131 blicè, voluntariè, & impudentèr ri-
dentes admittunt, donec pleno Cor-
pore se offerunt Curiæ querelantes
aliquem Juvenem, a quo se Stupra-
tas, ac Prægnantes violenter redditas
esse contendunt, quibus nèc dotem,
132 nèc Matrimonium cum accusato Juve-
ne est concedendum, quia hæ non
sunt Fœminæ honestæ, quippe quæ va-
gationis causa de facili pudorem vir-
ginalem, & pudicitiam amittunt, ut
habemus in *Genes. cap.* 34. *vers.* 1. & 2.
ubi quod Dina Jacobi Patriarchæ, &
Liæ Filia foris deambulans, & circum-
133 vagans a Sichem pudicitiæ cingulo
Spoliatur = ibi = *Egressa est autem Dina
Filia Liæ, ut videret mulieres regionis
illius, quam cum vidisset Sichem &c.
adamavit eam, & rapuit, & dormivit
cum illa, vi opprimens Virginem* = eo-
que magis concurrente circumstantia
tactus libenter admissi, qui solus Mulie-
rem reddit inhonestam *Grat. respons.*
134 50. *In princ. Soccin. Jun. cons.* 32. *n.* 16.
Franc. Marc. dec. 899. *n.* 10., sed in facto
sunt veræ Meretrices quibus nonnulli
piissimi Præsules exiguam dotem scu-
tor. 15. 20., & etiam 25. constituentes
eas ad bonam frugem revocare conan-
tur cum Matrimonio, quod nonnisi cum
viro paupere vilissimæ plebis, ac in-
honesto contrahere valent, qui occa-
sione nuptiarum modica dote con-
sumpta, ad comparanda deinde ali-
menta Uxorem meretricari damnabili
conniventia permittit, seu cum pro-
prio lenocinio ad Meretricium ante
Nuptias incœptum continuandum in-
ducit, quod est error pejor priore,
quia quæ prius erat simplex fornica-
tio, vertitur in Adulterium, unde
potius tales Fœminæ vel fustigandæ
sunt, & in exilium mittendæ, vel ne
deinde majori libertate publicum Me- 135
retricium exercere valeant, in pœ-
nam Carceris usque ad senectutem
condemnari deberent. 136

Quintæ speciei est ea Puella, cu-
jus Genitores Adolescentem bonæ in-
dolis ab initio Filiæ sæpissimè inco-
gnitum amantes, cum illius Familia
æqualis sit conditionis, jàm statuunt 137
eamdem propriam Filiam cum eo in
Matrimonium conjungere, & quam-
vis tunc Adolescens non ad impudi-
cos amores, sed ad Studium, seù ad
aliquam honestam professionem sit in-
clinatus, callida tamèn Puellæ Mater
variis artibus illum in propriam Do-
mum introducit, ad eam sæpè re-
deundum illum invitat, Filiam, ut
ejus amorem sibi conciliet, adhorta-
tur, eamque vane ornat, & nonnun-
quam pigmentis, seù picturis fucat,
ut illum ad lasciviam provocet, cum- 138
que Voti compos evasit, eumdem
cum omni libertate tàm ea præsente,
quàm absente cum Filia tractare, ac
secretò confabulare permittit, ex qua
inverecunda conversatione, si antea 139
etiam cum aliis Viris Puella eodem
modo conversari consueverat, suspi-
cio oritur bene fundata, quod ipsa
fuerit antè incœptam amicitiam cum 140
isto Juvene ab alio corrupta *Innoc. in
Cap. Præterea de Testib. Hostiens. ibi-
dem num.* 4. *Farinacc. quæst.* 136.
num. 113. *Chartar. decis. Crimin.* 43.
num. 7. & 8. *Soccin. Jun. cons.* 32.
num. 16. quemadmodum jàm amo-
re obcœcata probè sciens suos
Genitores cum eo Adolescente suum
futurum anhelare Matrimonium,
dum soli in aliquo Domus Cubiculo
reperiuntur, non Adolescens, sed
effrons inverecundia Fœminæ, magis
insuper quam Vir naturalitèr libidi-
nosa, illum sollicitat, & huic etiam se
fœdandam offert, atque prostituit. 141
Ad avertendum hujusmodi malum ob
introductas Juvenum etiam cum Puel-
lis Conversationes nostris hisce tem-
poribus frequentissimum, quibus am-
pliùs non verificatur, quod = *trepi- 142
dare virginum est, & ad omnes viri
ingressus pavere, omnes viri effatus
vereri* = quemadmodum de illis dixit
D. Am-

D. Ambros. lib.2. in Luc. contra simi-
les Foeminas, ultra Dotis amissionem
procedendum esset cum eo antiquo,
ac laudabili Canonum rigore, qui
Foeminam se pollui à Viro passam
143 nulli sinebat nubere Viro, teste *Gre-
gorio Magno in Epist.*17. aliàs 31. *sub
cap. de Dedicat. lib.*14. *ad Felicem
Messariæ Episcopum* = ibi = *Eam,
quam aliquis aliqua illicita pollutione
maculavit, in Conjugem ducere nulli
Christiano licèt, vel licebit* = & si
quandoque factus est indulgentiæ lo-
cus, ut Matrimonium permitteretur
inter Virum, & Foeminam concubitu
jàm foedatos, post annualem tamen
144 peractam poenitentiam id solummo-
dò concessum fuit *Can. Placuit* 36.
*quæst.*2. & deducitur ex *Eusebii Pa-
pæ Decretis, & ex D. Augustino in
lib.de bon.Conjug. cap.*14. hujusque
laudabilis observantiæ rigor vigebat
adhuc XI. labente Sæculo, ut testa-
145 tur *Ivo Carnotensis in Epist.* 16. *Wal-
terio Meldensi Episcopo directa in
princ.* = ibi = *Humilitatem meam con-
suluit vestra Fraternitas, utrum quis
habere possit eam Mulierem in Conju-
gem, quam prius habuit pellicem,
quod idcircò vobis videtur illicitum,
quia apud vos hactenùs fuit insolitum* =
& allatis exindè testimoniis, quæ
affirmativam, & negativam compro-
bare videntur, eaque conciliare con-
tendens, tandem concludit secun-
dum justitiam non licere, at nonnun-
quam esse Canonum rigorem indul-
gentia temperare permissum = ibi =
*Et habita ratione salutis Animarum
prò qualitate Personarum, pro oppor-
146 tunitate locorum, & temporum, nunc
severitas Canonum possit exerceri, nunc
indulgentiam quibus oportebit impen-
di* = quæ severitas præsertim in hoc
Sæculo, quo passim hujusmodi scele-
ra perpetrantur, adhibenda venit,
147 nam crescente malitia, poenæ debent
exasperari juxta stylum eorumdem
Sacrorum Canonum, qui eàtenus ita
Dotem, & Conjugium interdixe-
runt, quàtenus Delinquentes non
deterrebantur à vetusta Ecclesiæ Di-
sciplina, quæ damnaverat Nuptias inter
148 Seductorem, & Corruptam, sed dotan-
di obligatio in suo robore remanebat.

Nèc de severitate, prædictæ le-
gis interdicentis Dotem, atque Con-
nubium Genitores, vèl Filia conque-
ri possent, nam sibi imputent Geni- 149
tores, si Juvenem quæsierunt, in Do-
mum introduxerunt, & dum Filia
vulnus alit venis, simulque Juvenis
coeco carpitur igni, soli insimul con-
versari, ac *secretò* sermocinari per-
miserunt, donèc non extra Domum,
& in aliquo Antro, ut fingitur de
Ænea, & Didone, sed in Cubiculo
convenerunt illius Domus, ad quam
Juvenis fuit vocatus, & introductus,
ut impudico accenderetur amore, nèc
enim iniquissimi Parentes paleam igni
approximare debebant, si oriri no- 150
lebant incendium; Sibi imputet Fi-
lia, quatenùs sinè Conjugio, & sinè
Dote remaneat, nam, ultra quamquod
in præsentiarum ferè nulla Puella ve-
rè seducta præsumi potest, ipsa verè 151
seduxit Juvenem, quæ illum in Do-
mum jàm introductum modo verbis,
modo oculis, modo risu, modo va-
nis ornamentis, aut toto pectore ferè
nudato, & etiam nuda quandoque
genu sibi fecit Amantem, ipsa eum-
dem ad penetralia secreta Domus illi
penitus ignota traduxit, ubi se de- 152
florandam substravit, ideoque nèc uti
principalis rea hujus Criminis ab eo-
dem Crimine præmium reportare de-
bet, ne detur præmium peccati gra- 153
vis, & iniquitatis, nèc Deflorator in
Foro tàm interno, quàm externo te-
netur dotare, aut ducere Puellam,
quæ liberè, sine vi, fraude, vel me-
tu injustè incusso consensit in Stuprum,
nam hujusmodi obligatio per *Text.* 154
in Cap. 1. *& Cap.* 2. *de Adulter.
& Stupr.* ei tantum imponitur, qui
virginem honestam seduxit, vel de-
cepit, quod de illa dici non potest,
quæ libere in propria Domo consensit,
volenti etenim, & consentienti nulla 155
fit injuria, ut post *Text. in Cap.*27.
de Reg. Jur. in 6. in proposito docent
*Barbos. in Cap. Si seduxerit num.*2.
*eod. tit. Less. de Just., & Jur. lib.*2.
*cap.*10. *num.*9. *Pirbing. in Jus Can.
lib.*5. *Decretal. tit.*16. *num.*49. *Reif-
fenstuel. in Jus Can. lib.*4. *Decretal.
tit.*1. *n.*70. *Molina tract.*3. *de Just.
disput.*106. *num.*10.

Sub

Sub hac etiam Puellarum specie recensendam esse censuimus Filiam, cujus Genitores, licet aliquem Juvenem æqualis conditionis non invita-
156 verint, sed captus amore Filiæ ad illorum Domum non invitatus accesserit, attamen illum libenter in eamdem Domum admittunt, non semel, aut rarò, sed frequenter etiam cum murmuratione Vicinorum ei Domus ostium libenter aperiunt, humanissimè eumdem excipiunt, Filia se illi obviam præbet, eique venienti lætanter occurrit capite cincinnato, vultu fucato, brachiis, & pectore denudatis, Vestibus juxta modernum abusum more Saltatricum vix usque ad tibiarum medietatem protractis, ut à quocumque etiam modico libidinis vento facilius eleventur, cumque Puellæ Parentes eos vident reciproco amore ligatos diu, noctuque tàm ipsis præsentibus, quàm absentibus Amantem cum Filia liberè conversare sinunt, donec fœcundæ Conversationis fructus in Puellæ utero germinare noscantur, quod nonnisi stulti prævidere non poterant, unde frustra deinde Matrimonium, aut Dotem Stuprata, ejusque Genitores expostulant, tùm quia ex Parentum conniventia similes Puellæ non coactæ, vel seductæ, sed voluntarie Stupro consentiunt, tùm quia apparenter tantum, sed in rei veritate honestæ non sunt, honestæ namque Mulieres hominum conversationes, amores, &
157 tripudia nequaquam admittunt *Farinacc. quæst.* 136. *num.* 114. *&* 201. *&* *cons.* 33. *num.* 37. ideòque ex his conversationibus Mulieris inhonestas arguitur *Bursatt. cons.* 445. *num.* 33. *lib.* 4. *Farinacc. quæst.* 136. *num.* 127.

Majori quidem ratione cum hac antiqua Canonum severitate procedi debet contra Puellas sextæ speciei, sub qua versatur ea, de qua agitur,
158 quæ licet sit infimæ conditionis, adhuc Nobili Juveni se prostituit cooperante ambitione Parentum, & præcipuè Matris, quæ Nobili Adolescenti Filiam in Matrimonium locare exoptabat; Nèc dici potest, quod ipse Adolescens Puellam seduxerit, sed illum allicere, atque seducere Mater, & Filia tentarunt. Sciebant enim illius conditionem, & eumdem, instante ejus Patre, habuisse præceptum de 159
non accedendo ad earum Domum, & quamvis ad consulendum famæ Puellæ idem præceptum de non admittendo illum in Domum, nèc de conversando &c. per nos factum eidem Puellæ quoque non esset, adhuc à nobis oretenus Mater, & Filia admonitæ fuerant, ne illum in Domum, neque die, neque nocte reciperent, & nihilominus debitam obedientiam exigere non potuimus. Non ignorabat Mater tactus, amplexus, & oscula, quibus 160
Filia consenserat, unde nil aliud expectare deinde poterat, quam carnalem copulam juxta illud Poetæ dictum = *Visus, & alloquium, tactus, post oscula factum* = Sciebat ex relatione Filiæ, quod Adolescens *illam ad carnalem copulam sollicitaverat*; Ignorare non poterat Filia se ab eo fuisse ad copulam sollicitatam, & ta- 161
men, contractis deinde Sponsalibus, sæpè sæpius noctis tempore Mater eos solos Domi relinquere non abhorruit, 162
& Filia sola cum solo Domi consistere non erubuit, non obstantibus Vicinorum Murmurationibus, gravique scandalo, quod ex ipsa Matris querela, & respectivè examine Filiæ, ac Testium depositione comprobatur, quod eo indigno fine factum est, ut Matrimonii Sacramentum fœdissimi Stupri pretium evaderet contra *Apostoli* monitum *ad Hebr. cap.* 13. *vers.* 4. = ibi = *Honorabile Connubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim &c. judicabit Deus* = in 163
quibus terminis profectò nèc ullo modo, contradicente Juvenis Patre, Matrimonium, & ob seductionis de- 164
fectum, nèc ipsam Dotem locum habere posse censuimus.

Quod enim attinet ad Matrimonium, nullatenùs obstat, quod non versemur in casu promissionis *verbaliter* factæ per Virum calore libidinis ad facilitandam copulam, per quam promissionem non veram, propter defectum præcisi, & deliberati consensus, ut jam supra diximus *num.* 79. *& seqq.* Stuprator non Sponsus, sed Seductor Virginis censeri debet, qui non nec-

cessariò illam in Conjugem habere,
165 sed pro sua optione eam vel ducere, vel dotare tenetur, sed in duriori casu reperiamur promissionis Matrimonii non *verbalis*, sed *in scriptis* nonnullis diebus ante Stuprum redactæ, sub cujus Matrimonii spe, & feria, non ficta pollicitatione Nuptiarum præcedenter *in scriptis* emissa Deflorationi deindè Puella consensit, per quam promissionem, licèt etiam ficta fuisset, adhuc quia fictus Promissor saltem in hoc casu æquiparatur vero,
166 cogitur Puellam à se Defloratam desponsare, ut magistraliter firmat *Rot. coram Caprar. decis.*304. *num.*2. & in ejus Confirmatoria *decis.*319. *num.*1. *tom.*1. In hac enim facti specie non attendenda solummodò venit obligatio emergens ex delicto Stupri, & damno virgini seductæ, ejusque Parentibus illato, verum etiam ex natura Contractus, in quo ex parte Viri, promissis futuris Nuptiis prò corporis traditione, & ex parte Mulieris, facta sub hac promissione per ipsam acceptata actuali traditione Corporis, Contractus jam perfectus dicitur, & ultrò, citròque obligatorius, vi cu-
167 jus nullus superest pœnitentiæ locus, & Vir est omninò cogendus stare Sponsalibus, ac violatæ Sponsæ servare fidem *D.Thom.tom.*7. *in* 4.*dist.*28. *quæst. unic. artic.*2. *ad* 4. *D.Antonin.* 2. *par. tit.*5. *cap.*6. §.1. *vers. In fine autem Fagundez in* 6. *Decalog. præcept. tom.*2. *lib.*6. *cap.*5. *num.* 12. *Dicastillo de Justit. lib.*2. *tract.*2. *disput.*7. *dubit.*9. *num.*128. *Portell.tom.*1. *part.*3. *resp. Moral. cas.* 6. *per tot. Ciarlin. contr.*174. *num.*70. *tom.*2. *Zipæus respons. Can. tom.*1. *lib.*4. *resp.*3. *tit. de divors. per tot. Layman. lib.*5. *tract.*10. *par.*1. *cap.*1. *num.*11. *Rub. in annot. ad decis.*431. *num.*89. *par.*4. *tom.*2. *recen.* & pluries firmavit *Rota* & signanter *decis.*163. *num.*20. *& seq. par.* 9. *tom.* 1. *recen.* = ibi = *Dum Angela ex promissione Joannis tradidit eidem Corpus suum, ac passa fuit deflorationem, partem suam adimplevit, undè alter tenetur etiam adimplere* = & rursus *num.* 23. = ibi = *Nèc tali casu satis est pecuniis satisfacere &c. & Sponsalia contrahens, ac sub spe futuri Matrimonii virginem deflorans, tenetur eam ducere* = & pariter *decis.*23. *num.*15. *&* 16. *cor. Lancett. tom.*1. *& in Camerinen. Sponsalium* 12. *Junii* 1711. §. *fin. cor. Priol, & in Leodien. seù Aquisgranen. Sponsalium* 3. *Febr.* 1741. §. *Cum itaque cor. R. P. D. De Thunn.*

Hujusmodi namque rationes, per quas, mediantibus Sponsalibus, & subsequenti Stupro stultissimi Adolescentes, atque impudentes Puellæ in casibus diversis cauponantur Ecclesiæ Sacramenta, in hypothesi nullo modo attendendas esse opinamur sivè vera, sivè ficta fuerit futuri Conjugii promissio, nam ultraquamquod cogere Defloratorem Nobilem ad desponsandam Mulierculam ab ipso deflora- 168
tam idem est, ac meliorare Defloratæ conditionem mediante Conjugio cum Viro Nobili in præmium commissi peccati, & præbere ansam eidem Fœminæ, ne unquam se peccasse pœniteat, quæ potiùs, dummodò commodè vivat, & pacem habeat cum Viro, gaudebit de peccato, quoties recogitaverit, quod sinè illo ad talem statum non pervenisset; Si vero post Contractum Matrimonium inter Conjuges jurgia, diffidia, maledictiones, & verbera &c. oriantur, pœnitebit quidem Fœminam se illi prostituisse, eique nupsisse, at non propter peccati gravitatem, Deique offensam, sed propter Viri tyrannidem non expectatam.

Accedit insuper, quod dum non Vir Puellam, sed ipsa se decepit, quia ob natalium disparitatem sibi notam, contradicentibus maximè Viri Parentibus, controversum Conjugium sperare non poterat *Sanchez de Matrim. lib.*1. *disput.*10. *num.*6. *& disput.*14. *num.*1. *tom.*1. *Piton. discept. Eccles.*52. *num.*65. *Layman. lib.* 5. *tract.*10. *part.*1. *cap.*1. *num.*11. dum non Puella, prout in casu, sed Juvenis seductus fuit, & positus in occasione eo, quia Mater solum cum Filia eumdem relinquebat, dum hujus Parentes dissentiunt propter ignominiam ex Nuptiis sibi irrogandam, dum Consanguinei Stuprantis minati sunt mortem hujus Stupratæ Genitoribus, si Con-

Conjugium sequatur, ex quo potissimum evidentèr scandalum imminet, parumque felix, imò infelix exitus, & timetur, & prævidetur, ac constat,
169 quod Matrimonium absque peccato perfici nequeat, nèque Sponsalia, nèque Stuprum obstant, quin possit, imò debeat, implorato quoque Judicis auxilio, Conjugium à Parentibus impediri *Ferdinand. de Valent. discept.5. num.31. de re Eccles. Dicastillo de Just. lib.2. tract.2. disput.7. dub.9. num.128.* = ibi = *Asserendum quinto si Violator promisit Conjugium, & eâ spe, seù conditione Virgo in copulam consensit, tenetur eam ducere* = & deindè *num.129.* = ibi = *Si tamèn verè promisit Nuptias, in omnium sententia tenetur eam ducere, nisi timerentur damna aliorum* = & rursus *num.133.* = ibi = *Deindè etiam restitutio sufficit, quando timetur ex Matrimonio scandalum, vèl malus exitus, vèl grave damnum futurum* = apertius *Idem tom.3. de Sacram. in tract. de Sponsal. disput.1. dub.10. num.161.* = ibi = *Etiamsi secuta fuerit Virginis defloratio; Etenim etiam quando promissio fuit non ficta, tenetur quis ad evitanda talia scandala non contrahere cum ea, quam sub spe talis promissionis defloravit* = idque confirmat *disp.4. dub.18. num.181. Gibalin. de Usur. tom.1. lib.3. cap.2. artic.6.* ubi de Violatore virginis sub ficta promissione Matrimonii *num.5.* sic resolvit = ibi = *Neque enim ficta promissio, & Sponsalia magis obligare possunt, quàm vera, & quæ causæ permittant istorum dissolutionem, illorum quoque rescissionem patientur. Quare si grave aliquod scandalum ju-*
170 *rè meritò timeatur ex futuro illo Matrimonio, & ut loquuntur, malus aliquis exitus, non erit contrahendum sivè verè, sivè fictè fuerit promissum* = convenit *Cosmas Philiar. de Offic. Sacerd. tom.1. par.2. lib.4. cap.17.* = ibi = *Deflorator virginis si promisit se illam ducturum sivè ex animo, sivè fictè,*
171 *tenetur eam ducere, nisi essent valdè inæquales genere, vèl divitiis &c. Idem dicendum est de eo casu, quo promissio fuit vera, & ex animo facta, sed probabile est, quod ex illo Matrimonio grave aliquod scandalum oriretur* = & de Viro Nobili, qui seriò promittens Conjugium Virginem violavit *Anton. à Spirit. Sanct. in Direct. Confess. tract.10. disput. 1. sect.8. num.58.* sic ait = *Tunc ratione promissionis veræ debitus esset totus ille excessus, ad quem reddendùm Promissor seriò, & conscius notabilis excessus se obligare voluit. Hoc tamen* 172
intelligi debet secluso scandolo, vel malo exitu Matrimonii = nec dissentit *Nald. in summ. verb. virgo n.3.* = ibi = *Virginem deflorans cum promissione illam ducendi, tenetur servare promissionem. Limitatur tamen hæc sententia &c. si ex tali Matrimonio magnum scandalum, aut detrimentum timeretur* = 173
iisdem fere verbis loquitur *Marc. Serius de Offic. Paroch. tract. 2. de restit. disput. 5. difficult. 2. quæst. 7. num. 1.* = ibi = *Qui virginem defloravit, Matrimonium vèl verè, vèl ex animo promittens teneri eam ducere est communis DD. sententia* = & subinde *num.4.* = ibi = *Non tenetur eam ducere, si aliquod grave damnum vèl* 174
scandalum ex tali Matrimonio sequatur = egregie *Petr. Marchant. in Tribun. Sacram. tom.2. tract.7. tit.1. quæst.2. §.3. dub.2. resolut.2.* = ibi = *Qui virginem defloravit promittens ei Matrimonium tenetur eam ducere. In casu autem, quo illam ducere non posset, tenetur eam dotare. Casus il-* 175
li sunt: magna personarum inæqualitas, grandes Parentum inimicitiæ, gravia secutura odia &c. = optime *Reginald. in prax. For. Pœnitent. tom.2. lib.31. cap.35. num.255.* = ibi = *Ultima propositio est fictè promittentem, qui sub ea promissione virginem defloravit, teneri sub mortali eam ducere &c. Limitanda est autem propositio hæc, ut non procedat, si ex Matrimonio scandalum magnum, aut malus exitus probabilitèr timeatur,* 176
quia tunc satis esset pecuniis damnum illatum resarcire, etiamsi Sponsalia essent vera = fusiùs *Trullenc. in exposit. Decal. tom.2. lib.7. cap.9. dub.3. num.1.* = ibi = *Si deflorans virginem ipsi verè, & ex animo Matrimonium*

promisit ; tenetur eam ducere &c.
quod limitant , modo ex adimpletione
promissionis non sequatur grave ma-
lum , vèl grave scandalum , aut in-
177 commodum , ut graves rixæ inter Pa-
rentes Contrahentium , quia justitia
non obligat ad faciendum malum , ma-
ximè si Stuprator esset dives , & po-
tens , Puella vero , quam violavit, es-
set persona vilis , & pauperrima , &
non conveniit eo in casu illam ducere =
similiter Gregor. de Valent. tom.3.
Comment.Theol.disp.9.quæst.3.punct.3.
pag.1574. vers. In specie = ibi = Vio-
lator virginis tenetur eam ducere , si
virgini Matrimonium promisit verè ,
178 & ex animo , si Sponsæ ipsæ non sint
adeo conditiones dispares , ut ob eam
inæqualitatem secutura videantur ma-
gna incommoda in Matrimonio tali =
nèc non Lopez in Instruct. conscient.
par.1. cap.76. quæst.3. ubi Deflorato-
rem teneri ducere Defloratam sub
promissione vera , vel ficta Matrimo-
nii cum ea duplici limitatione docet =
ibi = Primo nisi valdè inæquales ge-
nere , vèl divitiis essent &c. secundum
vero , si est probabile , quod ex tali
Matrimonio grande aliquod scandalum
179 oriretur = eamdem Sententiam tue-
tur Cordub. in quæst. Theol. lib. 1.
quæst.13. dist.1. = ibi = Quicumque ve-
rè promisit se virginem ducturum in
Uxorem, sivè eam cognoverit, sivè non,
regulariter tenetur promissum adim-
plere . Dixi regularitèr , quia est ex-
ceptio in aliquibus casibus ; puta si ex
tali Matrimonio grande scandalum
180 immineret = & pariter Sayr. in Clav.
Reg. lib.11. cap.2. num.33. = ibi = Si
deflorans virginem promisit ei Ma-
trimonium verè , & ex animo , tene-
tur eam ducere &c. Hoc tamen limi-
tant præd. DD. , ut non procedat ,
quando esset tanta disparitas , ut non
181 esset honestum illam ducere , & ma-
gna incommoda ex tali Matrimonio
sequerentur , tunc enim docent satis
esse , imò teneri ad dotandam Puellam
violatam secundum qualitatem virgi-
nis ad arbitrium prudentis Viri = &
subdit = Hanc Doctorum limitationem
consideratis circumstantiis in praxi
182 observandam esse = clarius Gobat. in
Theol. exper. tract.10. cas.3. n. 106.

= ibi = At vero si timeantur graves
rixæ inter Parentes Contrahentium ,
si diuturna horum offensa , si denique
grave scandalum , irrita sunt Sponsa-
lia, & extendit Sanchez etiam ad ca-
sum , quo Virgo esset Deflorata spe
Matrimonii , sed ego doctrinam San-
chez approbo in casu , quo pietas , ca- 183
ritas , aut alia similis virtus clarè
prohibet nuptias cum tali = & deindè
cas.8.n.335. = ibi = At quid si Sponsus
spe Matrimonii impregnet Sponsam ,
& Pater minetur exhæredationem , si
ducat ? Sanchez diceret teneri desere- 184
re illam adhuc impregnatam , si secu-
tura sit perpetua offensa Patris = ad-
dimus Bartholom. a S. Fausto in spe-
cul. Confess. par.1. de restitut. disp.8.
quæst.8. in princ. qui postquam resol-
vit Virginis Defloratorem , qui verè
promisit eam ducere , teneri etiam
cum proprio detrimento servare fi-
dem, subjungit = ibi = Sed quid dicen-
dum de eo casu , quando promissio fuit
vera , tamen probabile est , quod ex
tali Matrimonio gravia incommoda se-
querentur ? Respondeo si talia incom-
moda fuerunt prævisa , vel de facili
prævideri poterant a Stupratore, tunc
videtur esse obligatus ad ducendam 185
eam , quia sibi imputare debet damna,
quæ eveniunt sibi . Quod si damna
sint aliorum , scilicèt Parentum , vel
Propinquorum, tunc non tenetur eam
ducere , sed damnum reparare , tri- 186
buendo quanti plurimi æget ad alteri
pro sua conditione nubendum = toti-
dem ferè verbis quæstionem quoque
resolvit Azzor. Instit. Moral. par. 3.
lib.5. cap.5. difficult.2. pag.366. = ibi =
Difficultas 2. est , an qui ex intentione
animi promittit se ducturum Uxorem,
quam corrupit , teneatur eam ducere
etiam in casu , quo sit in vitæ statu
longè superior &c. Respondetur eum
esse obligatum &c. Aliud vero est in
eo casu , in quo secutura creduntur
multa , & magna incommoda , nam
tunc videtur distinguendum , si enim
ea incommoda &c. prævideret , tunc 187
videtur esse obligatus ad ducendam
eam , quia sibi imputare debet damna,
quæ eveniunt sibi; Quod si damna sint
aliorum , & non sua , tunc non tene- 188
bitur eam ducere, sed dotare = Idipsum
fir-

firmat Sanchez lib.1. disput.9.num.10.
vers. Similitèr, & disput.14. num.3.
tom.1. Sponsalia nempè nequaquam
189 esse servanda, quando adest scanda-
lum cum Navarr. Lopez, Capua aliis-
que, & deindè subjungit = ibi = Qui
loquuntur quamvis secuta sit Virginis
Desloratio sub ea spe Matrimonii fu-
190 turi, quod quidem verissimum est pro-
pter rationem dictam = Ratio autem
desuper per eum adducta hæc est =
Quia virtus Justitiæ obligare nequit
191 ad actum, quod sine peccato adimple-
ri non potest = novissimè Stephan. Abb.
in Theologo Principis cap. 4. dub. 1.
& 2. per tot. ubi concludit, quod Vir
Nobilis Puellam disparis conditionis
a se Desloratam non ducere, sed do-
tare tantummodò teneatur sivè verè,
sivè fictè promiserit. Idem denique
docet D. Joann. a Cruce in Director.
Conscient. de 7. præcept. Decalog. tit.
de restitut. artic.2. dub.4. = ibi = Vio-
lans Virginem promittendo eam duce-
re in Uxorem, ad id tenetur per se-
192 loquendo, nam aliquoties ad illud
non tenetur Violator Virginis; Primò
si sint multum dispares; Secundò si
grandia scandala ex illo Matrimonio
probabilitèr timentur =

Nullatenùs refragante, quod
193 promissioni Stupro præmissæ additum
quoque fuerit Juramentum, quo casu
quidem non quælibet causa a futuro
ineundo Matrimonio promittentem
excusat, ut obiter dixit Rot. cor. An-
sald. dec. 516. n.8. tom.5. quia nihilo-
minùs, quoties timetur grave scanda-
lum, non est cogendus Promissor ad
committendum peccatum, nèc ad
præbendam aliis peccandi occasionem
per ea, quæ prænotavimus in Vot. IV.
n.57. & seqq., & apertissimè docet
Tolet. Instruct. Sacerd. lib.5. cap. 11.
n.1. = ibi = Si rursus promisit (vide-
licet Stuprator) illam ducere, aut
cum Juramento, aut sine illo, quam-
vis verè promiserit, & possit ducere,
si tamen timetur grave aliquod scan-
dalum, sufficiet dotare = consonat
Tamburin. in Decal.lib.7. cap.5. §.3.
num.34. = ibi = Si fuit vera promissio,
multò magis si jurata, Desloratorem
obligari ad Nuptias celebrandas, &c.
194 nisi legitima accedat excusatio, cer-
tum est = & infra n.39. = ibi = Excusa-
bitur &c. si ex tali Matrimonio pro-
babilitèr timeatur oriturum magnum
scandalum, vel fore malum ejus exi-
tum per rixas, discordias &c. sicuti 195
enim hæc dissolvunt Sponsalia, ita &
promissionem de qua loquimur = simul-
que Graff. par.1.lib.2. dec.aur.cap.79.
n.3. = ibi = Desflorator Virginis, qui
animo vero, seu ficto ad decipiendam
eam per prius promiserat eam ducere
in Uxorem &c. est adstringendus ad
servandum ei fidem &c. quod multò
magis procedit quando se ad id Jura-
mento adstrinxerat; Quod intellige,
nisi probabile esset, quod ex Matrimo- 196
nio consecuturo grande aliquod scan-
dalum nasceretur = & æquè clarissimè
Magister Acac. March. de Velasco in
suis Resolut. Moral. hispanicè elucu-
brat. tom.1. sub verb. Donzella reso-
lut.372. n.8. cujus verba ita latinè so-
nant = Dico 4. qui promisit Puellæ
eam ducere, si consentiret Stupro, & 197
ipsa consensit, tenetur contrahere Ma-
trimonium sub lethali culpa per se lo-
quendo = & infra n.9. = ibi = Dixi sub
initio per se loquendo, nam in ali-
quibus casibus non tenebitur ipsi nube-
re, quamvis non fictè, sed verè etiam
interposito juramento promiserit; Pri-
mò si longè sint Natalibus dispares;
Secundò si cum fundamento timeantur 198
gravia scandala ex Matrimonia secu-
tura = in puncto Konig. princ. Jur.
Can. lib.4. Decretal. tit.1. de Sponsal.
n.71. = ibi = Si Parentes tenuioris for-
tunæ Filiam indotatam locupleti lo-
care cupiunt, & fallaciis Adolescen-
tem inducant ad dandam fidem de 199
Conjugio, Sponsalia quamvis jurata
sint, vel etiam coitu confirmata, re-
tractari queunt = His accedit magna
auctoritas D. Antonin. part.2. tit.5.
cap.6. §.1. circ.med. = ibi = Et si pro-
misisset eam ducere in Uxorem, ut co-
pulam ab ea extorqueret, servet pro-
missum, & multò magis Juramento
firmatum; Et hoc nisi nimis distans es-
set eorum conditio, puta Mulier ple- 200
beja, Vir Nobilis, vel etiam si ma-
gnum scandalum inde creditur pro-
venturum =

Quibus adhærent etiam Jurispe-
riti, & signanter Navarr. in Manual.

cap.16. n.18.tom.2. = ibi = *Si promittit* (scilicet Deflorator) *se ducturum eam sivè promittat ex animo vero, sivè ad decipiendam eam ficto, obligatur ad implenda promissa &c. & multo magis, si id Juramento firmavit; Nisi essent valdè inæquales genere, potentia, vel divitiis, puta si Vir esset Nobilis, & illa Agricolæ cujuspiam, vel artificis mechanici Filia, eo enim casu &c. judicio nostro non obligatur ad amplius, quàm ad dandum ei tantum, quantum opus habet ad talem adipiscendum Maritum, qualem, si non esset infamata, adipisceretur &c. Idem dicendum in eo casu, quo promissio fuit vera, & ex animo facta, sed esset probabile, quod ex Matrimonio eam consecuturo grande aliquod scandalum nasceretur* = Item *Pac. Jordan. elucubrat. lib. 3. tit. 7. n. 51. vers. Immò tom. 1.* ubi agit de dispensatione super Denunciationibus = ibi = *Imò si Filius Virginem defloraffet data fide Matrimonii, si inter eos talis sit disparitas, ut verisimilitèr gravia scandala oritura suspicentur, non erit legitima dispensandi causa, si agatur de evitandis Paternis suasionibus contra Matrimonium &c., secus dicendum quando nulla esset disparitas* = & in durioribus terminis *Zipæus Respons. Jur. tom. 1. lib. 4. respons. Canon. tit. de divort. resp. 4. n. 4.* qui dum tueretur Virginem, præviis Sponsalibus scriptis, & Juramento firmatis, insuper sacrilego dolo coram ficto Parocho desponsatam, atque a Promissore deinde stupratam, & ad vitandum Matrimonium pro parte Promissoris opponeretur Natalium disparitas, ita concludit = ibi = *Et propterea qui tradunt inæqualitatem Contrahentium obsistere Sponsalibus, accusant, quod ex inæqualibus Nuptiis scandala, odia, similiaque incommoda oritura sint, qualia evitare jubeat caritas, & quæ sine peccato admitti vix possint* = quia nullatenùs præponderare debet caritati vitium *D. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 16.* & in eo etiam durissimo casu, quo fuerat Mulier, præviis Sponsalibus, a Promissore violata, pluribus subsequentibus annis cum illo versata, & plures, ex ejus

201 (margin, beside "si essent valdè inæquales")
202 (margin, beside "gitima dispensandi causa")
203 (margin, beside "odia, similiaque incommoda")

Concubitu conceperat, & pepererat Filios, quod non esset cogendus nihilominùs Deflorator ad nuptias, quia, subortis inter Sponsos odii, ac malevolentiæ seminibus, meritò metuendum erat, ne Conjugium parum felicem haberet exitum, obsequendo ex hac ratione *sacris Canonibus* in judicando tenuit, & ut a Nuptiis abstineret Viro permisit *Ciarlin. contr. forens. lib. 2. cap. 174. per tot.* & signantèr *n. 77. 78. & 79.* undè incautæ Mulieres, eorumque indigni Parentes falsò persuasum habent, quod Sponsalia per fas, nefasve contracta, accedente Stupro, revocari non possint, prout animadvertunt in suis casibus *Cosp. nel Giudice Criminalista par. 3. cap. 38.* latæ *Ursaya Instit. Crimin. lib. 2. tit. 7. a n. 111.* prorsusque vana est eorum cantilena, qui Mulierculæ Stuprum sine Matrimonio esse malum irreparabile clamant, dum illis, ultra relatos, opportunè respondet *Card. de Luc. de Dot. disc. 142. n. 76. in fin.* = ibi = *Juxta notissimam praxim excessus Dotis de facili sanat istam plagam, tùm quia non desunt alia remedia, cum quibus futuræ honestati, ac Parentum famæ consuli potest, per ingressum nempè in Monasterium, vel Conservatorium &c.* =

Adstipulatur tandem nostræ Sententiæ *Sac. Rot. Rom. dec. 19. par. 10. recen.* ubi iterum ad trutinam revocata Causa inter Fœminam, & Virum, qui benè conscius de illius infima conditione, cum prævia promissione futuri Matrimonii eam carnaliter cognoverat, ideòque ad favorem Mulieris pro adimplemento promissionis antea pronunciandum esse censuerat, re maturius discussa, ex noviter deductis, a decisis recedendum esse existimavit non solum quia probata fuit subsequens Sponsæ fornicatio, verum etiam ex altero motivo, de quo *n. 45.* = ibi = *Ulterius constat etiam de gravi indignatione Parentum, &c. & Consanguineorum, de odio, & maxima animi aversione in Sponso contra Sponsam excitatis, nèc non de imminenti scandalorum periculo, ac de maximo infelicis exitus timore, casu quo sequatur tale Matrimonium* = & exinde

de *n.*55. *&* 56. Juribus , ac rationum momentis has causas , ut recedi possit a Sponsalibus,sufficientes esse confirmat postquam antea *n.*28. præmiserat , quod vinculum Juramenti non adeo firmat Sponsalia , ut, accedente justa causa,ab eis recedere non liceat.

Hinc quilibet Judex timoratæ conscientiæ , si allatæ concurrant causæ , non obstantibus Sponsalibus, Juramento , & copula , sive Stupro sub spe , aut promissione futuri Matrimonii per Mulierem passo , nullo modo debet in hisce casibus virum ad Matrimonium contrahendum compelle-
210 re , sed potius etiam ex officio inhibere ne contrahat , uti ratiocinatur *Aversa de Matrim.quæst.*8. *sect.*15. *vers. Et quidem* = ibi = *Si ob notabile damnum , aut scandalum imminens non erat ei licitum cum tali persona conjugari , eique promittere , poterit justè mutare propositum , & ab illa promissione recedere, & poterit etiam a Judice inhiberi ne contrahat &c. Suadetur quia dum quis ab initio prævidebat tale damnum, aut scandalum , cum quo non poterat licitè ducere talem Conjugem , planè nec proindè poterat promittere , ac se obligare , non enim potest quisquam promittere , & se obligare ad aliquod illicitum faciendum . Poterit ergo justè , ac licitè recedere, imò tenebitur, quia adstringitur adhuc priori obligatione vitandi , seu non inducendi tale damnum , & scandalum . Quare etiamsi ipse nollet recedere , merito* POTERIT
211 *a Judice* EX OFFICIO , *vel ad instantiam aliorum , quorum interest ,* INHIBERI = qui deinde oppositas sententias , quarum altera affirmat , altera negat valere Sponsalia inter Virum, & Puellam non parum Natalibus dispares ita conciliat = ibi= *Prior enim procedit, & probat , quando imminet tale damnum , & scandalum , quia*
212 *tunc promissio est indiscreta , & imprudens, & tunc esset nimia , & illicita prodigalitos , ideo enim non tenetur quis prodigere totam facultatem ex vi suæ promissionis , quia non poterat licitè id facere* = & notant aliqui ex Auctoribus , quos allegat , *id totum intelligi , etiamsi sponsalia fuissent juramento firmata, ac etiamsi intercessisset Virginis desloratio sub promissione Matrimonii , quia adhuc præponderat tale damnum , quod ex Matrimonio impendet , dummodò sit adeo grave , & moraliter probabile , ut prudenter urgeat ad desistendum.*

Verbum autem illud = *poterit* = non hoc totum in Judicis arbitrio reponit , nam vix unquam evenit , ut , 213
contradicentibus litigantibus , sententia prorsus ex arbitrio Judicis pendeat , sed eo verbo significatur , circumstantiis æqua lance utrinque pensatis , modo hoc , modo illud deberi , nec aliud sonat , quam = *debet* = nam si poterit justè inhibere , ergo justè non poterit contrarium decernere , itaque intelligendus est *Bonaccin. Theol. Moral. tom.*1. *tract. de iis , quæ pertinent ad Matrim.quæst.*4. *punct.*17. *num.* 27. = ibi = *Ex dictis sequitur Prælatum* POSSE *impedire Ma-* 214
trimonium contrahendum a Filiofamilias cum aliqua indigna , quando ex ejus celebratione prævidet grave scandalum , ac rixas inter Parentes , vel Consanguineos secuturas, & hoc verum est , inquit Sanchez, etiamsi secuta sit copula sub ea spe Matrimonii . Hoc tamen non facile admiserim,nisi Filius alia ratione valeat occurrere damno Sponsæ desloratæ &c.aut nisi tàm grave sit scandali periculum , ut præponderet damno Sponsæ = unde patet , quod si alias Sponsæ prospici valeat , aut si ex Matrimonio imminens malum prævaleat dispendio deslorataæ 215
Mulierculæ , Judex tales nuptias impedire debeat ; utque scandalum istud a suis evellerent Diœcesibus nonnulli Antistites per *Synodales Constitutiones* irrita declararunt sponsalia clandestina etiam inter Sponsos secuta copula, uti de *Diœcesi Rhegiensi* testatur *Ciarlin. d. cap.* 174. *num.*12. = ibi = *Nec dubium est , quin talis Constitutio sit li-* 216
cita , & honesta , & valida = & de *Diœcesi Lausanensi* tradit *Gobat. exper. Theol.tract.*10. *cap.*1. *n.*11. *&* 12.

Pluribusque aliis tandem omissis, habemus enunciatum *Edictum* Emi,& Rmi D. D. Card. Guadagni Papæ Vicarii jussu s. m. CLEMENT. XII. publicatum *die* 13. *Septembr.* 1736. rationabili-

nabiliter *in vi directiva* qualificandum tamquam regula pro quacumque Diœcesi, in quo inter alia disponitur, quod *si Stuprum commissum fuerit cum promissione Matrimonii, nulla strupatæ competat actio, nisi promissionem legitimè, & concludenter probaverit. Sicuti nèc si esset disparis conditionis cum Deflorante, ita ut ex*
217 *Matrimonio sic contracto oriretur grave aliquod scandalum, aut Consanguineis ignominia, licet promissionem concludenter probaret.*

Ex Juribus igitur hactenus adductis manifestissimè evincitur Filiumsamilias nèc debere, nèc posse licitè Matrimonium indignum inire, quamvis Virginem sub jurata pollicitatione Conjugii vitiaverit, quoties ex rationabili Parentum contradictione
218 sacrilegè Matrimonium sit contrahendum, seu scandalum, ac minus felix exitus non inaniter formidandus.

Et hic iterum, iterumque frustrà asserebatur eorum opinio, qui putant id solummodò locum habere, si promissio vera non fuerit, sed simulata,
219 nam ultraquamquod præmissa Jura hanc non exprimunt distinctionem, imò nonnulla tàm in casu promissionis veræ, quàm fictæ nostram sententiam constantissimè comprobant, & ultra rationes, & Jura desuper allata *sub. num.*168. accedit insuper ea evidentissima ratio, quod si ficta obligatio cessat ex nimia disparitate ratione peccati, ex eadem ratione cessare debet obligatio, quæ oriri posset ex promissione seria, in utroque namque casu eavendum est, ne vinculum Justitiæ
220 deserviat pro adimplendo onere, quod sine peccato adimpleri nequit sivè vera, sivè ficta fuerit attentata promissio.

Quin & ex ipsa quoque naturali ratione absque ulla Doctorum auctoritate comprobatur, quod Stuprum in his terminis majorem vim, efficaciam, & robur addere non valet præcedentibus Sponsalibus sivè seria, sivè ficta promissione contractis; si etenim vel
221 justa Parentum contradictio, vel imminens scandalum, atque peccatum, vel malum exemplum in damnum nascituræ Prolis, quæ a Parentibus Matrimonium cum Stupro venari addisceret, vel probabilis timor deterioris exitus, vel tandem injuria, quæ Familiæ, atque Parentibus per indignas Nuptias irrogatur usque ab initio impedimento sunt ne Sponsalia contracta valeant, nèc juramenti religio liget, 222
quinimo & inductum ligamen solvunt, quia Virtus Justitiæ non obligat ad actum, qui sine peccato adimpleri non potest, ut solidissimè firmavimus *in nostro Vol. IV. ferè per tot.*, eadem vi pollent prædictæ causæ adversus Stuprum, sivè impediendo ne pariat, sivè jam partam per illud obligationem submovendo, quia non semel, aut in aliquibus casibus, sed perpetuò, & in quocumque casu Virtus Justitiæ nequit quemquam cogere, ut impleat opus, quod sine scandalo, sine peccato, sine contemptu Divini, 223
& Ecclesiastici Juris præceptorum adimpleri nequit.

Nèc ad id suadendum plura desunt insuper exempla, quibus perspicuè confirmatur nullum Jus acquiri per virginem ex Stupro sub illarum spe passo, vel quia altera virtus futurum Matrimonium illicitum reddit, ut accidit in eo, qui obstrictus aut Voto simplicis Castitatis, aut ingrediendi Religionem, si virginem data fide Matrimonii corruperit, non tenetur, nèc potest ipsi licitè nubere,
obsistente virtute religionis, ob quam 224
irrita fuit Nuptiarum promissio, uti promissio de re iniqua *Navarr. lib.*4. *Consf. tit. Qui Clerici, vèl voventes cons.*1. *per tot. Vivold. in Candelabr. par.*3. *cap.*14. *num.*64. *Rodriquez in summ. tom.*1. *cap.*207. *num.*11. *Gabr. à S.Vincent. de Matrim. disp.*5. *quæst.*1. *n.*12. *& seqq.*, *Perez eod. tit. disp.*5. *sect.*1. *num.*6. *& seq.* fusè *Dicastillo tom.*3. *de Sacram. tract.*10. *de Sponsal. disp.*1. *dub.*32. *num.*446. eoque magis, & absque ulla difficultate, si
Mulieri ignotum non erat Viri votum, 225
quo Conjugium reddebatur illicitum *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disp.*45. *num.*5. *Less. de Just. lib.*2. *cap.* 10. *dub.*4. *num.*33. *Reginald. in prax. Pœnit. lib.*25. *cap.*6. *sect.*7. *num.*95. *Guttierez quæst. Canonic. tit. de Matrim. cap.*25. *in fin. Bonaccin. Theolog. Moral.*

Moral. tom.1. tit. de Sponsal. quæst.1. punct.5. num.7.

Vèl quia aliqua præcedens obligatio justitiæ, quamvis minoris ponderis, & momenti, illicitum paritèr reddit futurum Matrimonium in compensationem item Stupri à virgine tollerandi promissum, quemadmodum evenit in eo, qui nuda Sponsalia cum una Puella contraxit, qui si deindè cum altera, contractis novis Sponsalibus, hanc violet, non huic, sed priori Sponsæ fidem reddere tenetur,
226 ac posteriorem defloratam deserere, juxta ferè communem DD. opinionem, quos referunt, & sequuntur *Abb. in Cap. Si inter Virum, & Uxorem num.1. de Sponsalib. Henriquez in summ. lib.11. cap.13. num.3. Lopez par.1. Instruct.cap.79. Bonaccin. dicta quæst.1. punct.5. sub num.7.vers.Objicies primo & seqq., & num. 8. 9. & 10. Philiarc. tom.1. par.2. cap.1. Sanchez de Matrim. lib.1. disp.49.n.1. tom.1. Ledesma de Matrim. quæst. 43. §. In oppositum Dicastillo dubit. 32. d. num. 472. Navarr. in Manual. cap.22. de Sacram. Matrim. num.26. Guttierez quæst. Canonic. tit. de Matrim. cap.27. num.5. & seqq. Zoesius in Jus Canonic. sup. 4. Decretal. tit. de Sponsal. num.36. Pirhingh. in Jus Canon. tom.4. eod. tit. §.7. num.57. Schambogen. sup. 4. Decretal. tit.1. num.88.*, & optimo quidem Jure in his, aliisque similibus casibus nonnisi inutiliter recensendis ita procedi debet, quia nemo unquam ad opus illicitum sivè ex justitia, sivè ex dam-
227 no illato, sivè ex alia quacumque causa compelli potest, prout ad opus illicitum compelleretur tùm is, cui transgredi votum, seù frangere priorum Sponsalium fidem vetat religio, & justitia, & propterea nèc subsequens promissio, nèc Stuprum sub illa ex-
228 tortum futuri Conjugii parit obligationem, tùm is, cui ex *naturali*, & *Divino præcepto* non licet afficere Parentes gravi dedecore, & injuria, nèc inferre toti Familiæ notabilem infamiam, nèc suscitare scandala præsertìm inter Consanguineos, nèc generare Prolem, quæ ejus exemplo discat, mediante Stupri peccato, sibi comparare Matrimonii Sacramentum, nèc demùm se, futuramque Conjugem exponere evidenti periculo deterioris exitus, maximè si Fœmina, prout ea, 229
de qua agitur, his omnibus prævisis, Filiumfamilias allicere studuerit, ut ab ipso Conjugii fidem extorqueret, qua extorta, eidem sui Corporis copiam fecerit, decipiens potius incautum Juvenem, quàm ab ipso decepta; Unoque verbo quoties obstat IV. *Decalogi* præceptum, quoties Matrimonia contradicentibus justè Parentibus contrahenda *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit* teste *Trident. Sess. 24. cap.1. de reform. Matrim.* & quoties futurum Conjugium est scandalosum, impium, & peccaminosum, cujuscumque Catholici judicio non debet Promissor servare fidem sivè simplicem, sivè juratam, sivè, veram, sivè fictam 230
causa extorquendi Stuprum Puellæ datam, contrahendo cum illa *sacrilegè* Matrimonium.

Constabilito exuberanter, ut credimus, quod in hoc casu Nuptiæ sint illicitæ, peccaminosæ, & nullatenus permittendæ, examinandum superest an ex Juribus quoque desuper allatis reficiendum sit cum congrua Dote damnum Puellæ, de qua agitur, propter ejus deflorationem illatum, quam Dotem ei denegandam esse præmisimus non contra naturalem æquitatem, quam Judex in hisce casibus ante oculos habere debet *ad Text. in* 231
l. Quod si Ephesi 5. §. Interdum ff. De eo, quod cert. loc. sed quia ipsa æquitas Naturalis, occurrente casu Puellæ humilis conditionis, quæ ad Nuptias cum Filiisfamilias aspirans, impetrata illarum fide, se ipsi fœdandam obtulit, nos etiam urget, ut 232
æqua lance ponderemus damnum, quod imminet Stupratæ, ejusque indignis Parentibus, aut Consanguineis, si ipsa infamata, ac indotata remaneat, simulque animadvertere non omittamus eam insuper innocentem 233
non habendam, dum voluntariè se prostituit, nèque, ut, plurimum, illius Consanguineos præsertim Parentes culpa vacare, quorum inertia, vel ambitio filiarum licentiam sollicitat po-

potissimum iniquis hisce temporibus
234 quibus vix una ex talibus Puellis verè
seducta dici potest, & admodum pauci
sunt ignobiles Parentes, qui semetipsis
sciis, vel invitis, proprias Filias Stu-
pro à Nobilibus, aliisque Viris supe-
rioris conditionis dehonestatas cum
veritate conquerantur, sed potius No-
bilium Adolescentium Patres, hone-
235 stæ Civitatum Familiæ, ac universa
quoque Respublica gravi, ac justissi-
ma querela assurgunt, & à Tribunali-
bus præcepta *de non conversando &c.*
aliaque remedia justissimè petunt con-
tra humiles Puellas, quæ blanditiis,
& contra earum Genitores, qui leno-
ciniis Filiosfamilias Nobiles, seù di-
vites, & altioris conditionis trahunt,
sollicitant, invitant, & utinam quan-
doque non cogerent, ut præhabita
Nuptiarum promissione, in libidinis
cœno volutentur.

Ponderare quoque debemus noti-
tiam à Puella, ejusque Parentibus habi-
tam de dissensu Patris Adolescentis sa-
tis expresso in præcepto de non acce-
236 dendo ad Domum Puellæ adversus il-
lum expedito; Nec non cognitionem
ab iisdem pariter habitam notabilis
disparitatis inter Deflorantem, & De-
floratam; Item propter expressum
paternum dissensum scandala, & de-
terioris exitus periculum, aliaque
237 mala, quæ prævidere poterant oritu-
ra ex hoc indigno Conjugio præcipuè
dum tàm sordido, ac iniquo principio
deturpatum fuit, & maximè dissimu-
lare, seù ignorare nequibant infa-
miam, & honoris irreparabile dispen-
dium nedum Genitorum, sed univer-
sæ insignis Stirpis Juvenis Stuprato-
ris; infamiam nempè non solum Stu-
pratorem, sed & ejus Parentes, Ma-
jores, Fratres, Sorores tàm virgines,
quàm nuptas, omnes innocentes, ac
238 nullius criminis participes denigran-
tem, itaut lis tota vertatur inter Stu-
pratorem, & Stupratam ex una, &
Parentes, Fratres, ac Gentem uni-
versam Stupratoris criminis prorsus
expertem, & innoxiam ex altera par-
tibus, quorum honori, ac famæ, ut
apertis oculis maximoperè præjudi-
carent, ut insidias tenderent, utque
periculum molirentur, callida Puel-
læ Parens sua conniventia, inhonesta
Puella sua impudentia, & rebellis
Filius artificiosis blanditiis captus, & 239
illectus indignis Sponsalibus addidere
Stuprum infame, nulla habita ratio-
ne tùm de ignominia Familiæ, tùm
de discrimine Reipublicæ, cujus mul-
tum interest, ut Nobilium Familia- 240
rum decus servetur. Quibus omnibus
rite libratis, quemadmodum in voto
fuimus nullo modo permittendum es-
se Connubium, ità præsertìm ex cul-
pa Puellæ, ejusque Genitorum nèe Do-
tem solvendam esse putavimus.

Si enim non obstante malitia, &
artificio ad alliciendum Juvenem, il-
lumque decipiendum per Puellam, ut
supra, ejusque Matrem indesinenter
adhibito, eadem Puella Dotem asse-
queretur, sic ab ipsa sua malitia Mu- 241
lier commodum reportaret, quod uti-
que non est permittendum *Cap. Intel-
leximus 7. de Judic. l. Non fraudan-
tur 177. §.1. ff. de Regul. Jur. Bon-
fin. ad Banniment. General. cap.35.
num.60. 70. tom.1.*

Præterea hoc malo exemplo hu-
miles aliæ Puellæ, ut per Stuprum si
non digniores Nuptias, saltem Do- 242
tem adipiscantur, ad æmulationem
facilè commoverentur.

Insuper non constat de honestate
Puellæ ante Stuprum, imò ex ejus
ore remanet exclusa, refert enim,
quod postquam Juvenis eam amore
prosecutus fuit, omnes alios aman-
tes *e Domo ejecit*, & antequam cele-
brata fuissent Capitula Matrimonialia,
illamque violasset, dum noctis tem-
pore illius Domum ingrederetur =
*Sempre mi diceva, che mi voleva be-
ne, e mi voleva sposare* = & quod ma-
gis est eidem tactus proprii pectoris
permisisse, & reciproca oscula inter-
cessisse supponit, & quidem *più volte
andando mia Madre in un altra Stan-
za, e lasciandoci soli al fuoco, se era
d'Inverno*; Mulier etenim, quæ cum
actu impudico facillimè se contrectari. 243
sinit, inhonesta reputatur ad *Text. in
Cap. Tertio loco 13. de præsumpt.* ubi
Abb. sub num.4. = ibi = *Vel ipsam
osculantem, vèl ipsam tangentem,
vèl in similibus actibus propinquis* =
& cum ipso conveniunt. *Paris. lib.4.
cons.160.*

*conf.*160. *n.*6. *Nevizzan. Sylv. Nupt. lib.*4. §. *Est nubendum Riminald. consf.*274. *num.* 9. *Ferret. cons.* 389. *num.*9. & præcipuè de Muliere per-
244 mittente nudi pectoris tactus notat *Felin. in Cap. Præterea num.*3. *de Testib.* quos aliis quoque amantibus, antequam e sua Domo ejicerentur, eadem facilitate permisisse censeri potest accedente præsertim Juvenis introductione in propriam Domum hora nocturna, & intempestiva, ex quali-
245 tate siquidem dicti temporis arguitur animus, & prava ipsius introducentis intentio *Cap. Literis* 12. *de præsumpt.* cum aliis eumulatis *à Farinacc.q.*136.
246 *num* 113., cui proindè nèc Dos, nèc Matrimonium debetur ex Juribus desuper allatis *num* 86.

Si tandem Dos à Deflorante tantummodò debetur, quandò Defloratam seduxit, necessariò sequitur, eam in casu nequaquam deberi, quia De-
247 florata seducta minimè fuit, sed tàm ipsa, quàm illius Parentes in Domum Juvene introducto, & deindè spretis querelis ipsius Consanguineorum, & Curiæ præceptis in eamdem propriam Domum sæpè sæpius, imò quotidiè maximè tempore noctis admisso, ac artificiosè more Magdalenæ peccatricis, sed non pœnitentis modo collo, seù pectore, & brachiis per Filiam denudatis, quæ sunt incitamenta libidinis, modò blandis verbis, modò tactibus, ac osculis impudicis libenter, ac pacato animo à Filia permissis, & à Matre scienter tolleratis, turpi amore excæcato laqueum paraverunt pedibus ejus, ut cœcus, & incautus in illum incideret, in quibus utiquè terminis cum non Fœmina, sed Masculus seductus fuerit, silere debent in hac parte quoad Dotem Jura
248 per nos desuper allegata, & eorum sententia subintrare, qui Puellam ita stupratam nèc Matrimonium, nèc Dotem mereri firmant, quosque supra retulimus *num.*153. *& seqq.*, eisque addimus *Guttierez quæst. Canonic. lib.*1. *cap.*20. *num.*23. *& seq.* = ibi = *Nèque Ordinarius ægrè ferre debet, quod Matrimonium hujusmodi inter valdè dispares impedire facilè possit, & quod Mulier* ABSQUE REMEDIO *manebit. Quandoquidem jurè optimo, & tuta conscientia Pater absque malitia aliqua id impedire possit, & huic se spontè exponit periculo Fœmina, quæ altiori nubere vult inscio Patre Viri. Quod si honorem, & pudicitiam suam indiscretè profuderit, sibi imputet, eum præfatus Pater Jure suo contradicere valeat* =

Quinimò tàm ipsa Puella, quàm ejus Parentes puniri debent *D. Antonin. par.*2. *tit.*5. *cap.*6. §. 1. = ibi = 249
Parentes, qui tradant Filias Nobilibus, & Divitibus deflorandas, ut propter hoc eas Nuptui tradant illis dotantibus, pessimi sunt Lenones, digni morte temporali, & æterna = & puniendos esse decernitur tùm *à Jure Ecclesiastico, & Cæsareo*, ac ab allegata *Constitutione* XISTI V., *Fari-* 250
*nacc. quæst.*144. *per tot.* tùm à prælaudato *Edicto* per Emum, & Rmum D. Card. Guadagni Vicarium Urbis, ut
supra, emanato, ubi statuitur *pœna* 251
triremium, seù Carceris decem annorum juxta diversitatem sexus in Parentes, Fratres, aliosque, quibus de Jure competit custodia earum Puellarum, si rei reperti fuerint dicti Lenocinii: Septem verò annorum ad triremes, aut respectivè Carceris, si conniventes tantum extiterint, relicta Judicum arbitrio facultate puniendi etiam eorum negligentiam in illas custodiendo; & quoad Filias habemus *Text.* expressum *in leg. Fœdissimam*
20. *Cod. Ad legem Juliam de Adul-* 252
ter. = ibi = *Fœdissimam earum nequitiam, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt &c. leges ulciscuntur* = ubi *gloss.* = ibi = *Mulier, quæ spontè Stuprum commisit, punienda est* = latè *Farinacc. quæst.*147. *n.*49. 253
egregiè *Laur.Matthæus de re Crimin. contr.*51. *num.* 38. = ibi = *Si aliqua*
pœna coercerentur Puellæ, neque tan- 254
tæ deceptæ sub frustranea spe Nuptiarum deriderentur, nèque tot Adolescentulos, quorum Matrimonia ambiunt, ad amplexus invitarent = Et si illi, qui contractis legitimè, & cum consensu Parentum Sponsalibus, ante Matrimonium carnali copula se commiscent, quique minus delinquere

videntur, graviter nihilominus plecti
255 debent in vim *Decretorum* pluries editorum *per Sacram Congregationem Concilii*, ut post *Bellarmin. & Farinacc.* testantur *Fognan. in Cap. His, qui fidem 30. num. 15. de Sponsal. Boss. de Matrim. cap. 7. num. 96.* fortius puniendæ sunt humiles Puellæ, quæ indigna Sponsalia cum Nobili Juvene
256 contrahunt, expresso forsan pacto, quod iis contractis, se violari permittent, quæque sunt ruina Juventutis, & ex indulgentia, quam apud
257 Judices experiuntur, nil magis habent in Votis, quàm Nobilem, seù divitem quemque Juvenem sui amore incendere, ut concupiscentia excœcatum sub Conjugii fide ad Stuprum admittant exindè Maritum habituræ, proùt in pluribus Italiæ Catholicis Urbibus cum dispendio pudoris virginalis contingere videmus, & Hollandiæ contigisse meminit, ac detestatur *Grotius lib. 3. manudactionis cap. 35.* & ex eo *Gonzalez in d. Cap. Expectabamus num. 8. in fin. de Adulter.*

Crescit argumentum, si animadvertatur, quod Summus Pontifex in præcitato *Edicto anni 1736.* statuit, *quod si Stuprum commissum fuerit inter Virum, & Fœminam æqualis conditionis, adhuc Stuprator pœnæ quo-*
258 *que Corporis afflictivæ subjiciatur, quæ extendi possit ad triremes, si Deflorator Laicus fuerit, & ad Ergastulum, aut relegationem Judicis arbitrio, si fuerit Clericus juxta diversas casuum circumstantias gradus, & conditionis, præsertìm juxta diversam fraudem, & seductionem adhibitam; Puella verò stuprata pœnam quoque corporis afflictivam incurrat, quæ Judicis arbitrio ad Carcerem extendi possit prò diversis circumstantiis casuum, gradus, & conditionis, & præsertìm juxta majorem fraudem, & seductionem, quam passa sit, aut ipsa adhibuerit*, undè licet inferre, quod majori ratione puniendi sint Masculus, & Fœmina imparis conditionis, qui, data sibi invicem fide in Sponsalibus, cum actuali peccato Stupri ad perpetranda
259 tàm multa, ac gravissima scelera mediante futuro Matrimonio sacrilegè contrahendo conspirant, & Dote privanda veniat Fœmina, quæ illam peccati pretio, & cum infinita Dei offensa pluries etiam repetita sibi comparare studuit cum lenocinio, seù conniventia quoque Parentum, quemadmodum tales Mulierculæ Dote privantur in eodem *Edicto* maximoperè commendando, in quo *Parentibus Fratribus, aliisque, quibus de jurè competit Puellarum custodia, ac proindè querela, & accusatio secuti Stupri, si reperti fuerint, vel Lenocinii rei, vel conniventes pravæ Deflorantis, & Defloratæ consuetudini, adimitur actio petendi tàm Dotem nomine Defloratæ, quàm refectionem damnorum, quorum æstimatio à Defloran-* 260
te debita, & Judicis arbitrio taxanda, exigi debet à Fisco in pios usus, proùt ei libuerit, eroganda.

Quamvis ergo Deflorata in hypothesi nullam mereretur Dotem tùm 261
propter ejus impudentiam, & artem adhibitam ad seducendum Juvenem, tùm propter ejus Parentum, & præcipuè Matris manifestissimam conniventiam, tùm propter scientiam altioris Conditionis Stuprantis, ignominiæ illius Familiæ, & positivæ reluctantiæ ejus Patris cum præcepto de non accedendo ad Domum ipsius Mulierculæ contra Filium obtento satis, superque manifestatæ, adhuc inspecta illius florida ætate annorum 16., nèc non ejus vultus venustate, quam raram esse, ac maximam universa quoque perhibet fama, ne illius iniqua Mater propter has corporis dotes illam ad meretricandum exponeret, honestissimo Adolescentis Genitori suasimus, ipseque consensit eidem Defloratæ certam pecuniæ summam non ex obligatione, nèc titulo Dotis, sed prò eleemosyna, & ex sola caritate persolvere ad hoc, ut invenire possit Maritum æqualis conditionis, sed bonis moribus imbutum, ac aliquam honestam artem exercentem, quem facilè inveniet juxta usum hujus regionis, ubi nonnulli Viri, licet bonæ indolis, dummodò congruam assequantur Dotem, infamia non deterrentur; diebus enim elapsis quidam 262
Juvenis absque ulla amaritudine in Uxo-

Uxorem duxit Sororem ejus, qui paucis ab hinc Mensibus publicè ultimum infame supplicium subierat; Injuncto tamen Defloratæ præcepto de habendo in pœnam delicti Domum suæ so-
263 litæ habitationis pro tuto, & securo carcere ad sex Menses cum facultate accedendi diebus festis ad Ecclesiam ad audiendum sacrum, & recto tramite recedendi, nèc non de non conversando in futurum cum Viris nèc Domi, nèc extrà Domum, illiusque Genitoribus de bene custodiendo Filiam &c. imposita cunctis pœna Carcerationis, Fustigationis, & Exilii,
264 ac respectivè triremium ad quinquennium in casu contraventionis; Juvenem autem ab omni pœna pecuniaria absolvimus, & in pœnam carceris in quodam Fortilitio ad tempus, & arbitrio ejus Genitoris condemnavimus.

Et ita &c. Utraque &c.

ANONYMA EXHÆREDATIONIS

ARGUMENTUM

Filius, qui invitis justè Parentibus Nuptias contraxit, à Patre potest Exhæredari. Pœna ejectionis ab Honoribus Magistratus per Statutum imposita contra indignè nubentes sustinetur.

SUMMARIUM

1 *PAter exclusit in Testamento ab Hæreditate Filium, qui Fœminam imparis conditionis desponsavit.*

3 *Filiifamilias sub pœna culpæ lethalis à Jure Naturali, Divino, & Canonico, inscìis, vèl invitis justè Parentibus, Matrimonium inire probibentur.*

4 *Maximè si contrahere velint Nuptias indignas.*

5 *Quia tunc non Genitores tantum, sed etiam Consanguinei Matrimonium impedire possunt, & Judex illis favere debet.*

6 *Juramentum, quo promittitur id, quod sinè peccato adimpleri nequit, non tenet.*

7 *Sponsalia non obligant ad Matrimonium, si fuerint à Fœmina inhonesta cum Viro Nobili contracta*, & num. 11.

8 *Ars Mulierculæ pro extorquenda copula à Nobili Adolescente.*

9 *Carnalis copula habita per Virum Nobilem cum Muliercula non obligat ad Matrimonium.*

12 *Si Vir Fœminam æqualis conditionis, sed inhonestam carnaliter cognoverit, nèc eam ducere, nèc dotare tenetur.*

13 *Stuprator condemnatur absolutè ad nubendum, si promissio futuri Conjugii intercesserit.*

14 *Eaque deficiente, alternativè ad dotandum, vèl nubendum.*

15 *Dummodò seduxerit Fœminam, non autem quando fuit ab ipsa seductus.*

16 *Ars Mulierculæ ad extorquendum Matrimonium cum Viro Nobili.*

17 *Quod fuit clandestinè contractum.*

18 *Tale Matrimonium fuit plurium scandalorum origo.*

19 *Filius, qui invitis justè Parentibus Nuptias contraxit, à Patre potest exhæredari.*

20 *Pater de toto suo Patrimonio in Testamento disponere potest, salva legitima post ejus obitum debita Filiis.*

21 *Matrimonium à Filio invitis justè Parentibus initum inter causas ingratitudinis adnumeratur.*

22 *Propter quam ingratitudinem Filius potest Exhæredari.*

23 *Maximè si vilem, & ignominiosam duxit Uxorem*, & num. 90.

24 *Pater non tenetur plenè dotare Filiam, quæ Viro nupsit indigno*, & num. seq.

26 *Sed illi parca tantum alimenta subministrare.*

27 *Pater liberis etiam ingratis, & immorigeris alimenta dare tenetur.*

28 *Jus Canonicum pœnam dictæ Exhæredationis abrogavit, ne Matrimonii libertas impediatur.*

Contrarium num. 29.

30 *Si Regni Cœlestis Exhæredatio liberum consensum circa Matrimonium non tollit, multò minus pœna Exhæredationis bonorum temporalium.*

31 *Peccat Filius contrahens Matrimonium injussu Parentum.*

33 *Læditur Matrimonii libertas coactione*, & num.46.51.56.

34 *Non autem impedimento, seu prohibitione ne quis ducat aliquam Fœminam in specie, seu de certo genere Personarum*, & num.47.

35 *Matrimonia Filiorumfamilias injussu Parentum contracta Sancta Dei Ecclesia semper detestata est, atque probibuit.*

36 *Declaratur dispositio Sac. Concilii Tridentini sess.*24. *cap.*9. *de reform. Matrim.* & num. seqq.

37 *Parentes, & Judices impedire possunt Matrimonia Filiorum ipsis Parentibus justè invitis contrahenda.*

38 *Hæc Matrimonia sunt probibita, ideoque turpia, illicita, & peccaminosa, & consequenter impedienda,*

39 *Non obstante libertate Matrimonii, Ecclesia Matrimonia turpia, illicita, & peccaminosa probibuit.*

41 *Timor Exhæredationis est causa sufficiens, ut Filius recedere possit à Sponsalibus injussu Parentum contractis.*

42 *Nullus Contractus justè initur vi, & coactione accedente.*

43 *Cur Sacrum Concilium Tridentinum sub anathematis pœna probibuerit coactionem in Matrimoniis*, & num. seq.

45 *Aliud est compellere quempiam ad Matrimonium ineundum cum Persona certa, seu de certo genere Personarum, aliud probibere ne nubat Personæ Parentibus invisæ.*

48 *Exhæredatio est pœna.*

49 *Pœnæ, seu conditiones in Testamentis appositæ Connubiorum libertatem destruentes pro non appositis habentur.*

50 *Testator non potest præscribere certum tempus, vèl locum, aut modum ad contrahendas Nuptias.*

52 *Quoties pœna, seu conditio in Matrimoniis inducit coactionem, vèl æquivalet coactioni, nec conditio, nec pœna subsistit etiamsi in casu contraventionis substituta sit causa pia.*

53 *Filius à Patre allici potest ad certas Nuptias spe lucri, non autem deterreri formidine pœnæ.*

Declara ut n.54. & 55.

57 *Quando non valeat legatum relictum alicui, quatenùs hæres certum Matrimonium non contrahat.*

58 *Si Testator hæredi certas prohibeat Nuptias, prohibitio sustinetur, tàm si facta fuerit sub spe lucri, quàm sub aliqua pœna.*

59 *Institutio Ordinum Militarium, à quibus arcentur ex humilibus Nuptiis progeniti, non impedit Matrimonii libertatem.*

60 *Nec Fideicommissa eorumdem exclusiva.*

61 *Pater non impedit Filio Matrimonii libertatem, si vel ante Matrimonium eidem injungat, ne illud contrahat sub pœna Exhæredationis, vel absolutè post Matrimonium cum indigna contractum illum sua privet Hæreditate.*

62 *Principes, ac Magistratus Seculares statuere possunt ne Personæ Nobiles, vel Honestæ sub aliqua certa pœna Matrimonium contrahant cum indignis, & hoc absque læsione libertatis Matrimonii*, & n. 82.83.84.85.

Contrarium n.63.

64 *Etiamsi Statutum conditum sit ad arcendas rixas, contentiones &c.*

Declara ut num.65.66.67.

66 *Statuentes nequeunt condere legem, quæ Matrimonii substantiam tangat, aut cogat aliquem ad ineundum Matrimonium cum certo genere personarum*, & n.85.

67 *Secus si certam personam, seu certum genus personarum potiùs excipiant.*

68 *Favet Ecclesia Matrimonii libertati, quæ moribus congruit.*

69 *Sed non patitur, quod per libertatis abusum imparibus Nuptiis Familiæ coinquinentur, & Ordines fœda commixtione vilescant.*

70 *Expedit, quod fiant prædicta Statuta, & quare?*

71 *Libertati Matrimonii eatenus indul-*

dulgendum non est, ut ad fovendum privata, publicaque incommoda, & mala perducatur.

72 *Pœnale Edictum Regis Galliarum super Matrimonia Filiorumfamilias sine Parentum consensu contracta Benedict. XIV. non improbat, sed potiùs declarat quomodo valeat*, & num. 88.

73 *Statutum Bononiense excludit à Magistratus honore Cives impares Nuptias contrahentes.*

74 *Quod Apostolica auctoritate approbavit Benedict. XIV.*, & n. 75.

76 *Simile Statutum Civitatis Imolæ à Sac. Consulta approbatum*, & num. 78 79.

77 *Laudatur Emus Card. Stoppani, ejusque Epistola super d. Statuto refertur*, & n. 87.

79 *Aliud simile Statutum Civitatis Maceratæ*, & num. seq.

84 *Quod non obstare libertati Matrimonii Sac. Congregatio Concilii respondit*, & n. 89.

86 *Statuta Magistratus non habentis Jus Imperii à Supremo Principe approbanda sunt, ut valeant.*

87 *An in prædictis Statutis prohibentibus dictas Nuptias comprehendi debeant Cives Pauperes.*

VOTUM VIII.



1 DOLESCENS ex Nobilibus Parentibus ortus in ætate annorum decem, & octo constitutus Puellam annorum 20. cujusdam Lanionis jam defuncti Filiam & Patrui ad triremes damnati neptem sex ab hinc mensibus desponsavit, qua de causa illum Pater in Testamento, salva legitima, a sua exclusit hæreditate, qui proindè, citatis propriis Fratribus in reliqua hæreditate paterna hæredibus institutis, institit per nos declarari nullam adfuisse causam, cur exhæredari debuisset, & una simul in possessionem portionis hæreditatis ab intestato sibi tangentis petiit immitti, sed Sententiam ejus indebitæ petitioni contrariam reportavit.

Siquidem ad omnem ambiguitatem tollendam statim probatum fuit, & ex Actis quoque nostræ Curiæ plene constabat, quod duobus ab hinc annis idem Adolescens cum prædicta 2 Fœmina Sponsalia juramento firmata contraxerat, cumque deinde fuisset in judicium vocatus ab eadem Fœmina, quæ cum exhibitione Apocæ Sponsalium sibi datam ab eo justificans Matrimonii fidem, eaque sub fiducia inductam se fuisse ad actus virginali pudori, ac honestati contrarios asserens, cogi tunc illum petebat ad implementum promissorum, ejus petitioni Parentes, ac Consanguinei Adolescentis se mordicus opposuerunt contendentes non licere Filiofamilias in dedecus Parentum, Fratrum, Sororum, omniumque Consanguineorum tàm turpe inire Conjugium, & ex eadem ratione eidem non licuisse prædicta contrahere Sponsalia, quæ vel nulla declaranda, vel rescindenda esse insistebant, visisque videndis, & auditis hinc inde Partibus, præstantissimi nostri Antecessoris ope Voti compotes evaserunt.

Filiifamilias enim tàm Jure naturali, & Divino juxta *IV. Decalogi præceptum*, quàm Canonico juxta irrefragabile testimonium *Sac. Concilii Trident. cap. 1. sess. 24. de reform. Matrim.* insciis, vel invitis justè Parentibus Matrimonium inire prohibentur 3 sub pœna culpæ lethalis, quemadmodum late probavimus in nostro *Vot. I. per tot.*

Indubitantius quoties contrahere velint Nuptias indignas cum Fœmina notabiliter disparis conditionis, 4 prout est ea, de qua agitur, tunc enim ad evitandam totius Familiæ ignominiam nedum Genitores, sed & omnes ejus Consanguinei Matrimonium impedire possunt, & Judex eorum instantiæ favere tenetur per ea, 5 quæ fusè pariter expendimus in nostro *Vot. II. per tot.* & signanter *num. 71. & seqq.*

Nullatenùs attento Juramento in Contractu Sponsalium per Filium interposito, nam Juramentum, quo promissum fuit id, quod a *Jure Naturali, Divino, & Canonico* est omnino prohibitum, non tenet, neque li-

6 ligat, utpote bonis moribus contrarium, si enim Juramentum cogere possest ad implendum promissum, quod sine peccato adimpleri nequit, esset vinculum iniquitatis, prout advertunt *Jura* per Nos ad exuberantiam adducta in nostro *Vot.IV. per tot.*

Multòque minus obstare potuerunt actus inhonesti, qui per Adolescentem in persona præfatæ Mulierculæ dicebantur commissi, tùm quia de illis nulla afferebatur probatio contra negativam ipsius Adolescentis, tùm quia constabat ex Actis, quod
7 ipsa parum esset honesta, seu verius penitus inhonesta, non solum enim domi, imò & per vias publicas aliorum Juvenum liberam frequentare conversationem, eosque licentiosè tractare, & alloqui solita fuerat, sed illos etiam in propriam domum admittebat, ante illius habitationem transeuntes invitabat, suum quoque vultum per eos aliquando tangi permittebat, & contra virginalem pudorem obscena quoque verba præsente, & plaudente ejus Matre proferre non dubitabat; Quibus omnibus rectè perpensis, annuente quoque Filio sive verè, sive fictè propter gravem Parentum indignationem Sponsalia detestante, prætensum Matrimonium ineundum non esse prælaudatus noster Antecessor jure merito declaravit.

Restituta sic pace omnibus Consanguineis Adolescentis, dum ipse, ob
8 verecundiam, longè a domesticis, & amicis Ruri solus moraretur, ac solo cujusdam sui Coloni uteretur servitio, callidissima, ac Diabolica Mulier habitu virili induta circa horam secundam noctis ad illius ruralem domum accessit fingens se esse Juvenem a Patre Adolescentis expeditum cum literis magni momenti per se in illius manibus consignandis, unde Colonus, qui illam antea nunquam viderat, existimans verum esse masculum, ac vera exponere, eam in Domini Cubiculum introduxit, ubi ille jam parabatur lectum ascendere, qui statim ac eam vidit, eamque recognovit, turbatus est aliquantulum, sed clausa per ipsam Cubiculi janua, cœpit incautum Adolescentem interrogare, cur vitam eremiticam ab hominum consortio alienam ibi degeret; cur ipsam deseruisset, quæ præ nimio erga illum amore sine ejus præsentia vivere minimè poterat, imò præ animi mœrore clausisset ultimum afflictissima diem, si illuc ad eum invisendum se personaliter non transtulisset, quibus, aliisque amatoriis verbis prolatis, ac quibusdam affectatis profusis lacrymis, super collum Juvenis procumbens iterum, iterumque illum est osculata, ac tandem ei se prostituendam obtulit, ita ut Juvenis a blandis verbis, lacrymisque excitatus, ab osculis commotus, & a Naturali Mulieris venustate provocatus se continere non potuerit, quin cum illa ea nocte in eodem lecto decumberet, eamque carnaliter cognosceret.

Obtenta enixè desiderata per iniquissimam Mulierem carnali copula ad ponendum in tuto, ut ipsa male 9
putabat, futurum Matrimonium, summo mane ad Civitatem reversa in proprios lares se recepit, ac post mensem illius perdita Mater ad Ecclesiasticum Tribunal querelam detulit adversus præfatum Adolescentem exponens propriam Filiam per mensem antea ab eo violenter fuisse stupratam, ac prægnantem redditam *in propria domo*, dum ipsa Mater extra domum reperiebatur, quemadmodum de facto ex relatione Obstetricum, si non prægnantia, Stuprum tamen in genere probatum remansit, quia illam defloratam invenerunt, sed an pro prima, seu pro pluribus vicibus, ut cum fundamento suspicari poterat, a diversis Viris fuerit carnaliter cognita, certudinaliter referre non potuerunt, asserentes tantum satis esse laxa genitalia Mulieris.

Adolescens autem in carceribus detrusus, & subinde examinatus in- 10
genuè fassus fuit se illam carnaliter cognovisse *Ruri* cum omnibus supra relatis circumstantiis indicans diem, & horam, qua inhonestissima Muliercula sub habitu virili ad Cubiculum suæ ruralis domus pervenerat, quod & comprobatum fuit depositione duorum testium, qui quemdam Juvenem celeri

celeri passu versus eamdem Villam post meridiem circa Solis occasum euntem, & deindè in quamdam Cauponam per duo milliaria distitam à prædicta Villa intrantem viderunt, ex qua, ut Caupo, ejusque Filius testati sunt, post parvam refectionem, inclinato jam die, & adveniente nocte solus exivit, & per viam, quæ ducit ad prædictam Villam, iter arripuit; nèc non depositione Coloni, qui de accessu cujusdam Juvenis ad enunciatum sui Domini Cubiculum circa horam secundam noctis, de osculis suo Domino per ipsum datis, & a se per clavis foramen introspectis, & de permanentia ipsius cum eodem suo Domino prædicta nocte plenissimum reddidit testimonium, cumque omnes prædicti Testes de colore virilis vestis præfatæ Mulierculæ, de forma illius Corporis, ac specie vultus, & præsertim *de die* adamussim contestes fuerint, nihil dubitandum reliquerunt de veritate confessionis Adolescentis, & de falsitate querelæ Mulieris, licèt enim ipsa cum depositione Adolescentis conveniret circa diem præcedentem nocti, qua habitus fuit illicitus inter utrumque concubitus, falsa tamen apparuit Fœminæ, ejusque Matris assertio *circa locum*, quo se passam fuisse violentum Stuprum supponebat, hoc est *domi propriæ* ipsius Mulieris, cum tàm ex confessione Querelati, quam ex depositione Coloni, ejusque Uxoris constaret, quod eo die Querelatus adhuc *Ruri* commorabatur; Quamobrem post longam earcerationem ille fuit ad preces Patris e carceribus cum *præcepto de non conversando* cum prædicta Fœmina dimissus; Illa vero nèc petitum Matrimonium, nèc dotem assequi potuit.

Non Matrimonium, attenta ma-
11 xima disparitate Natalium per ea, quæ diximus in *nostro Vot. VII. fere per tot.* Non Matrimonium, neque dotem tùm quia non solum in hoc, sed etiam in eo casu, quo ageretur de Fœmina æqualis conditionis cum Stuprante, adhuc propter illius inhonestatem satis justificatam neque Matrimonium,
12 neque Dos ei debebatur, ut prænotavimus in *nostro Vot. VI. n. 40. & seqq., & d. Vot. VII. n. 86. 12. 132. & sub n. 242. & seqq.*, tùm quia Stuprator 13
simpliciter, & absolutè ad nubendum, si promissio futuri Conjugii intercesserit, aut hac promissione deficiente, 14
alternativè ad dotandum, vel nubendum eo tantum casu est condemnandus, cum ipse seduxerit Fœminam, non autem quando ipse fuit ab illa se- 15
ductus juxta distinctionem, de qua in *d. nostro Vot. VII. n. 153. & seqq., & num. 248.*

Quamobrem ea quoque excarcerata, & eum exilio a tota Diœcesi dimissa, ad vicinum Oppidum alterius Diœcesis una cum ejus Matre ad habitandum perrexit, ubi semel in anno Nundinæ habentur, ad quas se transtulit Adolescens, visaque Fœmina vano ornatu fucata, propè Januam 16
suæ habitationis existente, & ab ea capite, risu, & manibus vulgo *baciamani* salutatus, cum antiqua amoris flamma nondum penitus esset extincta, hilari vultu ad illam accessit, quæ post pauca urbanitatis, & benevolentiæ verba illum in domum introduxit, ubi ejus blanditiis, lacrymis, & suæ libidinis ardore iterum victus, se illam tandem desponsandi consensum præstitit, pravoque inito inter se consilio una cum Matre ipsius Mulierculæ altera die circa Solis occasum ad hanc accessere Civitatem, & per quosdam vicos elàm ambulantes in domum cujusdam vetulæ Amitæ ejusdem Fœminæ in Adolescentis Parochia sitam secretò se receperunt, ad quam sub prætextu imminentis mortis ejusdem Amitæ jam per mensem in lecto jacentis infirmæ, accersito Parocho, statim ac Parochus domum introivit, 17
præsentibus duobus testibus sub alio pariter prætextu vocatis, Masculus dixit = *Signor Curato questa è mia Moglie* = & illicò Fœmina subdidit = *Signor Curato io accetto il Signore NN. per mio Sposo, e Marito* = quo elandestino Matrimonio absoluto, nulla interposita mora, una cum iniquissima Matre ambo fugam arrepti, extra Diœcesim, statumque Pontificium domicilium constituerunt seorsum per mensem babitantes donèc, & quousque

que examinatis Testibus, & Parocho, qui clandestino Matrimonio fuere præsentes, atque per eorum dicta Matrimonii validitate probata, in utriusque Parochiali Ecclesia hujus Civitatis factæ non fuerunt denunciationes.

Hujusmodi Matrimonium fuit
18 plurium scandalorum origo; Consanguinei Adolescentis ad ejus paternam domum erubescunt accedere; Frater primogenitus maxima tristitia remanet affectus, quia licet commoda sit primogenitura provisus, adhuc cum Fœmina æqualis conditionis nuptias difficilè, seu saltem cum modica dote contrahere poterit; Sorores Sponsum nobilem invenire desperant; Mater post mensem mœrore confecta ex hac vita migravit, & Pater septuagenarius, condito Testamento, paucis ab hinc diebus vitam cum morte pariter commutavit.

Frustra igitur rebellis Filius hodie conqueritur, quod fuerit a suo Genitore ex hac causa in allegato Testamento exhæredatus, quodque ipse de fortunæ bonis non remaneat nisi nimis parcè provisus, nam detractis
19 ad favorem Primogeniti omnibus dictæ Primogenituræ bonis a communi Patruo magno institutæ, ex bonis liberis pro sua portione, ratione legitimæ, nil aliud assequi valet, quam capitale, cujus fructus ad annua scuta 112. vix ascendere possunt.

Tum quia Pater in Testamento de toto suo Patrimonio ad suum arbitrium non prohibetur disponere, salva legitima, quæ ab ipso suis Filiis post ejus mortem debetur *l.* 1. §. *Si*
20 *impuberi ff. de Collat. bonor. Merlin. de legitim. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 6. *sub n.* 15. *Rot. post eumd. decis.* 55. *n.* 22. *& dec.*59. *n.*16. *& decis.* 235. *n.* 14. *par.*4.*tom.*1.*& decis.*203. *n.*10. *& dec.* 459. *n.*7.*par.*4.*tom.*2. *& dec.* 141.*n.*5. *par.*5. *tom.*1.*& dec.* 180. *n.*8. *par.* 11. *& dec.*417. *n.*25. *par.* 14. *recen.*

Tum quia Matrimonium a Filio-
21 familias, invitis justè Parentibus, initum inter causas ingratitudinis adnumeratur *Fagnan. in Cap. Tua sub num.*19. *de Desponsat. impuber.* =ibi= *Inde etiam colligitur quam deceat Filios abstinere a nuptiis, quibus Parentes reluctantur, cum hæc referatur inter ingratitudinis causas* = propter
quam ingratitudinem Filius potuit 22
exhæredari, eoque magis, quia ducens vilem, & ignominiosam Uxorem summa injuria affecit Parentes, totam-
que familiam deturpavit, ideo a Pa- 23
tris hæreditate potuit expelli, ut post *text. in l.* 3. §. *Si emancipatus ff. de bonor.possess.contr. tabul.* docet *Curt. Jun. in Auth.Non licèt n.*27.*& seq.*, *Cod.de liber.præter. Auth. Ut cum de appellat.cognosc.* §. *Aliud quoque vers. Si alicui S. Petrus Cælestinus opusc.*8. *par.*6.*sect.*1. *cap.*4.*Fontanell.de pact. nupt. claus.*5. *gloss.*1. *n.*88. *Guttierez quæst. Canonic. lib.*1.*cap.*20. *num.*25. *Boss. de Matrim. cap.*11. *ex n.*17. *Mastrill. dec.*763.*n.*24. aliique relati per *Surd. de aliment. tit.*1.*quæst.*6.*n.*5. *& sub n.*17. *vers. Sed si verum dicere fas est*, ubi de magis communi opinione testatur.

Eo modo, quo Pater neutiquam
est cogendus ad plenè dotandam Fi- 24
liam, quæ, eo inscio, vel invito nupsit Viro moribus, aut genere indigno, quia Filia indignis, seu imparibus polluta Nuptiis omne Jus amittit
ad dotem veluti constantissimè firmat 25
*Rot. dec.*498.*per tot.cor.Buratt.tom.*2. sed illi parca tantum alimenta submi-
nistrari debet prudenti Judicis arbi- 26
trio taxanda, quæ Pater liberis suis,
indigentibus tamen,etiam ingratis, & 27
immorigeris,ne fame pereant,naturali Jure dare tenetur argum. *Cap. Cum haberet in fin. de eo, qui duxit l. Si quis a liberis* 5. §. *Si vel Parens ff.de liber.agnosc.Covarruv. in.Epith. in* 4. *Decretal. par.*2. *cap.*3. §.8. *n.*7. *Sanchez. de Matrim.lib.*4.*disput.*26.*n.*19. *Fontanell. loc. cit. n.*89.

Quin obstare potuerit objectum, quod quemadmodum Jus Canonicum statuit, quod Matrimonii libertas nec directè, nec indirectè impediri valeat, ita & abrogaverit hanc exhære-
dationis pœnam, per quam Matrimo- 28
nii libertas impediretur, ut arguunt *Dec. in l. Nuptias num.*13. *ff. de reg. Jur. Covarruv. in Epith. in* 4. *Decretal. par.*2. *d. cap.*3. §.8. *n.* 6. aliique fusè relati per *Surd. de aliment.*

ment. tit. 1. *quæst.* 6. *num.* 6. *& seqq.*
Hoc etenim nequaquam subsiste-
29 re ad evidentiam probant *Paschal. de
patr. potest. par.* 2. *cap.* 5. *n.* 15. *Paris.
cons.* 29. *vol.* 3. *Rebell. de obligat. Ju-
stit. par.* 2. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 2. *n.* 16.
& seq. & sect. ult. n. 29. *vers. Quod*
30 *vero nec etiam obstet*, ubi quod si Fi-
liusfamilias propter peccatum, quod
in hisce Nuptiis injussu Parentum
contractis committit (*ob inseparabile*
31 *damnum, quod Patri, splendori, &
dignitati Familiæ per ipsum infertur*,
ut ex *D. Bonaventura*, aliisque tradit
Ferdinand. de Valent. disscept. 5 *num.* 3.
de re Eccles.) Regni Cœlestis exhære-
dationem incurrit, & hæc exhæreda-
tio liberum arbitrium, liberumque
consensum non tollit, multò minus
dici potest liberum eumdem consen-
sum tolli per exhæredationis bonorum
temporalium pœnam ab humanis le-
gibus demandatam.

Quorum sententia absque ulla
hæsitatione præferri debet eorum opi-
nioni, qui contrarium tenere viden-
tur; illi etenim æquivocant supponen-
do, quod eàtenus per Jus Canonicum
hæc pœna sublata fuerit, quàtenus
pugnet cum Matrimonii libertate,
quam duplici modo contra *Sacrorum
Canonum*, *Sacrique Concilii Triden-*
32 *tini* Sanctiones lædi posse opinantur,
Coactione scilicet, quando Filius ad
ducendam aliquam Fœminam particu-
larem, & in specie penitùs eidem in-
visam obligatur; & *prohibitione*, seù
impedimento, quando Filius impedi-
tur, sive illi prohibetur ducere ali-
quam Fœminam in specie, quam uni-
cè vult, & intelligit desponsare.

In primo etenim casu nos etiam
admittimus, quod Sacri *Canones*, Sa-
33 crumque *Concilium Tridentinum Sess.*
24. *cap.* 9. *de reformat. Matrim.* præ-
cipiant, & expressè statuant, quod
Matrimonium debeat esse liberum, ac
libero utriusque Contrahentis consen-
su perficiendum, omni penitus *coa-
ctione* remota; In secundo vero, qua-
tenus etiam læderetur libertas, quam
nequaquam lædi latissimè demonstra-
vimus in *Vot. I. num.* 133. *& seqq.*, *&
num.* 173. *& seqq.*, *& Vot. II. num.* 99.
114. *& seqq.*, *& Vot. III. num.* 144. *&
seqq.*, *Vot. IV. num.* 38. tantum abest,
quod *Ecclesia*, seù *Jus Canonicum*, 34
idemque *Concilium* prohibuerint Pa-
rentibus, ne impediant Filios Matri-
monium contrahere cum Fœmina sibi
benè visa citra eorumdem Parentum
scientiam, atque consensum, quin
potius rotundis verbis nulla interpre-
tatione indigentibus ipsamet *Tridenti-
na Synodus Cap.* 1. *sess.* 24. *de reform. Ma-
trim.* apertissimè testatur, quod hæc
Matrimonia invitis justè Parentibus
contracta, seù contrahenda *Sancta* 35
*Dei Ecclesia ex justissimis causis sem-
per detestata est*, *atque* PROHIBUIT.

Hinc facile datur intelligi, quod
cum *Ecclesia*, Sacrumque *Concilium
Tridentinum d. cap.* 9. *Sess.* 24. *de re-* 36
form. Matrim. declaravit, quod Ma-
trimonia libera esse debeant, nil aliud
statuere voluerit, quàm quod ea non
debeant esse *coacta*, ei nempè impe-
dimento, quod est libertati contra-
rium, hoc est violentiæ, & coactioni,
nullatenus esse debeant obnoxia, nun-
quam verò intellexerit, quod ea ef-
frenata libertate fruerentur, ut vo-
lentes è contra Filii adversus justam
Parentum voluntatem personam eis-
dem invisam desponsare, ab ipsis Pa-
rentibus, & Judicibus justis de causis 37
impediri, seù prohiberi nequeant,
alias evidentissimè sibi contradixisset,
dum aliud sentire satis ostendit in *di-
cto Cap.* 1. *Sess.* 24. *de reform. Ma-
trim.* ubi dicitur, quod hæc Matrimo-
nia *semper Ecclesia prohibuit*, & uti
prohibita, turpia sunt, illicita, & pec-
caminosa, & consequenter impedien- 38
da, ne cum peccato contrahantur;
quodque Matrimonia prohibita, tur-
pia, illicita, & peccaminosa impediri
possint, & debeant nedum elicitur ex
verbis *Concilii loc. cit.*, sed etiam Ec-
clesia in facto comprobavit in omni-
bus iis casibus, in quibus, non ob-
stante prætensa nullis limitibus cir-
cumscripta libertate, Matrimonii im- 39
pedimenta impedientia, & dirimentia
ad eamdem libertatem refrenandam,
& coarctandam decernere non du-
bitavit.

Quod autem *Tridentinum Conci-
lium in cit. cap.* 9. *Sess.* 24. *de reform.
Matrim.* eo tantum respexerit, nequis

X ad

ad certum ineundum Matrimonium
40 *per vim*, *& coactionem* compelleretur, non vero, ut potestas non esset Parentibus etiam sub pœna Exhæredationis prohibere Filiis, ne cum certis personis tamquam indignis inirent Conjugia, adeo verum est, ut non solum Exhæredationem ad actum reductam, sed solum timorem futuræ Exhæredationis esse sufficientem causam, per quam Filius resilire possit à
41 Sponsalibus per ipsum, insciis, vel invitis justè Parentibus, contractis, existimaverit inter alios *Card. de Luc. de Matrim. disc.* 8. *num.* 11. 16. *&* 17. pluriesque firmaverit *Sac. Rot. Roman.*, & signanter *coram Seraphin. decis.*1258. *num.*2. *& cor. Penn. decis.*517. *sub num.*4. *vers. In casu*, *& vers. Paternè tamèn*, *& cor. Cavaler. decis.*447. *num.*3. *vers. In casu autem*, *& cor. Molines decis.* 979. *num.* 2. *tom.*4. *& cor. Kaunitz decis.* 77. *n.*5. *& seqq.*

Nec quidquam turbat objectum, quod si in demandanda omnimoda Matrimonii libertate ad *coactionem* in certam personam tantummodò respexissent Concilii Patres, inutilis planè decidenda foret eorum sollicitudo, quia non Matrimonium modo, sed nec ullus alius Contractus justè, &
42 validè initur vi, & coactione accedente *tot. tit. ff. & Codic. Quod met. caus.* unde potiùs dicendum, quod vera *Concilii* Sententia fuerit inhibendi non præcisam tantum *coactionem*, sed quodvis sive directum, sive indirectum nativæ libertatis impedimentum.

Sciebant enim & ipsi Tridentini Patres, quod quilibet Contractus à solo Contrahentium consensu dependens, nisi liberè, & sponte, sed per
43 vim celebretur, nullitatis vitio laborat, sed simul non ignorabant quam periculosum Subditis esset hanc allegare nullitatem, non contra personas privatas, prout in aliis Contractibus evenire solet, sed adversus proprios Supremos Principes, & Seculares Potestates Superiorem non recognoscentes, quatenùs ab ipsis ad Matrimonium sibi invisum contrahendum aliquando compellerentur, contra quos semper durissimum calcitrare fuisset, ideoque ad eorumdem supremam Auctoritatem intra limites honestatis, & justitiæ coarctandam, adeout à similibus coactionibus Subditi penitus in futurum liberarentur, nullum aliud efficacius invenire potuere remedium, quam terribilem Censurarum gladium, à quo iidem Domini temporales deterriti, ab eisdem coactionibus, per quas directè, vel indirectè prius ad certum Matrimonium ineundum Subditi adigebantur, in posterum abstinerent, quemadmodum ipsa *Concilii* verba, & causa impulsiva dictæ Dispositionis in *præcit. Cap.*9. *Sess.*24. *de reform. Matrim.* satis ostendunt = ibi = *Ita plerumque* TEMPORALIUM DOMINORUM, AC MAGISTRATUUM *mentis oculos terreni affectus*, *atque cupiditates excæcant*, *ut Viros*, *& Mulieres sub eorum jurisdictione degentes*, *maximè divites*, *vèl spem magnæ hæreditatis habentes minis*, *& pœnis* ADIGANT CUM IIS MATRIMONIUM INVITOS CONTRAHERE, QUOS IPSI DOMINI, VEL MAGISTRATUS ILLIS PRÆSCRIPSERINT; *Quare cum maximè nefarium sit Matrimonii libertatem violare*, *& ab eis injurias nasci*, *à quibus Jura expectantur*, *præcipit Sancta Synodus omnibus cujuscumque gradus*, *dignitatis*, *& conditionis existant* SUB ANATHEMATIS POENA, QUAM IPSO FACTO INCURRANT, *ne quovis modo directè*, *vèl indirectè Subditos suos*, *vèl quoscumque alios* COGANT, *quominus libere Matrimonia contrahant* = & hunc esse verum Conciliaris dispositionis sensum docent *Barbos. sup.* 44
*Concil. Tridentin. Sess.*24. *d. cap.*9. *de reform. Matr. num.*9. *Coninch. de Matrim. disput.*28. *dub.*5. *num.*48. *Zipæus de Sponsal. num.*6. *in fin. Guttierez quæst. Canonic. lib.*1. *cap.*20. *num.*32. *Boss. de Matrim. cap.*11. §.3. *num.* 30. *Thesaur. de pœn. Eccles. par.*2. *verb. Matrimonia cap.* 7. *sub n.*1. *vers. Contrarium tamen*, ubi quod hæc est communior opinio *Basil. de Ponte de impediment Matrim. cap.*29. §.12. *Molin. de Just. tract.*2. *disput.*76. *vers. Ad secundam partem Bonaccin. Theol. Moral. tom.*1. *tit. de Matrim. quæst.*4.

quæst.4. punct.17. num.26. = ibi = *Neque obstat Decretum Tridentini &c. ubi videtur injunxisse excomunicationem cogentibus, & prohibentibus Matrimonium: ratio est, quia Concilium loquitur* DE COGENTIBUS AD MATRIMONIUM, NON VERO DE PROHIBENTIBUS, *ut multi Doctores testantur &c. tum quia etiamsi admitteremus Concilium loqui de impedientibus* (quod esset contra mentem expressam ipsius *Concilii*, & induceretur implicantia, & contradictio inter dispositionem d. *cap.9.*, & alteram *cap.1. ead. sess.24. de reform. Matrim.*, ut jam ostendimus) *intelligendum esset de impedientibus absque justa causa* =

Aliud est enim quempiam *compellere* ad statum Conjugalem amplectendum, vèl ad Matrimonium ineundum cum persona certa, seù de certo
45 genere personarum, aliud vero, longèque aliud eidem *prohibere*, ne nubat personæ Parentibus invisæ, seù humili, abjectæ, & indignæ, salva potestate nubendi honestioribus, ac Parentibus non exosis. Læditur quippè
46 primo casu libertas, quoniam sic coactus non tàm ex sua voluntate nubere videtur, quàm ex aliena, quippè qui vèl obligatur ad eligendum Statum Conjugalem invitus, vèl cum alia persona, præter illam sibi designatam, liberè contrahere non valet *leg. Cum ita Legatum 62 ff. de condit.*, *& demonstrat.* = ibi = *Quæ enim Titio nubere jubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur* = At secundo casu aliter se res habet, vim enim non infert, nèc cogere is dicitur, qui non ad certas impellit Nuptias, sed certas
47 vetat, præpeditque, hoc namque casu cum plures supersint, quibus ita impeditus se pro sui libito conjungere potest, satis intelligendus est contrahere *liberè*, retento inter innumeras alias electionis arbitrio, ut per *Text. in dicta leg. Cum ita Legatum 62. ff. de condit., & demonstrat.* solidè animadvertit *Fagn. in Cap.Cum dilectus num.41. de Consuetud.* = ibi = *Et nihilominùs quamvis conditio, si Puella nupserit alicui ex personis arbitratu Tertii designandis tamquam impediens libertatem Matrimonij non valeat, & habeatur prò non adjecta &c. aliud tamèn dicendum est in conditione negativa, si non nupserit alicui ex certo genere personarum, quia valet conditio, dummodo alii supersint, quibus condignè Puella possit nubere. Casus est in l. &c. ex quo contextu satis clarè apparet exclusionem plurium personarum à facultate nubendi non esse impeditivam libertatis Matrimonii, & idem juris est, si excludantur personæ unius Civitatis* = eo modo, quo neque Pater Filium, neque superior Subditum *compellere* potest ad statum cœlibem amplectendum, seù ad professionem in aliqua particulari Religione Filio, sivè Subdito penitus invisa emittendam absque læsione naturalis libertatis, at si è converso Pater Filio *prohibeat*, ne habitum Religionis assumat in aliquo particulari Monasterio, seù Conventu, ubi damnationem potius, quam vitam æternam illum invenire posse prævideat, aut eodem tempore, quo Subditus illud Monasterium ingredi deliberat, ipsum Monasterium, seù etiam ea Religio, sivè Institutum ex justis causis à Papa supprimatur, nemo audebit asserere, quod uterque impediat Filio, & respectivè Subdito liberam Status Religiosi electionem, seù professionem emittere, quia ex justis causis, ea Religione prohibita, seù suppressa, ad unam ex quamplurimis aliis per ipsum eligendam ei liber patet accessus.

Hæc insuper differentia inter prohibitionem, & compulsionem, seù coactionem exemplificari potest in eo, qui captus amore alicujus Puellæ omnes conatus adhibeat, ut illam in Uxorem habere possit, & ubicùmque data opera eamdem reperiat, modò crebris obsequiis, modo summis laudibus, modo etiam minis ad sui amorem inducere studeat; Puella verò non solum à simili abhorreat Matrimonio, sed cum ipsum Virum odio prosequatur, ad Superiorem recurrat, ut illi prohibeat, ne deinceps audeat ullo modo suam insultare modestiam, quia ad ineundas cum eo Nuptias nunquam erit datura consensum. In his utique circumstantiis, etsi quilibet Episcopus, sivè Judex *cogere* non possit Puellam

ad ineundum cum eo Viro Matrimonium, & quidèm sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ *Thesaur. de pœnis Eccles. par.2. verb. Matrimonia cap.7. sub num.1. vers. Amplia primo* quia hujusmodi *coactione* Puellam sua nativa libertate privaret, hoc enim contracto Matrimonio, quemlibet alium Virum sibi benè visum amplius desponsare nequiret; Potest tamèn, imò tenetur etiam sub pœnali præcepto *prohibere* Viro, ne ampliùs ad illam accedat, non attento quoque periculo fornicationis per ipsum forsan opponendo, quia si ob hujusmodi *prohibitionem* cum ea Conjugium contrahere non valet, nativa tamèn ei non remanet ablata libertas, nam cum alia quacumque Fœmina sibi æquali illud contrahere, & fornicationem evitare non impeditur.

Nihil penitus refragante, quod exhæredatio sit pœna, quodque in
48 Jure cautum sit, quod pœnæ à Testatoribus adjectæ sub conditione, si Filius, Filiave alicui generi nubat, sivè si alteri non nubat, solvi non debeant, sed ejusmodi conditiones utpotè Connubiorum libertatem destruentes prò
49 non appositis habeantur *Cyn. in l. Titia ff. de verb. obligat. Ruin. cons.221. sub num.10. Roland. cons.100. n.126. lib.4. Cyriac. contr. 451. num.83. Fontanell. de pact. nupt. tom.1. claus.4. gl.ss.2. num.10., & 26. Mantic. de conject. ultim. volunt. lib.11. tit.18. num.8. Sanch. de Matrim. lib.1. disput.34. num.10. & seq., Card de Luc. de Testament. disc.73. num.12.*

Hæc etenim, aliaque Jura, quæ pro Adolescente allegabantur, & allegari possent, utique procedunt in casu, quo Testator metu pœnæ voluerit *cogere* Filium ad desponsandam Fœminam alicujus dumtaxàt generis personarum, & non aliam, seù quatenùs Fœminam alicujus dumtaxàt generis personarum non duxerit, eum privet hæreditate, nam hoc est *cogere* ad certum Matrimonium ineundum adversus Matrimonii libertatem, non autem *prohibere*, ne Filius copuletur cum aliqua persona in specie, seù alicujus generis personarum, data tamen ei libertate cum quibuscumque aliis honestas contrahendi Nuptias; pariterque ad summum locum obtinent in casu, quo Testator addiderit conditioni, vèl *certum tempus* ad Nuptias 50
ineundas, vèl *locum præcisum*, ex quo eligi debeat persona desponsanda, vèl *certum modum* omninò servandum in Nuptiis contrahendis, ità & taliter, ut per hanc conditionem, quæ quodammodò jugulat, & obligat vel ad tempus, vel ad locum, vel ad modum nullatenùs immutandum, libertati Matrimonii præjudicium inferatur, ut inter DD. desuper in contrarium adductos declarat *Card. de Luc. de Matrim. disc.14. num.6., & de Testament. dict. disc.73. num.12.* = ibi = *Hinc proindè major difficultas hodiè non est circa conditiones negativas respicientes substantiam unius, vèl alterius Matrimonii, sed est circa respicientes qualitatem, & accidentia, quia nempè Testator non prohibuerit Nuptias, sed illis præscripserit certum tempus, vèl locum, aut modum, adeout talis conditio libertati Matrimonii præjudicare videatur* = idemque dicendum si conditio per Testatorem apposita, licet non præseferat apertissimam *coactionem* ad aliquod Matrimonium *cer-* 51
tum ineundum, attamen saltem *coactioni* æquiparetur, in quibus terminis procedunt aliæ auctoritates, quæ in contrarium allegabantur, & signanter *Rot. decis.93. num.8. part. 10. recent. & in Firmana Restitutionis in integrum 9. Junii 1755., & 13. Februar. 1756. cor. R. P. D. Stadion., & decis.268. num.3. & seq. cor. Ansald. tom.3.* quoties enim conditio non inducit *exceptionem* alicujus personæ, seù certi generis personarum, aut certi loci, ita ut, quoad alias personas, seù personarum genus Matrimonii libertas intacta remaneat, sed potius inducit *coactionem* ad nubendum certæ personæ, seù certi generis, aut ex certo loco, vel conditio alio quovis modo equivaleat *coactioni*, quia sic Matri- 52
monii libertas aliter exerceri non potest, nèc conditio, nèc pœna subsistit, etiamsi substituta in casu contraventionis pia causa fuisset *Rot. decis.493. num.37. & seqq., & num.41. & 42. par.4.*

par.4. tom.2. & dicta decis.93. n.13. part.10,recen. & dicta decis. 268.n.3. & seq. cor. Ansald. ubi tamen admittit hanc quoque valere conditionem, si Testator sub eadem conditione non Filium, sed Extraneum in Testamento Hæredem instituerit.

Quamvis secùs dicendum esset, quando Filius a Patre alliceretur in
53 Testamento ad certas Nuptias *spe lucri*, non autem formidine pœnæ, veluti præ aliis distinguunt *Card.de Luc. de Matrim. disc.14. n.5. Tusch. lit.M. conclus.134. n.5. Sanchez de Matrim. lib.1. disput.33. n.6. & seq. Rot. cor. Crisp. decis.75. n.2. & in d. Firmana Restitutionis in integrum 9. Junii 1755. cor. R.P.D. Stadion.* Si enim Pater ad inducendum Filium ad ineundum Matrimonium cum *certa* Fœmina, seu cum Fœmina *certi* generis personarum,vel *certi* loci, priusquam illum hæredem universalem instituat, ei prædictum onus injungat, aut ipso hærede instituto, ultra bona titulo
54 hæreditario eidem relicta, offerat illi insuper aliud lucrum,vel præmium, quatenus prædictas Nuptias, *quamvis certas*, contraxerit, valere hoc Testatoris præceptum non est dubitandum, quia hæredis arbitrio remittitur,aut injunctas nuptias contrahere, & consequi lucrum, aut illas respuere, & lucrum amittere, seu amittere præmium sub conditione adimplementi præcepti sibi dumtaxat oblatum; non valere autem idem Testatoris præceptum dicendum venit, si attributa fuerit hæredi prius in omnibus
55 bonis ejusdem Testatoris absque ulla conditione successio, & deindè hoc Jus per hæredem in iisdem bonis ex voluntate satis expressa Testatoris jam quæsitum ab eodem Testatore adimi velit per modum pœnæ, quatenus scilicet ejus præcepto de ducenda illa, vel illa Uxore, seu de *certo* genere personarum parere nolit, hæc
56 enim esset vera *coactio pœnalis* in Matrimoniis (in quibus liber debet esse consensus) omninò interdicta, ne hæres hac pœna deterritus Matrimonium cum Fœmina sibi penitus invisa contrahere cogatur; Quod & dicendum venit, quando Testator Filio,
quem in Testamento hæredem instituit, deinde præcipit, quod illas, vel 57
illas nuptias in specie contrahat, aliàs in casu contraventionis teneatur in pœnam solvere ex ipsa Testatoris hæreditate legatum, quia tunc hujusmodi legatum erit inutile, ex quo secundum formam testamentariæ dispositionis hæres *cogitur* ad evitandam hujusmodi pœnam super bonis hæreditariis contra Jus sibi quæsitum appositam, illud præcisè contrahere Matrimonium non spontè, sed metu pœnæ, ut aperte declarat *Rot. in præcit. Firmana Restitutionis in integrum 9. Junii 1755. & 13. Febr. 1756. cor. R.P.D. Stadion.*

At hæc ipsa distinctio non æquè procedit, dum *certæ* non designantur, nèc injunguntur Nuptiæ, sed tantum prohibentur præsertim cum indignis, salva namque libertate nubendi honestioribus, Testatoris præceptum firmum remanet tùm si spem lucri exhi- 58
beat, tùm si pœnam inflixerit *Felin. in Cap.1.n.20.de Sponsal.* ubi ex *Bartol. in l. Ediximus Cod.de Murilegul. lib.11.* inquit *valere Statutum, quod inter Homines diversarum Civitatum non contrahatur Matrimonium sub certa pœna, dummodò possint honestè nubere inter homines suæ sectæ* = optime *Sanchez de Matrim. lib.1.disp.34. n.35.* = ibi = *Conditio Nuptias impediens non perpetuò, sed ad tempus,vel respectu solum aliquarum personarum valida est* = & subinde *n.40.* = ibi = *Quinto infertur valere conditionem, ne Matrimonium contrahatur cum ignobili descendente a Judæis, aut Saracenis, quia relinquitur libertas cum aliis contrahendi* = concordant *Mierez de Majorat. par.1. quæst.51. n.3. Mans. consult.383. n.23. tom.5. Menoch.de præsumpt.lib.4.præsumpt. 189. n.82. & 84.* = ibi = *Non tamen impedit Matrimonii libertatem, quia etsi nubere prohibetur illi indigno, potest tamen nubere digno* = fusius *Mantic. de Conject. ult. volunt. lib.11. tit.18. n.4.* =ibi= *Illud autem dubium non est quin valeat ademptio facta sub conditione, si nupserit indigno, vel non Civi, vel non subdito &c. & quod Filius possit privari, si Uxorem duxe-*

duxerit indignam, quæ sit dedecori Familiæ probat text. &c. nèque ob id dicitur auferri libera facultas contrahendi Matrimonii, quia cum alia potuit commodè, & honestè contrahere = & firmavit *Rot. d. decis.* 89. *num.* 11. *cor. Bich.*

Quæ adeò vera sunt, studiumque tuendi generosam nobilitatem adeò omnium animos persuasit, ut sine ullo scrupulo impediendi Matrimonii libertatem plures jam constituti sint, & de novo constituantur Ordines Mi-
59 litares, a quibus nominatim, & expressè rejiciuntur, qui ex humilibus sunt progeniti nuptiis, seu humiles nuptias contraxerint, ac passim occurrant exempla Fideicommissorum ea sub lege constitutorum, ne ad natos
60 ex minus honestis nuptiis, neve ad inhonestas nuptias contrahentes devolvantur, quemadmodum latè ponderant *Hinpschil. de fideicomm. fam. nobil. cap.*8.*n.*364. *Mier. de Majorat. par.*2. *quæst.*1.*n.* 37. *Jo: Montealegr. in prax. civil. lib.*2. *cap.*1. §.3. *n.*19. *& seqq., Castill. contr. de conject. ult. volunt. lib.*5.*cap.*75. *ferè per tot. Torr. de Majorat. Ital. cap.*29 §.9. *n.*130. *Rot. Lucens. apud Mans. Consult.* 125.*n.*62. *tom.* 2.

Quodque non solum Pater non impediat Filio Matrimonii liberta-
61 tem, quatenus vel ante Matrimonium eidem injungat, ne illud contrahat cum indigna sub pœna exhæredationis, vel absolutè post Matrimonium cum indigna contractum illum sua privet hæreditate, dummodò tamen semper eidem antea dederit plenissimam libertatem cum digna Matrimonium ineundi, quatenus ei placuisset statum conjugalem amplecti.

Verum etiam, quod & Principes, ac Magistratus sæculares statuere possint, quod personæ Nobiles, vel honestæ sub aliqua certa pœna cum indi-
62 gnis Matrimonium inire non audeant, quia ex simili Statuto nulla libertatis violatio promanat, dum infinitæ sunt propemodum aliæ Fœminæ, cum quibus Cives nuptias contrahere non prohibentur, promiscuè docent Doctores, qui tàm ante, quàm post *Concilium Tridentinum* scripserunt, inter quos *Bald. in l.*1. §.*Jus naturale num.*10. *ff. de Just. & Jur. Bartol. in l. Edicimus n.*2. *Cod. de Murileg. lib.*11. = ibi = *Fuit Statutum, quod inter Homines diversarum Terrarum non contrahatur Matrimonium sub certa pœna: Quæro utrum Statutum valeat? videtur, quod sic, ut hic: in contrarium, quod non, quia aufert libertatem contrahendi Matrimonium, ergo &c. Respondetur Statutum non valet quantum ad hoc, ut faciat Matrimonium esse irritum, si contrahatur, quia cum sit Sacramentum, est res spiritualis, Laici non possunt statuere circa illud, sed an valeat quantum ad hoc, ut contrahentes puniantur, videtur dicendum quod sic. Siquidem possunt honestè nubere, servata forma Statuti, quia in qualibet secta tòt sunt, quòt possint Matrimonia contrahi, & tunc facientes contra incidunt in pœnam Statuti; aliter secus* = Idemque tradunt *Roman. in Rubr. ff. solut. Matrim. in* 7. *column. Cravet. cons.* 610. *in princ. Clar. Sentent. lib.* 5. §. *final. quæst.* 82. *n.*13. = ibi = *Sed quæro numquid valeant Statuta laicorum privantia Filiam Dote casu, quo nubat indigno; Resp. quod talia Statuta valent, & sunt firmissima, nèque de Jure Canonico reperiuntur correcta* = & conveniunt *Surd. decis.* 30. *num.*27. *Gratian. discept. forens. cap.* 5. *n.*9. & 10. & *cap.*205. *n.*26 = ibi = *Cum etiam valeat Statutum concedens libertatem contrahendi Matrimonium excipiendo solum certum genus personarum, si possunt cum aliis honestè nubere* = hisque subscripserunt *Gonzalez ad reg.*8. *Cancell. gloss.* 57. *n.* 55. *& seqq. Henriquez de Matrim. lib.*11. *cap.*6. *Manuel. in Summ. tom.*1. *cap.* 133. *num.*6. *Gregor. Lopez lib.*2. *tit.* 21. *par.*7. *vers. Cum Villan.* & ultra alios celebres Canonistas *Felin. in dicto Cap.* 1. *num.*20. *de Sponsal. Gaspar. Calderin. in Cap. Gemma eod. tit. Fagnan. in Cap. Cum dilectus n.* 42. *& seq. de Consuetud.* = ibi = *Et eodem modo non valet quidem Statutum adigens ad contrahendum cum certo genere personarum secundum opinionem Felin. &c. ideoque Sac. Congregatio Concilii olim consulta, an Satuta Laico-*

Locorum, quibus Fœminæ possidentes hæreditatem prohibentur extra dicta loca nubere, sint valida, censuit Decretum quidem cap.9. sess.24. de reformat. Matrim. non decisisse hunc casum, sed Jure veteri secundum communem sententiam &c. declarandum Statutum esse nullum, & ita referendum Sanctissimo, qui generali Constitutione hujusmodi Statuta nulla declaravit. Tamen secus est, si Statutum excipiat certum genus personarum dumtaxat, & relinquat libertatem contrahendi cum omnibus aliis, ut notabiliter tradit Bald. &c. ubi tenet Statuta Civitatis posse prohibere sub pœna, ne quis accipiat Gibellinam in Uxorem, & tale Statutum valere respectu pœnæ, si factum sit propter aliquam publicam utilitatem =

63 Licet autem in contrarium allegari soleant *Jo. Andr. in Cap. Statutum num.2. de Hæretic. in 6. Felin. in Cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. sub n.61. de Constit. & in Cap.1. n.13. de Sponsal. Dec. cons.231. per tot. Riminald. Jun. cons.* 87. *num.* 21. *Cravet. cons.*461. *n.*47. *Calcan. cons.*3. *Curt. sen. cons.*27. *col.*3. *n.* 3. *Cephal. cons.* 942. *num.*133. *lib.*5. *Soccin. cons.*3. *in princ. vol.* 1. *Mans. consult.* 135. *num.* 20. *Mascard. commun. conclus. conclus.*1. *num.*174. *Tusch. lit.M. conclus.*133. *per tot.* & signanter *n.*3. 29. 37. 56. 66. *ad* 69. *& conclus.*134. *n.*9. *Capoblanc. in pragm.*9. *cap.*61. *num.*1. *&* 26. *Clarlin. contr. lib.*1. *contr.*104. *n.*24. 29. *& seqq. Cyriac. contr.* 449. *n.*2. *& seqq.*, *Piton. discept.*52. *n.*6. *Barbos. sup. Concil. Trident. sess.* 24. *cap.*1. *de reform. Matrim. n.* 4. *Campell. ad Constit. Stat. Urbin. Decret.* 110. *n.*801. *& seq. Constant. ad Statut. Urb. annot.* 4. *num.*32. *&* 34. *tom.*1. *Mart. de success. legal. par.*1. *quæst.*25. *artic.*5. *per tot. & de Jurisdict. par.*4. *centur.*1. *cas.*70. *num.*5. *Alber. de Statut. par.*2. *quæst.*2. *n.* 65. *Dei Bene de Immunit. lib.*1. *cap.*8. *dubit.*9. *sect.*1. *per tot. Sanchez de Matrim. lib.*1. *disput.*30. *per tot. Molin. de rit. nupt. lib.*2. *different.*7. *n.*26. *& seq.*, *Ricc. de Jur. person. lib.*4. *cap.*4. *Fermosin. de legib. cap.*10. *tit. de Constit. tom.*1. *q.* 21. *n.*24.35. *& seq. Fontanell. de pact. nupt. claus.*4. *gloss.*2. *n.*1. *& seqq. Borell. in Summ. dec. par.*3. *tit.*1. *n.*293. *Rot. cor. Penn. dec.*517. *n.* 5. *& cor. Bich. dec.*89. *n.*3. *& dec* 493. *in princ. par.*4. *tom.*2. *& d. dec.*93. *n.*8. *par.*10. *recen.* ita ut in hac materia nèc illud ipsum Statutum a Laico Magistratu conditum ad arcenda dissidia, rixas, contentiones &c. validum sit judicandum *Mascard. d. conclus.*1. *sub n.*179. 64 = ibi = *Quia per tale Statutum intimidaretur Matrimonium, quod debet esse liberum, & licèt istud Statutum non utique Juris præsidio, æquitatisque munimine carere videatur, eo quod per talem prohibitionem arceantur & dissidia, & simultates, & assiduæ rixæ, contentiones, jurgia, cædes, & scandala, quæ oriuntur, ut plurimum, ex furtivo, & inexpectato Matrimonio, quibus ideò malis occurrere non modo æquum, sed necessarium videri deberet &c. tamen a priori opinione minimè recedendum erit, quia non sufficit, quod in aliquo casu adsit justa, imò necessaria causa aliquid statuendi, nisi a statuere debentibus statuatur, nèc æquitas facit, quod Laici, qui in spiritualibus nullo modo se intromittere possunt, spiritualem etiam auctoritatem sibi assumant, sed benè, æquitate suadente, ut pro remedio ad Superiores Ecclesiasticos recurrant, consentiendum est &c.* =

Nihilominùs mox præcitati DD. non agunt in specie de Statutis *impedientibus* aliquod certum Matrimonium cum certa persona, seu de certo genere personarum sub aliqua certa pœna, sed vel contra *Naturale*, *Divinum*, *& Ecclesiasticum præceptum* malè supponunt posse contra Parentum impedimentum per Filium contrahi Matrimonium, quia eorum consensus de honestate tantum, non autem de necessitate, & præcepto requiratur, prout requiri probavimus in *Vot.1. n.*8. 57. *& seqq.* vel loquuntur de Statuto generaliter prohibente Nuptias cum Exteris, ne Bona exeant e Civitate, aut ne contrahantur cum personis certarum partium, seu locorum, vel de pœna conventionali in *Cap. Gemma de Sponsal.* omninò prohibita, ut latè in suis propriis termi- 65

nis

nis nos etiam ostendimus in *Vot. VI. a num. 125. ad fin.* vel de legato relicto sub conditione, quod legatarius nubat arbitratu Tertii, vel de defectu Jurisdictionis Laicorum condendi Statuta super Ecclesias, Ecclesiasticas personas, ac res spirituales, vel de
66 lege, quæ Matrimonii, uti Sacramenti, substantiam tangat, quamque condere non ad laicalem, sed ad Ecclesiasticam, & spiritualem auctoritatem pertineat, prout concludit in specie *Mascard. loc. cit.* vel demum de Parentibus, aut Statutis quemquam cogentibus ad ineundum Matrimonium cum certa persona, aut de certo genere personarum, de quibus præ cæteris loqui videtur *Rot. cor. Penn. decis. 517. num. 5.* ubi eatenus supponit, quod Statuta imponentia pœnas contra Filios contrahentes Matrimonia sinè consensu Parentum sint invalida, quàtenus vel obiter tantum, & non examinata materia, id enunciat, vel quia de illis Statutis tantummodò mentionem facere intelligit, quæ, ut ibi dicit, = *Violant Matrimoniorum libertatem* =, prout accideret, si Statutum requireret Parentum consensum ita, & taliter, ut Filius nonnisi Fœminam *in specie* a Parentibus designandam, vel eligendam, *& non aliam* desponsare deberet, & ad eam desponsandam ab ipsis Parentibus compelli posset, de hac etenim compulsione loquitur *Sac. Concilium Trident. sess. 24. cap. 9. de reform. Matrim.* in eadem *Decisione* ad hanc firmandam conclusionem expressè citatum, quæ proindè Jura, ac alia forsan improbo labore cumulanda nostrum infringere assumptum profectò non valent.

Quandoquidem aliud planè Juris est, si Statutum nèc pœnam nullitatis Matrimonii imponat, nèc ullo modo Sacramenti substantiam tangat, nèc spiritualem auctoritatem usurpet, nèc sub pœna cogat ad ineundum cum certa persona, seu de certo personarum genere Matrimonium, sed potius vel
67 certam personam, vel certum genus personarum excipiat, & cum omnibus aliis non exceptis contrahendi libertatem relinquat, ut supra prænotavimus *num. 34. & 47.* Hæc etenim exceptio libertati Matrimonii non adversatur, alias Ecclesia Matrimonia, insciis, vel invitis Parentibus, contrahenda semper minimè prohibuisset, de qua prohibitione idem *Sac. Concil. in cap. 1. ead. sess. 24. de reform. Matrim.* testatur, & si nihilominus libera vult esse Matrimonia, libertas tamen, cui favet Ecclesia ea tantum est, quæ moribus congruit, quæ Filiorum ergà Parentes obsequium, & obedientiam non lædit, quæ nullum peccatum inducit, quæque protegit honestas Nuptias, nunquam vero Ecclesia contendere eo usque visa est, ut indignis Nuptiis manus præbuerit adjutrices, pati namque non potuit, ut per libertatis abusum imparibus Connubiis Familiæ coinquinarentur, constitutique in Civitatibus Ordines fœda commixtione vilescerent *Giballin. de Usur. tom. 2. lib. 4. cap. 5. artic. 9. n. 4. Martinon. tom. 2. de Sacram. disp. 71. sect. 9. num. 118. Card. de Luc. de Dot. disc. 142. num. 12.* = ibi = *Moventur ex ratione libertatis Matrimonii ex Jure Canonico resultantis, quæ futilis est. Nam intentio Juris Canonici nunquam fuit ad Matrimonii libertatem permittere turpia, & criminosa, prout est indignè nubere, solumque sustulit necessitatem consensus paterni a Jure Civili requisiti, sed cum supposito dignarum Nuptiarum, cum qualitas hæc æqualitatis, & dignitatis potius faveat Matrimonio, quàm adversetur* = concordat *Pignatell. Consult. 11. n. 7. tom. 4.* = ibi = *Nec obstat ad Matrimonium liberam voluntatem Contrahentium requiri &c. quia libera voluntas ferri debet in objectum honestum, aliòquin a Judice coercenda est, si in malum feratur* = & deinde *n. 8.* = ibi = *Minus obstat quemlibet posse nubere ad libitum, quia hoc quidem verum est, modo honestè contrahat, seu nubat, nempè si Matrimonium cum aliqua certa contrahere nequit sine lethali culpa, hoc Matrimonium non est permittendum* = latissimè infinitis propemodum collectis *Ferdinand. de Valent. discept. 5. n. 39. & seqq., de re Ecclesiast.*

Decet igitur, & maximoperè expedit,

pedit, quod per Statutum absque
70 ulla læsione libertatis frœna injician-
tur exitialissimo huic flagitio, ex quo
exprimi vix potest quot in Rempubli-
cam erumpant mala ex Adolescen-
tium culpa, qui non pietate ducti, sed
libidine victi eas temerè conantur du-
cere Uxores, cum quibus in contem-
ptum proprii decoris, & honestatis
ne conversari quidem, imò nec eas
alloqui deberent, undè odia inter
Consanguineos, dissidia, & rixæ cum
Animarum jactura oriuntur *Cened. in collect. Jur. Canon. ad Cap. Veniens n. 5. de Sponsalib. Rub. in annot. ad decis.* 431. *num.* 83. *& seqq.*, *par.* 4. *tom.* 2. *recen.*

Novit inter alios SSmus D.N.Benedict. XIV. Divini, humanique
Juris peritissimus hanc veritatem, nullum videlicet libertati Matrimonio-
rum esse præsidium adversus justa im-
pedimenta, quæ sive Lex, sive homi-
nes indignis Nuptiis, scandalisque
hinc processuris opportunissimè præ-
beant, nèc eidem libertati tantoperè
magnificatæ indulgendum eatenus es-
se, ut ad fovendum privata, pu-
71 blicaque incommoda, & mala per-
ducatur, quemadmodum adver-
tunt etiam *Piton. discept. Eccles.* 52. *num.* 86. *Ferdinand. de Valent. discept.* 5. *num.* 43. 44. *&* 45. *de re Eccles.* = ibi = *Et jure quidem, meritòque, intentio enim Juris Canonici, & Sac. Concilii nunquam fuit, ob Matrimonii libertatem, permittere turpia, & criminosa, prout est indignè nubere* = ideò-
que pœnale *Edictum* a Christianissi-
mo Rege Henrico III. in Comitiis
Blesensibus *ann.* 1579. *artic.* 4. pro-
mulgatum, atque a Ludovico XIII.
anno 1629. *&* 1639. renovatum su-
per Matrimonia Filiorumfamilias sine
consensu Parentum contracta, licèt
emanatum fuisset a Laica potestate,
non improbavit, nèc putavit obstare
libertati Matrimonii, sed omninò va-
72 lere quoad invaliditatem conventio-
num Matrimonialium, invaliditatem
Dotis, & quoad alios Civiles effe-
ctus declaravit in suo celebri *tract. de Syn-od. Diœceson. lib.* 9. *cap.* 11. *num.* 5. *pag.* 321. *ultimæ Roman. impress.* alias
per Nos cit. in *Vol. I. sub num.* 78. *vers. Nuperrimè*.

Cumque Senatus Bononiensis ad
comprimendum tantum in improvidis
hominibus plerumque Adolescentibus
flagitium, sapienter statuerit, ut qui-
cumque se se commaculassent inæqua-
li consortio, statim caderent a patrii 73
Magistratus honore, ut ex duobus Se-
natus Consultis, & præcipuè ex se-
quenti *diei* 9. *Septembr.* 1748. clare
resultat =„ In oltre chi sposasse Don-
„ na non nobile perda *ipso facto* la
„ capacità al Magistrato de' Signori
„ Anziani, ancorchè prima lo avesse
„ altra volta investito &c. Che se poi
„ alcuno s' avvilisse a segno di con-
„ trarre Matrimonio con Donna, la
„ quale si fosse venalmente esposta sù
„ i Teatri, o avesse denigrato pub-
„ blicamente il proprio dovuto deco-
„ ro, o che fosse in altro modo o
„ turpe, o abjetta, in questo caso
„ egli sarà *ipso facto* escluso dalla
„ capacità non solamente dell'Anzia-
„ nato, ma ancora da quella delle
„ Borse nobili de' Signori Tribuni,
„ e Stendardieri, nelle quali essendo
„ stato anche prima imborsato, estrat-
„ to non sarà ammesso; Così pure
„ non sarà considerato in tutti gl'al-
„ tri impieghi, cariche, ed onori-
„ ficenze solite conferirsi dall'Illmo,
„ ed Eccmo Reggimento a Persone
„ nobili „ sensit prælaudatus sum-
mus Pontifex hujus consultissimæ le-
gis necessitatem, ideoque rogatus le- 74
gem ipsam Apostolicæ auctoritatis ro-
bore illico communivit, optimè ratus
ex hac pragmatica sanctione, quæ ad
politicum regimen pertinet, nihil esse
Matrimoniorum libertati detractum,
unde datis in id *Literis in forma Brevis die* 14. *Februar.* 1749. prodiit Edi-
ctum cl. m. Cardinalis ab Auria tunc
Legati Bononiensis, quo singulos mo-
nuit eumdem SummumPontificem ne-
dum confirmasse scripta jam Senatus
Consulta, sed fuisse quoque suasorem,
ut scriberentur, cujus verba sunt, quæ
sequuntur „ La Santità di Nostro
„ Signore Papa Benedetto XIV. fe-
„ licemente regnante per impulso di
„ paterno clementissimo amore verso
„ questa sua Città, e Patria, aven- 75

Y „ do

„ do specialmente a cuore, che si
„ mantenga la chiarezza, e splen-
„ dore dell'antiche Famiglie nobili,
„ e che l'estinzione di quelle venga
„ riparata col conveniente riguardo
„ al decoro dell' Ordine Nobile, e
„ de' Magistrati, che devono inve-
„ stirsi, e finalmente, che resti re-
„ golato l'uso de' titoli, ed altre
„ distinzioni corrispondenti all'ordi-
„ ne, e grado di ciascheduno, si
„ degnò d'eccitare la pubblica atten-
„ zione a quei regolamenti, che po-
„ tessero meglio assicurare oggetti
„ di tanta importanza; essendosi per
„ tanto con due *Senato Consulti*, l'
„ uno delli 9. Settembre 1748., e
„ l'altro delli 17. Gennaro del cor-
„ rente anno 1749. stabilite alcune
„ Provisioni, la Santità Sua s'è de-
„ gnata di benignamente approvar-
„ le, come uniformi alle Sovrane
„ sue intenzioni, e con suo Breve
„ delli 14. Febbraro le ha conferma-
„ te in ogni sua parte, commettendo-
„ ne la pubblicazione con Editto,
„ acciò si rendano palesi a tutti, ed
„ ingiungendone sotto varie pene la
„ totale ubbidienza ad ogni, e qua-
„ lunque persona, ed Università an-
„ che in qualunque modo privilegia-
„ ta, e forse degna d'individua, e
„ special menzione „.

Hoc excitati *Imolenses* exemplo, cum inæqualia Connubia non sine maximo dedecore, ac nobilium Familiarum, totiusque Reipublicæ perturbatione in eorum quoque Civitate de die in diem grassari deflerent, coactis *die* 19. *Junii* 1756. Generalis Consilii
76 Comitiis propositum fuit = „ A chi
„ pare, e piace, che per conserva-
„ re alla Città quel decoro, che de-
„ ve avere per massima questo Illmo
„ General Consiglio, il quale la rap-
„ presenta, di mantenere, che quel-
„ le Persone dell'Ordine Nobile, le
„ quali hanno sposate, o che in av-
„ venire sposeranno Donne vili, e
„ plebee, o d'arti meccaniche, ov-
„ vero, che eserciteranno arte, o
„ impiego improprio della nobiltà,
„ oppure, che incorreranno in qual-
„ che delitto, che Iddio non voglia,
„ il quale inferisca pena d'infamia,
„ e perciò demeriteranno la grazia
„ del Prencipe, restino esse Persone,
„ e loro Figli esclusi *ipso facto* dal
„ grado di Consigliere, e che il ria-
„ bilitarle al medesimo appartenga
„ al General Consiglio, e lo possa
„ fare con tre quarti di Voti, e che
„ della presente risoluzione se n'im-
„ plori l'approvazione della Santità
„ di nostro Signore felicemente Re-
„ gnante, dia il Voto bianco, e chi
„ nò contrario „ = datis, recollectis, ac numeratis votis, inventa fuerunt *alba* 37., *nigra vero tria*, quibus non obstantibus Conciliaris resolutio suum habuit, prout habere debebat, vigorem.

Re autem delata ad *Sacram Congregationem Consultationibus Status Ecclesiastici præpositam*, hæc priùs audiendum esse censuit Emum, & Rmum D. Cardinalem Joannem Franciscum Stoppani tunc emeritissimum Æmiliæ 77
Legatum, eamque Provinciam omnium Populorum plausu uti amantissimum Patrem gubernantem, qui summa sapientia, atque prudentia præditus, longaque experientia doctus desiderare visus est, ut quod *Imolenses* statuerant, singularum quoque Civitatum commune Statutum evaderet, quemadmodum ex ejus sequenti *Epistola* eleganter de more ab ipso exarata, & ad Emum *prædictæ Sacræ Congregationis* Præfectum transmissa luculentèr apparet, videlicèt,
„ Emo, e Rmo Signore mio Osser-
„ vandissimo = Il Ceto Nobile della
„ Città d'Imola, e del di cui
„ solo Corpo è composto quel Consi-
„ glio, vedendo di questa deturpa-
„ ta la limpidezza, ed offuscato lo
„ splendore dall' inconsiderata gio-
„ venile condotta d'alcuni Nobili, i
„ quali ingolfati in amori con vili
„ Donne, e plebee erano poi cieca-
„ mente trascorsi ad isposarle, cre-
„ dette di dovere finalmente por
„ freno a simili carriere, che recan-
„ do macchia, e disdoro al Consiglio
„ suddetto, lo venivano in tal guisa a
„ privare dell'illustre requisito di far
„ prova di Nobiltà, ad aprivano ad
„ un tempo stesso un ampio campo a
„ mille inconvenienti, e disordini
„ tan-

,, tanto nelle private Famiglie, che
,, nella condotta de'pubblici interessi;
,, Fatta perciò matura riflessione sopra
,, i più adequati espedienti, si deter-
,, minò quel Consiglio con legge
,, Statutaria di stabilire, che *ipso fa-*
,, *cto* s'intendessero escluse dal grado
,, di Consiglieri quelle Persone, e
,, loro Figli, che avessero sposato,
,, ò sposassero Donne vili, e plebee,
,, ò s'impiegassero ad arti vili, e
,, meccaniche disdicenti all' esser di
,, Nobile, ò che per qualche delit-
,, to con nota d'infamia avessero in-
,, corso la disgrazia del Prencipe,
,, affinchè dalla forza, e peso di que-
,, sta legge intimoriti, se n'ottenesse
,, l'intento di veder moderato l'ac-
,, cennato intollerabile abuso. Que-
,, sto per tanto è quello stabilimen-
,, to, che la Città suddetta richie-
,, de in oggi autorizzato colla Supre-
,, ma approvazione di codesto Sagro
,, Tribunale, ed io non mi distendo
,, a porre in vista all' Eminenza Vo-
,, stra que' fondi riflessi, e quelle
,, ragioni, per le quali la sperano, e
,, l'implorano, per esser queste di-
,, stintamente esposte negl' inserti
,, fogli, che uniti al Memoriale, ed
,, a documenti di detta Città mi dò
,, l'onore d'umiliare all' Emza Vo-
,, stra. E perchè ragion voleva, che
,, da me si rilevassero anche que' mo-
,, tivi, che in contrario potevano
,, addursi da taluni di que' Nobili,
,, che caduti in simili debolezze ve-
,, nivano da detta legge ad esser per-
,, cossi, e feriti, compiego all'Emza
,, Vostra anche il Foglio da medesimi
,, fattomi pervenire, per sottoporre
,, anche questo al superiore discerni-
,, mento del Sagro Tribunale, affin-
,, chè ne formi un più adequato giu-
,, dizio. Due cose bensì mi prende-
,, rò la libertà di porre in considera-
,, zione all'Emza Vostra; la prima si
,, è, se si renda più conforme all'e-
,, quità, che quei Nobili di già am-
,, messi, ed i quali hanno contratti
,, Matrimonj vili, più tosto, che es-
,, sere affatto depennati dal Consiglio
,, in forza di detta legge, basti, che
,, soltanto restino inabilitati alla
,, Magistratura, ed agl' Uffizj pub-
,, blici coll'esclusione de' loro Figli,
,, e la seconda, se eccettuandosi da d.
,, legge que' Matrimonj contratti
,, da un Nobile con un' onesta Citta-
,, dina sull'oggetto di cospicua Dote
,, abile a rinfrancare le povere No-
,, bili Famiglie, ed a mantenerle in
,, stato più splendido, e decoroso,
,, torni bene, che il Sagro Tribuna-
,, le ne prefinisca la quantità, per
,, non sottoporre simili Contraenti a
,, capricciose, e tal volta ineguali ri-
,, soluzioni. Per altro sarebbe pur
,, troppo necessario, che legge così
,, provida s' estendesse in tutto lo
,, Stato Pontificio, mentre colla
,, Censura di questa verrebbe a con-
,, servare il decoro de Magistrati, ed
,, a prodursi un miglior ordine, e re-
,, golamento ne Consigli, ne si ve-
,, derebbero que' fatali sconcerti, da'
,, quali restano involte le cose pub-
,, bliche, ed hanno origine gl' irre-
,, conciliabili odj, e dissensioni tra le
,, Famiglie, che ne portano in fine
,, la funesta rovina, come ho veduto
,, succedere nella Legazione d' Ur-
,, bino, e ne scorgo i luttuosi esem-
,, pj anche in questa; Con che pieno
,, d'ossequio bacio all'Emza Vostra
,, umilissimamente le mani = Di Vo-
,, stra Emza = Ravenna 22. Genna-
,, jo 1757 = Umo, Divmo Servitor
,, vero G.F. Card. Stoppani ,, Qui-
bus exceptis literis *sub die* 3. *Junii*
1757. prælaudata *Sac. Congregatio* 78
in contradictorio judicio rescripsit =
Excludendos esse à munere Magistra-
tus, *& loco Consilii Contrahentes*
Matrimonia cum Mulieribus humili-
bus, *& abjectis*, *& pro executione*,
& declaratione in casibus particula-
ribus tàm præteritis, *quàm futuris*
recurrant ad Sacram Consultam =

Hanc. Legem, quæ *Bononiensi-*
bus, & *Imolensibus* versa est in lau-
dem, in propriam sibi quoque lau-
dem verti posse *Maceratenses* existi-
marunt, si crebris Nobilium Adole-
scentium lapsibus commoniti ad tan-
tam profligandam, seù saltem coercen-
dam pestem in Consilio, quod vocant
Reformantiæ, statuissent, quemadmo- 79
dum sub *die* 24. *Augusti* 1756. statuere
non omiserunt ,, Che chiunque si

,, trovasse accasato , o si accasasse in
,, avvenire con Persone Ignobili , ò
,, Plebee , ò di nascita disdicevole
,, al decoro del proprio grado , e
,, condizione , non debba essere am-
,, messo ad alcun grado di Nobiltà ,
,, anzi sia Egli , e i Figli , e Posteri
,, suoi *ipso facto* cassato dal Ruolo
,, della Nobiltà suddetta , e riman-
,, ga Esso , e ciascun di loro subito
,, privo di tutti i gradi , onori , e
,, privilegj , che alla detta nostra
,, Nobiltà si concedono : eccettuan-
,, do da questo Decreto solo quelle
,, persone , vita però loro naturale
,, durante , che quantunque accasate,
,, come sopra, si trovano attualmen-
,, te nel possesso di detti gradi di
,, Nobiltà . Con espressa dichiara-
,, zione anche , che qualora di qui in
,, poi chiunque , dopo essere stato
,, ammesso , s'accasasse con persona
,, ignobile , ò plebea , ò di nascita
,, disdicevole al decoro del proprio
,, grado , e condizione, come sopra,
,, sia Egli stesso egualmente , che i
,, Figli, e Posteri suoi parimente *ipso*
,, *facto* decaduto , e resti privo di
,, tutti i gradi , onori , e privilegj
,, suddetti , e debba subito esser cas-
,, sato dal Ruolo , e tolto dal Busso-
,, lo di questo Reglmento ,, Ast ob
querimonias nonnullorum Nobilium ,
qui jàm impares contraxerant Nu-
ptias prædictum *Reformantiæ* Consi-
lium sub *die 2. Aprilis 1759.* novum
80 edidit Decretum,quo ,, inerendo an-
,, che al Decreto fatto nella passata
,, Riformanza,,*sancitum fuit leniori-*
bus verbis , *ut* ,, Siccome è in piena
,, libertà di ciascuno di scegliere la
,, Persona,con cui voglia congiungersi
,, in Matrimonio, così in avvenire , e
,, ne i futuri casi sia in egual libertà
,, del Consiglio di Riformanza, a cui
,, appartiene il dritto d' esaminare la
,, qualità di quelli , che pretendono
,, anco a titolo di Successione i No-
,, bili gradi della Città , di negar-
,, glieli , ò accordarglieli , secondo
,, le circostanze , e le qualità de Ma-
,, trimonj fatti da Pretendenti, qua-
,, li rimasti una volta esclusi , restino
,, ancora i di loro Figli , e Nipoti ad
,, una tal' esclusione soggetti : E ad
,, effetto , che una sì provida disposi-
,, zione abbia in tutti i futuri tempi
,, perpetua fermezza , se ne dovrà
,, chiedere l'approvazione , e con-
,, ferma dalla Santità di Nostro Si-
,, gnore felicemente regnante ,,

Verum neque huic acquievere
Decreto Nobiles illi , quibus furens
libido Nuptias persuaserat abjectissi-
mas , sed sub mendicato Zelatorum 81
nomine *Sacræ Congregationi Concilii*
preces postmodum obtulerunt peten-
tes , ut utrumque Decretum abroga-
retur tamquam contrarium libertati
Matrimonii , & Sanctioni Conciliari
in *Sess.24. cap.9. de reformat. Ma-*
trim. , qua prohibetur sub anathema-
tis pœna Magistratibus , & tempora-
libus Dominis , *ne quovis modo dire-*
ctè , vel indirectè Subditos suos , vel
quoscumque alios cogant , quominùs
liberè Matrimonium contrahant . Au-
dito igitur Magistratu , qui opposuit
libertatem Matrimonii intactam ser-
vari à præcitatis Decretis , quæ Nu-
ptias non prohibent directè, seù indi-
rectè extra certum numerum Fami-
liarum , vèl extrà Civitatem Mace-
ratensem , sed pœnam indicunt eje-
ctionis ab Ordine Nobilium adversus
eos,qui decus propriæ Nobilitatis ma-
culant vilibus, abjectisque Conjugiis,
ità ut liberam habeant Nobiles facul-
tatem dignè nubendi absque incursu
prædictæ pœnæ cuicumque maluerint
paris conditionis Mulieri,in quibus ter-
minis Statutum , vèl præceptum sub- 82
stineri etiam ex mente *Concilii* supra
probavimus præsertìm cum auctoritate
Fagnan. in Cap. Cum dilectus n.43.
de Consuetud, Mantic. de conject. ul-
tim. volunt. lib.11. tit.18. num. 4.
Sanchez de Matrim. lib.1. disput.34.
num.40.

Quique insuper addidit , quod
generosa Nobilitas Sanguinis purita-
tem requirens æque læsa remanet
exercitio vilium artium , quàm Con-
nubiis abjectarum Mulierum , quarum
Filii propterea , etiamsi præclara ful-
geant Patris Nobilitate , attamen
propter ignobilitatem Matris ad rectè
institutos Ordines Equestres non ad-
mittuntur ; unde pœna illius amissio-
nis indicta contra præfata Connubia 83
ineun-

ineuntes non Matrimonii lædit libertatem, sed studium respicit conservandi in suo nitore Nobilitatem, nec vim ullam infert, sed pravos persequitur mores ad tramites *Text. in l. Continet* 3. §. 1. *ff. De eo, quod met. caus.* = ibi = *Vim accipimus &c. eam, quæ contra bonos mores fiat, non eam quam Magistratus rectè intulit, scilicèt Jure licito, & Jure honoris, quem sustinet* =.

Et allegatis tandem prædictis exemplis *Bononiæ*, & *Imolæ* Civitatum adversus Zelantes Contradictores, subjunxit, quod si similia Decreta in Civitate Bononiensi *per Summum Pontificem*, & in Civitate Imolensi per *Sacram Congregationem Status Ecclesiastici Consultationibus præpositam* reputata non fuerunt libertati Matrimonii contraria, eidem libertati contraria pariter Decreta prædicti Consilii Maceratensis videri non possent.

Hisce rationibus auditis, ac maturè ponderatis per Emos Patres, proposito deinde *Sacræ Congregationi Concilii* Dubio = *An Decretum, seù Decreta Consilii Reformantiæ, de quibus agitur, obstent libertati Matrimonii, & sint abolenda in casu* = Eadem sub *die* 17. *Januarii* 1761., & antequam hæc Vota ponerentur sub Prælo, edidit responsum = *Decretum*
84 *diei* 2. *Aprilis* 1759. *non obstare libertati Matrimonii, in reliquis dilata* = ex quo justissimo Rescripto apparet approbatum absolutè fuisse unicum Decretum Consilii Reformantiæ *diei* 2. *Aprilis* 1759., & dilatam Resolutionem circa alterum præcedens *diei* 24. *Augusti* 1756. sed reproposita deinde Causa sub *die* 19. *Septembr.* 1761. sub consueto Dubio = *An sit standum, vèl recedendum à decisis in casu &c.* = constantissimè rescripsit = *In decisis & ampliùs* =

Ex hactenus adductis igitur quatuor manifestissimè assequimur; Primum, quod etiam Supremi Principes Laici Superiorem non recognoscentes Statuta non coactiva ad certum Matrimonium ineundum, seù ad certam personam desponsandam, aut de certo genere personarum eligendam, sed exclusiva, aut prohibitiva indignorum Connubiorum, addita quoque pœna, dummodo substantia Sacramenti re- 85
maneat intacta, condere possunt, proùt admisisse quoque videmus inter alios *SS. D. N.* BENEDICTUM *XIV. in tract. de Synod. Diœcesan. lib.* 9. *d. cap.* 11. *num.* 5. *pag.* 321., tùm ne Familiarum Splendor Conjugio Fœminarum inferioris conditionis vilescat, deteriorve fiat, tùm ad evitandas luctuosas perturbationes, dissensiones, & calamitosas consequentias, quæ ex dispari Matrimonio oriri consueverunt, tùm quia hisce infelicissimis Nuptiis nunquam Ecclesia præbuit manus adjutrices, pati namque non potuit, ut per libertatis abusum honestæ Familiæ cujuscumque infimæ colluviei commixtione coinquinentur nèc, ob eamdem effrenatam libertatem, Matrimonium cum peccato contrahentes à Sacramentis, per quæ immortalis Vitæ pignora Fidelibus exhibentur, ipsa coadjuvante Ecclesia, mortis æternæ deglutiant lethale venenum.

Alterum, quod etiam Magistratus, qui Jure supremæ Dominationis, sivè Imperii non pollet, eamdem legem condere nòn prohibetur, salva Supremi Principis approbatione, sine qua lex suum non posset habere valo- 86
rem, ut præ cæteris notat *Card. de Luc. in summ. post tract. de Regal. rubr.* 12. *num.* 149. = ibi = *Inferioribus Magistratibus, vèl Subditis, merèque subordinatis Civitatibus generalitèr Statuta, & leges condendi absque Principis prævia licentia, vèl subsecuta confirmatione facultas denegatur* =

Tertium, quod in condendis similibus Statutis, ut in relata *Epistola* prælaudatus innuit oculatissimus Purpuratus maxima nonnisi semper 87
cum ejus prudentiæ, doctrinæque laude nominandus, ab hujusmodi lege excipi debeant Nobiles, qui ob aliquod Infortunium ad paupertatem redacti propriæ indigentiæ providere possunt, si Matrimonium contrahant cum honesta Puella divitiis affluente, quæ vel sit Civis, vel extra quoque Civitatem nata tàm ipsa, quàm ejus Parentes vivant more Nobilium, intereft

tereſt enim Reipublicæ locupletes Cives habere, non autem pauperes, ne à miſeriis preſſi cum aliquo ignobili exercitio propriam Nobilitatem deturpare cogantur.

Tandem ſi in hujuſmodi condendis legibus *pœna* à Statuentibus impoſita contra quoſcumque Cives impares Nuptias contrahentes libertati Matrimonii non obſtat, ut prædictus *Summus Pontifex* circa Edictum Bleſis
88 editum, & Bononienſe Decretum, item *Sacra Congregatio Status Eccleſiaſtici Conſultationibus præpoſita* circa
89 Decretum Generalis Conſilii Civitatis Imolæ, & demum *Sacra Congregatio Concilii* circa Decretum Conſilii *Reformantiæ* Civitatis Maceratæ apertiſſimè declararunt, ita & *pœna*
90 Exhæredationis à Parentibus impoſita contra Filios ſe indignis polluentes Connubiis eidem Matrimonii libertati obſtare non poterit.

Et ita &c. Utraque &c.

ANONYMA PRÆTENSÆ DISPENSATIONIS SUPER DENUNCIATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

ARGUMENTUM

An Epiſcopi, & Vicarii Generales, aliique Ordinarii, ad quos ſpectat, diſpenſare valeant ſuper Denunciationibus Matrimonialibus ad favendum Filiisfamilias, inſciis, vèl invitis juſtè Parentibus, & Conſanguineis Matrimonia inire volentibus, ſeù potiùs tàm ipſi, quàm Parochi eadem Matrimonia totis viribus ſub pœna culpæ lethalis impedire teneantur.

SUMMARIUM

1 *Facti ſeries.*

2 *Non licèt Filiisfamilias cum ſcandalo, atque peccato, & cum injuria Parentum, & Conſanguineorum contrahere Nuptias.*

3 *In Matrimonio contrahendo per Filiosfamilias requiritur conſenſus Parentum.*

4 *Alias Filii peccant*, & num. 60.

5 *Peccatum mortale eſt contrahere Matrimonium contra voluntatem Patris, etiamſi Pater nihil Filiæ præcipiat.*

6 *Ad quod peccatum evitandum Filii arcendi ſunt à ſimilibus Matrimoniis*, & num. ſeqq.

8 *Etiamſi præceſſerint jurata Sponſalia.*

10 *In Conjugiis intèr impares ſemper malus exitus rationabilitèr timetur*, & num. 11.

12 *Parentes poſſunt, & debent dicta Matrimonia impedire per recurſum ad Judicem Eccleſiaſticum*, & num. 16. 17. 20. 41. 42.

13 *Si contrahantur, deindè Sponſus odit Uxorem.*

14 *Judices Eccleſiaſtici Parentibus aſſiſtere debent.*

15 *Poteſt, & debet Judex Eccleſiaſticus impedire dicta Matrimonia*, & num. 16. 17. 25. 35.

18 *Nèc Eccleſia, nèc illius Parochi debent concedere facultatem Filiabus nubendi contra voluntatem Parentum.*

19 *Judex poteſt etiam ex officio ſimilia Filiorum Matrimonia impedire*, & num. 20. 21.

22 *Etiam Virum in Carcerem detrudendo, donèc aliud remedium ſuppetat.*

23 *Judices, & Prælati ſimilibus Matrimoniis faventes peccant mortalitèr*, & n. 37. & ſeqq., & n. 46. 61. 62. 85. 161. 204. 205. 245.

24 *Quia cooperantur peccato Filiorum*, & n. ſeqq., & num. 46. 61. 62. 161. 204. 205.

27 *Matrimonium eſt unum ex ſeptem Sacramentis Eccleſiæ.*

28 *Epiſcopus debet invigilare, ne ad Sacramenta indignè accedatur, & ne indignis miniſtrentur*, & num. 240.

29 *Nèc Sanctum detur canibus, nèc projiciantur Margaritæ antè Porcos.*

30 *Et arceantur ab Altari, qui notoriè in peccato verſantur.*

31 *Multoque magis ne ſacrilegè contra præceptum Naturale, Divinum, & Eccleſiaſticum Matrimonium contrahatur*, & n. 43.

32 *Nulla quoad hoc intercedit differen-*

rentia inter Matrimonium, & alia Sacramenta respectu Contrahentium.

33 *Quemadmodum arcendi sunt a suscipienda Eucharistia publici peccatores, ita & a suscipiendo Sacramento Matrimonii.*

34 *Ordinarius dum potest prohibere divinam offensam, & non prohibet, consentire videtur.*

36 *Ex indignis Filiorum Connubiis oriuntur scandala, peccata, & Parentibus injuria irrogatur.*

38 *Episcopi curare debent, ut Matrimonia ea, qua decet modestia, & honestate contrahantur.*

40 *Mala, quæ ex dictis Connubiis oriuntur.*

41 *In dubio præsumptio justæ causæ contradicendi his Connubiis stat pro Parentibus,* & n.78. & 270.

42 *Quodnam sit impedimentum disparitatis, & Conditionis.*

44 *Sancta Dei Ecclesia d. Matrimonia semper detestata est, atque prohibuit,* & n. 70.216. 235.247.

45 *Impedimentum circa dicta Matrimonia Filiorumfamilias continetur in illo* = Ecclesiæ vetitum = *aut quia contrahi non possunt sine peccato mortali.*

47 *Malè se gerunt Parochi, & peccatum committunt, qui in Denunciationibus pro Matrimoniis Filiorumfamilias seduiò laborant, ne ad aures Parentum perveniant.*

49 *Non est à veritate alienum, quod in Matrimoniis Parochus sit minister.*

50 *Et hæc opinio videtur Synodis, ac Ritualibus consona.*

51 *Declarantur Canones, qui solum consensumContrahentium in Matrimonio sufficere dicunt.*

52 *Illud verbum* = Solus = *excludit Concubitum, non autem hierologiam Sacerdotalem.*

53 *Quatenus Parochus in Matrimonio non esset Minister, adhuc peccaret assistendo prædictis Matrimoniis,* & num. 58. 59. 61.71. 161.245.

Et quare n.54.204.205.

55 *Major inest in Parocho obligatio quoad Matrimonium, quam quoad cætera Sacramenta.*

56 *Advertere debet, an Contrahentes cum debita dispositione ad hoc Sacramentum accedant.*

57 *Et antè omnia inquirere, an adsit consensus Parentum.*

63 *Catholici cum Hæreticis Connubium contrahere non possunt tùm propter peccatum,* & n.69.

64 *Tùm propter pericula, quæ indè manare possunt,* & n.69.

65 *Talia Connubia sub gravibus pœnis sunt interdicta.*

66 *Quemadmodum Episcopus, si licentiam Catholico cum Hæretica ineundi Matrimonium concederet, & Parochus Matrimonio assisteret, ambo peccarent,* & n.71.72.73.

67 *Ità peccarent, si eodem modo se gererent in dictis Matrimoniis Filiorumfamilias,* & num.71.72. 73.161.

68 *Quia nulla, quoad prohibitionem inter unum, & alterum casum, intercedit differentia.*

70 *Filii sine consensu Parentum Matrimonium contrahere non possunt propter peccatum ob injuriam Parentibus illatam, & propter pericula, scandala, & infelices exitus, quæ indè manare possunt,* & n.84.

74 *Benedict. XIV. satis expressit ista Matrimonia nullatenus esse toleranda.*

75 *Peccat mortaliter Ordinarius, qui sine justa causa super Denunciationibus dispensat,* & n.161.

76 *Potest tamèn dispensare in Matrimoniis Filiorumfamilias, quando prævidet, quod Parentes ex odio erga Filios, aut ex alio pravo fine sunt injustè contradicturi.*

77 *Non autem quando Filii futuris indignis Nuptiis Parentum honori detrahunt, Familiamque deturpant,* & n.161.

78 *Parentibus Jus competit se tuendi a Filiorum offensione, & conservandi propriæ Familiæ gradum.*

79 *Sac. Concil. Trident. Denunciationes*

net præscripsit, ne Matrimonia clàm Patre fierent, & n.88.

80 *Ordinarius omittere non debet Denunciationes in Matrimoniis Filiorum Familias, quando adest disparitas, etiamsi Mulier absque remedio remaneat*, & n. 82. 83. 86. 87. *alias graviter peccat* num.85.161.

81 *Pater potest hujusmodi Matrimonia tuta conscientia impedire*, & num.83.84.

88 *Ordinarius circa Denunciationes continere se debet intra fines a Tridentino præscriptos, quod in eum finem intendit, ut per Denunciationes Parentibus Filiorum Nuptiæ innotescant ad vitanda scandala &c.*

89 *Ordinarius si permitteret, quod Matrimonium Parentibus injuriosum ab omnibus DD. improbatum clàm celebraretur, suæ facultatis fines excederet.*

90 *Nec esset dispensator, sed dissipator.*

91 *Docti, religiosique Episcopi in suis Synodalibus Constitutionibus Parochis præceperunt, ut sedulo, semperque inquirerent, an in Matrimoniis Filiorum Parentum consensum accederet, & plerumque demandarunt, quod sine illo Denunciationes non inchoarent, totumque deferrent ad Episcopum, inter quas Constitutiones adnumerantur.*

92 *Synodus Mediolanensis VI.*

93 *Constitutiones Ecclesiæ Veronensis editæ per D. Episcopum Joannem Matthæum Gibertum anno* 1542.

94 *Synodus Monopolitana D. Episcopi Antonii Portio anni* 1585.

95 *Synodus Panormitana D. Archiepiscopi Cæsaris Marcelli anni* 1586.

96 *Synodus Placentina D. Episcopi Philippi Sega anni* 1589.

97 *Synodus Sabinensis D. Card. Ptolomæi Comensis anni* 1590.

98 *Synodus Auximana D. Card. Antonii Mariæ Galli anni* 1593.

99 *Constitutio D. Card. Gabrielis Paleotti Archiepiscopi Bononiensis.*

100 *Synodus Provincialis Senensis anni* 1599.

101 *Synodus Catanensis D. Episcopi Joannis de Osorio anni* 1623.

102 *Synodus Cæsenatensis D. Episcopi Petri Bonaventura anni* 1638.

103 *Synodus Mazzariensis D. Card. Jo. Dominici Spinula anni* 1641.

104 *Synodus Faventina D. Card. Caroli Rossetti anni* 1647.

Synodus Urbinatensis D. Archiepiscopi Ascanii Maffei anni 1648. *ibid. vers. D. Ascanius.*

105 *Synodus Montis Regalis D. Card. Francisci Peretti anni* 1652.

106 *Synodus Veliternensis D. Card. Francisci Barberini anni* 1673.

107 *Synodus Albanensis D. Card. Flavii Chisii anni* 1689.

108 *Synodus Vestana anni* 1699.

Synodus Eugubina D. Episcopi Sostenei Mariæ Cavalli anni 1728. *ibid. vers. Nec non.*

Synodus D. Card. Jo. Antonii Guadagni Episcopi Arretini anni 1729. *ibid. vers. Emus, & Rmus.*

Synodus Pisciensis D. Episcopi Bartholomæi Pucci anni 1734. *ibid. vers. Insuper.*

109 *Synodus Sabinensis D. Card. Hannibalis Albani anni* 1736.

Synodus Fanensis D. Episcopi Jacobi Beni anni 1740. *ibid. vers. Fusius.*

Synodus Urbinatensis D. Archiepiscopi Antonii Guglielmi anni 1753. *ibid. vers. Nuperrimè.*

110 *Et aliæ Synodales Constitutiones aliorum locorum remissivè.*

111 *In iis, quæ ad exteriorem pertinent Ecclesiæ politiam Theologorum placitis non est inhærendum.*

112 *Ad quos tantummodò spectat fidelium animas iis omnibus instruere, quæ ad æternum felicitatem assequendam per privatas actiones necessaria sunt, vel utilia, & officium in foro pœnitentiali exercere.*

113 *Circa forum judiciale, & circa politicam, atque forensem Ecclesiæ disciplinam Juris Canonici periti sunt attendendi.*

114 *Qui nullam habent rationem de pravis, seu laudabilibus operibus in-*

Internis Dei Judicio, & Sacerdotis Censuræ relinquendis.
Contrarium n.118.122.123.124.131.
115 *Prout iis relinqui debet articulus, an noxæ rei sint filii, sivè quicumque indignas nuptias contrahentes.*
116 *Ad Judices non spectat Subditos a peccatis arcere, aut a Criminibus absolvere, sed Jus publicè petentibus reddere.*
Contrarium num.118. 122. 123.
117 *Non solum Theologi dicta Filiorum Conjugia damnant, & Judices admonent, ne celebrari permittant, sed etiam utriusque Juris Interpretes, Canonici textus, Summi Pontifices, Episcopi in Synodalibus Constitutionibus, Concilia Provincialia, Ordinationes, Statuta, Rotæ decisiones, Sac. Concilium Tridentinum, & quartum Decalogi præceptum.*
118 *Sacri Canones eo tendunt, ut ad æternam felicitatem Populus perducatur*, & n.122.123.124. 131.
119 *Ita sentiunt Theologi, & Juris Interpretes.*
120 *Nihil est, quod ita caritatem, ac cœlestem solvat amicitiam, & æterna felicitate nos privet, ut mortale peccatum.*
121 *Quod Ecclesiæ Præsules, & Ecclesiastici Judices totis viribus impedire debent.*
122 *Ecclesiasticum Forum id præcipuè satagere debet, ut Subditos a peccando, & a peccandi periculo penitus removeat*, & n.123.134.
125 *Si Jus Canonicum contradicat Civili, servandum est Jus Canonicum, si materia concernat peccatum, & animam.*
126 *Ad vitandum peccatum, a legibus Ecclesiasticis corrigitur Jus Civile*, & num.127.
128 *Quæ procedunt etiam in Sacramentorum administratione.*
129 *Adducuntur exempla*, & n.130.
132 *Judex Ecclesiasticus, & quicumque alius Justitiæ, sive Sacramentorum administrator publicè peccantem a Sacramentis excludere tenetur.*
133 *Ordinarius non potest retardare effectuationem. Matrimonii cum eo, qui votum simplex Religionis, vel Castitatis emisit.*
Contrarium num. 134. 135. 136. 137. 138. 139.
140 *Potest Judex damnare Virum, quem certo novit innoxium, quatenus ex actis reum esse resultet.*
Declara ut num.141.
142 *Differt prædictus casus ab alio, quo Filius Matrimonium inire prætendit contra expressam, & probatam voluntatem Parentum cum scandalo, quod occultari non potest*, & num.143. 144.
145 *Non licèt Parocho Sacramentum notorio peccatori administrare, nec Episcopo, ut administretur, annuere.*
146 *Nec ulli Judici opem ferre peccanti.*
147 *Cur in Crimine occulto liceat operam conferri a Judice, vel a Ministro Sacramentorum, non autem in notorio*, & num. 148. 149. 150. 151.
152 *Meretrices tollerantur.*
153 *Sed nullus Judex eisdem peccandi licentiam concedit.*
154 *Nec ullus Sacerdos eisdem in peccato existentibus Eucharistiam ministrat.*
155 *Quique contrarium faceret similis esset ei, qui vendit alicui gladium, quem prævidet ad aliquem vulnerandum usurum.*
156 *Vel ei, qui Mulieri ad fornicandum accedenti Januam aperit.*
157 *Vel scalam humeris sustinet, per quam illius Dominus, vel amicus ad stuprandam Virginem accedat.*
158 *Peccatum adeò grave, ut contraria propositio sit damnata.*
159 *Meretrices tollerantur, quia quandoque tollerare licèt leviora mala ad evitanda pejora.*
160 *Longè se res habet, si præstetur vitiis opera, & Judicis auctoritate crimina foveantur.*
162 *Si non sunt facienda mala, ut eveniant bona, multo minus facienda sunt mala, ut eveniant pejora.*
163 *Non subsistit, quod permitti debeant*

beant dicta Matrimonia Filiorumfamilias, ne Sponsi cum dispendio æternæ salutis utantur.

164 *Ex ea ratione, qua Ecclesia prohibuit Matrimonium Catholico cum hæretica.*

165 *Quia nempè pro remedio contra concupiscentiam habet sexcentas alias Catholicas Fœminas.*

166 *Quemadmodum mille Puellas habet æqualis conditionis Filiusfamilias, præter illam Parentibus invisam, & Consanguineis ignominiosam*, & num.193. 207.

167 *Sicuti non potest Ordinarius sine peccato licentiam concedere Catholico, ut cum hæretica contrahat Nuptias, nec Parochus eisdem assistere non obstante libertate Matrimonii, & periculo fornicationis, ita nec dictis Matrimoniis Filiorumfamilias, & quare?*

168 *Non est indulgendum, & cooperandum peccato mortali, & sacrilegio ad saturandam libidinem Filiifamilias, & quare?*

169 *Prævalere non debet velleitas miserrimæ Creaturæ sacrilegè Matrimonium contrahere exoptantis infinitæ Creatoris excellentiæ tale Matrimonium prohibentis.*

170 *Nec consolandus est homunculus ad ejus libidinem confovendam, ut infinita injuria, mediante peccato, Deus offendatur.*

171 *Permitti deberet, quod omnes Paradisi Sanctos, si fieri posset, in Infernum præcipitarent, potius quam committi deberet voluntarium veniale peccatum, & quare?*

172 *Multo minus cooperandum est mortali peccato, ut cæcus Adolescens ad saturandam libidinem impiè sacrilegium committat.*

173 *Non subsistit, quod a Jure Canonico Filiis nihil vetitum sit circa Nuptias.*

174 *Leges, Doctorumque sententias nostris non debemus aptare cupiditatibus, vel juxta nostrum commodum interpretari.*

175 *A Jure Canonico abrogatum fuit Jus Civile, quatenus dicta Filiorum Connubia irrita, & nulla declarat, sed simul voluit, quod essent illicita*, & num.253., & seqq.

176 *Ordinarius non potest penitus impedire dicta Matrimonia, sed tantummodò ad tempus illa prohibere, adhibitis remediis opportunis, ut Filii resipiscant, & si fuerint obstinati, permittere debet, ut Jure suo utantur.*

Declara, ut num.179. 180.

177 *Judex tenetur cogere Sponsum detrectantem, ut alteri petenti fidem juratam servet, sed si adhibitis præceptis, minis, atque Censuris non proficiat, ultra progredi non debet, neque omnimoda coactione quemquam compellere, ut Matrimonium ineat*, & num.198.

178 *Ita procedi debet circa Filiumfamilias, adeout si constans fuerit in voluntate contrahendi dictas Nuptias, non debet ulterius compelli contra libertatem Matrimonii ad illas deserendas.*

Declara ut num. 179. 180.

181 *Si Ordinarius impediret tantum ad tempus dicta Matrimonia, aperiret viam falsitatibus, atque perjuriis.*

182 *Cui malo Prælati occurrere debent probibendo non ad tempus, sed in perpetuum, & etiam ex officio ne contrahantur*, & n.194.

183 *Quia Jus Divinum non ad tempus, sed perpetuo præcipit honorare Parentes.*

184 *Nèc ad tempus, sed semper Sancta Dei Ecclesia dicta Matrimonia detestata est, atque prohibuit, & quare?*

185 *Judicis, Episcopi, Parochique debitum est non solum vitandi scandalum, sed & impietatis non fovendæ, religionis a sacrilegio defensandæ, vitandæ injustitiæ in Parentes, & cæteros Consanguineos, Reipublicæ incommodis occurrendi, & aliena crimina impediendi.*

186 *Nèc Judex suo Decreto, nèc Episcopus suo mandato, nèc Parochus*

chus sua præsentia debet sacrilegium firmare, & confirmare impietatem.

187 *Non obstante libertate Matrimonii*, & num. seqq.

195 *Electio status cuique libera est.*

196 *Non debet quis cogi ad desponsandam Mulierem sibi invisam, & quare?*

199 *Cur Ecclesia contra Sponsum detrectantem alteri servare fidem, adhibitis omnibus remediis, tandem abstineat a coactione*, & num. seq.

201 *Si Episcopus, vèl Judex arceat Adolescentem à certis Nuptiis, non dat causam scandalis, jurgiis, odiis domesticis &c., sed illis occurrit.*

202 *Differentia inter Judicem, qui non compellit Sponsum detrectantem ad servandam Sponsalium fidem, & Ordinarium, qui jubet, & Parochum, qui præsentia firmat sacrilegas Nuptias à Filiis contrahendas*, & n. seqq.

206 *Quando in Matrimoniis verè libertas Filiis impediatur, & quando secus*, & n. seqq.

210 *Concilium Tridentinum prohibet tantum, ne quis cogatur invitus ad certum Matrimonium, ne Matrimonii libertas violetur.*

211 *Non autem, quod propter eamdem libertatem liceat Filiis contra Parentum voluntatem Nuptias contrahere*, & num. seqq. *Alias Concilium foret sibi contrarium* num. 216.

215 *Valet Legatum sub ea conditione relictum, quod Legatarius alicui, vèl aliquibus non nubat.*

217 *Dici non potest, quod Tridentinum ediderit legem adversus expressam Ecclesiæ prohibitionem.*

218 *Quomodo concilietur Tridentini cap. 1. Sess. 24. de reformat. Matrim. cum cap. 9. ejusd. Session. circa libertatem Matrimonii.*

219 *Si impediatur Filius, ne contrahat cum indigna, non violatur, sed servatur Matrimonii libertas*, & num. seqq., & num. 224.

223 *Ad libertatem prò Matrimonio requisitam necessaria non est effrenata licentia contemnendi honestatem, caritatem, pietatem, & justitiam.*

224 *Patri licitum est ex justa causa impedire Matrimonium Filio etiam per carcerationem, & Ordinarius debet voluntati paternæ adhærere.*

225 *Libertas ad malum est potiùs imperfectio, quam effectus libertatis.*

226 *Maximè dum nulla adest causa, cur Pater consentiat, Parochus ut assistat, & Ordinarius ut faveat Filii Matrimonio.*

227 *Filius obtinet victoriam statim ac ab indigno Conjugio liberatur, & quare* num. 228.

229 *Eique libera remanet status electio.*

230 *Si Pater prò Filia solvere non possit Dotem alicui Monasterio, ubi Filia profiteri desiderat, nisi cum depauperatione Familiæ non impedit Filiæ libertatem.*

231 *Nèc si ex eadem causa Dotem solvere non possit Viro, cui illa se copulari exoptet.*

232 *Ita libertatem non impedit Filio, si non consentiat illius Matrimonio ob dedecus totius Familiæ.*

233 *Fama, & honestas, cuilibet interesse, imò Sanguini, & Vitæ præferri debet.*

234 *Hoc libertatis subterfugium est error communis vulgi.*

235 *Qui tribuit Filiisfamilias Jus, quod eis non competit.*

236 *Supponit in Superiore Ecclesiastico, & in Ecclesia facultatem, quam non habent, nec eà uti possunt.*

237 *Supra Jus Divinum Papa dispensare non potest.*

238 *Nullus Superior Ecclesiasticus concedere valet licentiam perpetrandi peccata.*

239 *Quia deficeret in amore erga Deum.*

240 *Deficeret in suo munere, quia Episcopus vocare debet peccatores ad pœnitentiam, non autem eis præbere peccandi licentiam.*

VO-

VOTUM IX.



1 Ontendentibus, & quidem strenuè, maximoque cum strepitu Procuratoribus, & Advocatis cujusdam nobilis Adolescentis, qui cum Fœmina vilis, & longè disparis conditionis, clàm Sponsalia contraxerat, perNos licentiam concedi debere ineundi optatum ab utroque Sponso Matrimonium, non obstante reluctantia Parentum, Fratrum, & Consanguineorum Adolescentis, & quodammodo Nos etiam redarguentibus, quia super Denunciationibus, antequam res ad forum contentiosum deducta fuisset, spretis enixis Sponsorum precibus, dispensare noluimus, unde factum est, quod notitia hujusmodi Sponsalium ad aures Parentum, & Consanguineorum Adolescentis devenerit, se seque oppofuerint, Nos ab illorum clamoribus, atque querelis nihil perterriti, sanamque sententiam *D. Archiepiscopi Muscettolæ*, aliorumque doctissimorum Virorum secuti ad consulendum nostræ conscientiæ coacti fuimus decernere non esse locum Matrimonio, & ad eorum satisfactionem, & pro nostra justificatione compellimur rationes adducere, cur illorum instantiæ tàm circa licentiam contrahendi Matrimonium; quàm circa dispensationem super Denunciationibus omnino annuere non debuimus.

Eatenus igitur ita resolvendum esse putavimus, quatenus verum est, & ineluctabile principium illud, quod non licet Filiisfamilias *sine Parentum consensu*, & consequenter cum peccato, & scandalo *indignè*, & cum injuria Parentum, ac Consanguineo-
2 rum contrahere Nuptias *Jo: Paulus Vuindech in Opusc.* quod inscripsit *Theologia Jurisconsultorum lib. 2. cap. 23. pag. 71.* = ibi = *In hoc igitur dubio duo consideranda sunt; Primum utrum consensus Parentum requiratur in Matrimonio contrahendo; Secundum utrum Matrimonium sine consen-*
3 *su Parentum valeat nec ne. In primo membro conveniunt omnes; Nam Theologi, Canonistæ, & Legistæ sentiunt in Matrimonio contrahendo consensum Parentum adhibendum esse. Theologi allegant quartum præceptum: Honora Patrem, & Matrem, & alios similes locos. Canonistæ habent Canon. Nostrates 30. quæst. 5. Can. penult. 32. quæst. 2. Legistæ allegant l. Titia ff. de Verb. obligat. Nec est dubium, quin liberi peccent sine consensu Parentum* 4
contrahentes = convenit *Ledesma tract. de Matrim. quæst. 47. artic. 6. vers. Secunda conclusio regulariter* = ibi = *Etiamsi Pater nihil præcipiat Filio, contrahere contra ejus voluntatem est* 5
peccatum mortale contra virtutem pietatis; & idem docent omnes Doctores tam Theologi, quam Jurisperiti = & alii quamplurimi per Nos relati in nostro *Vot. I.* ferè *per tot. & Vot. II. n. 6. 7. 12. 13. & seqq. & n. 26. 27. 28. 46. 59. 69. & Vot. IV. n. 3. 12. 13. 210. & Vot. V. n. 68. & seqq., & Vot. VI. n. 73., & seqq., & Vot. VII. n. 209. & seqq.*

Sapientissimo namque Dei consilio effectum est, ut cum variæ sint Hominum societates, nulla tamen vel dignitate præstantior, vel utilitate efficacior, vel jucunditate uberior existat, quam eorum, qui arctissima corporum, animorumque conjunctione ad individuam vitæ consuetudinem fovendam coaluerunt. Deus est, qui sanctissimis legibus hoc Matrimonii fœdus communivit, quique spiritualibus gratiæ donis hanc conjunctionem munificentissimè cumulavit: Deus est, qui eam ad dignitatem extulit Sacramenti, atque arctissimum illius nexum mysticæ Christi, & Ecclesiæ copulationi parem effecit: Divinæ ergo repugnat ordinationi, si quis non ea pietate, ac religione, quam tanti dignitas postulat Sacramenti, ad nuptiarum celebrationem accedat, sed cum peccato, ad quod proindè evitandum arcendos esse a Matrimonio 6
illud cum scandalo contrahere petentes expressè præcipit *text. in Cap. Cum in tua 27. de Sponsal.* = ibi = *Si persona gravis, cui fides sit adhibenda tibi denunciet &c. & de fama, vel scandalo doceat, aut etiam per teipsum posses certificari*, DE PLANO DEBES *&c. eos, qui sic contrahere nituntur*,

tur , si moniti induci nequiverint , compellere , ut a tali Contractu desi-
7 *stant* , = ubi *Gloss. verb. Scandalo* advertit = ibi = *Nota , quod propter scandalum impeditur Matrimonium* = clarius *Abb. ibid. n.* 4. = ibi = *Nota istum textum singulariter in eo , quod addit de scandalo ; ex quo potes inferre , quod ubi inter aliquos &c. scandalum timetur ex Contractu Matri-*
8 *monii, potest* , ET DEBET *Judex interdicere Matrimonium* = idque repetit in *Cap. Requisivit sub num.*4. *eod. tit.* ubi docet , quod si timeatur inimicitia inter Parentes , & Consanguineos, Judex cessare debet a compulsione , non obstantibus Sponsalibus præcedentibus etiam juratis *Barbos. in d. Cap. Cum in tua* 27. *n.*6. *de Sponsal.* = ibi = *Notatur ad hoc , quod quando scandalum timetur inter Contrahen-*
9 *tium Consanguineos ex Matrimonii Contractu , potest* , ET DEBET *Judex contradicere Matrimonium* = & pariter in præcit. *Cap. Requisivit num. ult.* pluribus citatis advertit in Conjugiis inter impares semper malum
10 exitum rationabiliter esse timendum *Corrad. in prax. dispensat. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 49. , ubi quod experientia comprobatum est , quod dum Matrimonia inter inæquales contrahuntur, infelices sequun-
11 tur exitus *Zaul. ad Stat. Favent. tom.* 1. *lib.* 4. *rubr.*26. *num.*40. = ibi = *Parentes &c. possunt , & debent , me-*
12 *diante recursu ad superiores, illud impedire* = & deinde *n.*43. eam affert rationem = *Quia imprudens Adolescens tractu temporis patiens damna ob injuriam factam Parentibus, & Familiæ , ac discordiam exinde inter eos causatam , ut plurimum odit Uxorem,*
13 *nam ille ardens concubitus ex immoderato amore proveniens odium maximum parit* = ibique plures allegat , inter quos *Menoch. cons.*69. *num.* 36. 43. *& seqq.* , qui *num.* 47. refert exemplum expressum in *lib.*2. *Reg. cap.*13. *vers.*12. *& seqq.* , ubi quod Ammon Davidis Filius, inscio Patre, cujus consensum prius exquirere noluit , Thamar Virginem speciosissimam valdè per illum amatam oppressit , cum ea cubavit , & deinde longè majus fuit odium , quo illam est prosequutus , quàm amor , quo eamdem ante dilexerat , & *seq. num.* 48. subjungit ex *Fulgos. lib.*6. *cap.* 11. quod Joanna II. Neapolitanorum Regina, Joannem Carazolum Roseum ex ignobili genere ortum in Virum duxerit , sed, hoc inæquali Conjugio celebrato, tandem ob maximam conditionis disparilitatem illum contempserit , & adeò eumdem oderit , ut sine pietate crudeliter eum jusserit trucidari.

Et quod mirum est, in facto Nos e contra vidimus in quadam Civitate, ubi Vicarii Generalis munus exercebamus, quod Vidua, quæ, licet ex honestis Parentibus orta , honesti pariter orbata Marito, ac satis fortunæ bonis provisa , adhuc *vesano amore* obcæcata , non obstantibus assiduis precibus , ac lacrymis suorum Filiorum, ac suorum Consanguineorum , Affiniumque suasionibus , hortationibus , & etiam minis, cum Episcopi licentia desponsaverat quemdam Adolescentem nec professionem , nec artem aliquam habentem , nihilque possidentem , sed vilem , pauperem , & cujusdam Famuli Filium, non ipsa, quæ cum simili inæquali Connubio se humiliaverat , prima Sponsum odio habuerit , sed ille, quem Uxor nudum , & infantem in propriam domum admiserat, pro ejus amore proprios Filios afflictissimos deseruerat, eumque suis sumptibus alebat , vix suæ libidini satisfecit , statim ipsam injuriosis verbis , & frequenter verberibus afficere cœpit , ad adulteria expensis Uxoris se publicè vertit, & tandem, ut Vir ingratissimus , seu carnifex impius , & quavis hyrcana Tigre ferocior, eamdem laqueo suspendere tentavit , quæ hodie ab iniquissimo, crudeli , ac immani Viro sejuncta , & quoddam Conservatorium ingressa, ibi suum volitum infortunium deflere cogitur ; Ipse vero pro tentato Uxoricidio promerita pœna, ex indulgentia Judicum, non persoluta, si malis artibus aliquam in dies pecuniæ summam acquirit , ea pro continuandis in Lupanari adulteriis sibi deservit. Adeo verum est , quod Matrimonia inter inæquales ex culpa aut unius , aut alterius Sponsi sive superioris , sive inferio-

ferioris conditionis funeſtos , ut plurimum , pepererunt effectus , quos eventuros ſemper eſt timendum , & propterea talia Connubia a Judicibus Eccleſiaſticis omninò ſunt impedienda , ut advertit etiam *Eſcobar. de Nobilit. & Purit. par.*1. *quæſt.*4. §.7. *num.*94., ubi monet Judices Eccleſiaſticos , ut Parentibus aſſiſtant , ſolvit objecta , & rectè conſiderat inhoneſtam cauſam , a qua ortum habent, & perniciofos effectus , qui prædicta Connubia conſequuntur *Gobat. tom.*1. *exper. theolog. tract.*10. *caſ.*3. *n.* 106. *Conink. ſup.*4. *Decretal. tit. de Sponſ. num.*31.*Boſſ.de Contract. Matrim.cap.* 11. *num.*97. *Dicaſtill. tom.* 3. *de Matrim. diſput.*4. *dub.* 18. = ibi = *Poteſt Judex Eccleſiaſticus , auctoritate ſua interpoſita , impedire tale Matrimonium* = & infra = *Poterit , imò* DEBEBIT *Prælatus impedire tale Matrimonium , & Pater implorare Superioris auxilium . Ergo Superior ipſe poteſt, &* DEBET *tunc ſuam auctoritatem interponere* = concordat *Bonaccin. theol. moral. tom.*1. *tit. de iis , quæ pertinent ad Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 17. *num.*26. = ibi = *Parentes poſſunt impedire Matrimonium &c. & licitè poſſunt implorare Superioris auxi-*

17 *lium*; *Ergo Superior poteſt, ac* DEBET *ſuam interponere auctoritatem* = ibique affirmat , ſe in caſu practico ita conſuluiſſe ; Illudque Superior impedire tenetur etiamſi agatur de Matrimonio Filii divitis cum Fœmina paupere *Piton. diſcept. Eccleſ.* 52. *num.*89. multòque magis , ſi tale Matrimonium Familiam deturpet *Opatovius de Sacram. tract. de Matrimon. diſput.*2. *quæſt.*18. *num.* 158. = ibi = *Proindè nèc Eccleſia, nèc illius Parochi debent concedere facultatem Filia-*

18 *bus nubendi contra voluntatem Parentum , præſertim cum tale Connubium vergat in illorum dedecus* =

Et in fortioribus terminis , quod Judex poſſit hujuſmodi Matrimonia *ex officio* quoque impedire , ultra relatos in noſtro *Vot.IV. n.*131. , *& Vot.VII. n.*211.notat *Præpoſit. in d.Cap.Cum in tua* 27. *num.*2. *de Sponſal.* = ibi = *No-*

19 *ta quod Judex poteſt* EX OFFICIO *de ſcandalo inquirere ad finem , ut impediat Matrimonium* = & infra = *Ubi Judex videt, quod ſi duo capiunt ſe in Virum, & Uxorem, etiam dato , quod Partes ipſæ ſint contentæ contrahere, nec alias Contradictor appareat , tamen ipſe ſcit futurum ſcandalum*, EX 20 OFFICIO *poteſt Matrimonium inhibere* = latè *Del Bene de immunit. par.* 1. *cap.*8. *dub.*19. *ſect.*9. *num.*43. *& ſeqq* ; = ibi = *Si ex Matrimonio , quod Filius , vel Filia contrahere cogitat ob diſparitatem Sponſorum , vel quid ſimile, Familiæ dedecus, diſcordiæ, & ſcandala timeantur , ideoque tale Matrimonium ſine peccato contrahi non poſſit, Parentes illud impedire poſſunt, ac debent implorata Judicis auctoritate* , AD CUJUS OFFICIUM PERTINEBIT 21 CAVERE, *ne contrahantur ſimilia Matrimonia , ex quibus ſcandala , & infelices exitus ſequi conſueverunt* = etiam Virum in Carcerem detrudendo , donèc aliud remedium effulgeat 22 *Pignatell. conſult.*11. *num.*1. *tom.* 4. *Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl.in prax. tit. de teſtib. in cauſ. Matrimon. annot.*3. §. 1. *num.* 6. *verſ. Accedit , quod Judex Sabell. in Summ.* §. *Filiatio num.*64. *in fin. &* §. *Matrimonium num.*1. *verſ. Quod Pater Raynald. ſyntax.crimin. tom.*1. *cap.*6.§.4. *num.*73. Quò magis enim hoc Sacramentum eſt magnum *Apoſt. ad Epheſ. cap.* 5. *verſ.* 32. & Sanctum *Sac. Concil. Trident. ſeſſ.*24. *cap.*10. *in fin. de reformat. Matrim.* eò magis curare debet Epiſcopus, ut ritè , rectè, piè, ac religiosè perficiatur , ne per malitiam hominum quidquam præjudicii inferatur ejuſdem ſanctitati , & dignitati , ſed undequaque laudabiliter celebretur .

Quapropter Judices Eccleſiaſticos ſimilibus Matrimoniis faventes 23 peccare mortaliter non eſt ambigendum *Rebell. de obligat. Juſt. par.*2. *lib.*2. *quæſt.*14. *ſect.*1. *per tot.* , & ſignanter *num.*9. = ibi = *Prælati non debent conjungere eos , quos conſtat in contrahendo injuriam aliis facere , atque adeò ſine peccato tale Matrimonium inire non poſſe* = & infra = *Si* PRÆLATI *ejuſmodi Nuptias Parenti-* 24 *bus injurioſas concilient*, COOPERABUNTUR PECCATO *Contrahentium* = rurſus

rursus §. *At dices* = ibi = *Itaque non debet ab Ecclesia bonorum morum, & probitatis magistra facultas concedi &c. ad contrahendum cum peccato, sed potius dissuadere* DEBET *talia Connubia. Ad idque* TENENTUR PRÆLATI
25 *non solum ex præcepto correctionis fraternæ, sed etiam ex* PROPRIO *Pastorali* OFFICIO = convenit *Guttierez quæst. Canonic. lib. 1. cap. 20. num. 23. ante med.* = ibi = *Quinimo in hac specie, si aliud faceret* (Ordinarius) *dum Matrimonio inter valdè impares favere vellet, sibi forsan, ac suæ con-*
26 *scientiæ detrimentum afferret tamquam* COOPERATOR, *atque* EXECUTOR PECCATI *Filii* = pluribusque aliis cumulatis *Ferdinand. de Valent. discept. 5. num. 10. & seqq., de re Eccles.* =ibi= *Denique* PRÆLATI, *si hujusmodi Nuptias adeò Parentibus injuriosas demandarent, aut non prohiberent, ipsi quoque* REI EVADERENT PECCATI MORTALIS, *quod Filius committeret nubendo Mulieri indignæ &c. Et rectè quidem, sive quia ad Prælatos præcipuè spectat Filiorum obedientiam erga Patrem promovere, ejusdemque Familiæ, & Propinquorum splendorem, ac decus sartum tectum tueri, saluti Ovium ipsis commissarum consulere, & scandala impedire &c. sive demum, quia Matrimonium sancta res est, & sanctè tractandum &c. Undè quo colore, quove justa ratione Prælati suum munus implerent annuendo, ut Matrimonium contrahant ii, quos constat non aliter contrahere, quam sacrilegè, & in peccato mortali, quatenus in ipso actu faciendi Matrimonium cum indigna, Parentibus, & Familiæ dedecus, ac ignominiam ingerunt* = & ante illum *Boss. de Matrim. cap. 11. n. 89.* = ibi= *Certum videtur in omnibus casibus, in quibus Filii peccant mortaliter, Parentibus invitis contrahendo aliquod Matrimonium,* PRÆLATUM PECCATURUM GRAVITER, *si Filiis faveret, vel opponendo se Parentibus volentibus impedire* =

Quæ veritas manifestissimè evincitur ex eo, quod Matrimonium esse
27 unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis fide docemur *D. Paul. ad Ephes. d. cap. 5.*, cumque Episcopalis muneris sit prohibere, & diligentissimè invigilare, ne ad Sacramenta suscipienda indignè accedatur, minusque in- 28
dignis ministrentur, & è contra maximè horrendum sit favorem præbere ad illa indignè accedentibus, aliisque eadem indignè ministrantibus, unoque verbo, cum inter primas, atque præcipuas Episcopi sollicitudines ea adnumeretur, ne permittat sanctum dari canibus, nèc projici Margaritas ante Porcos, sed rigorosè præcipiat, 29
ut arceantur ab Altari qui notoriè in peccato versantur, multoque magis 30
qui in ipso actu sumendi, vèl ministrandi Sacramentum sacrilegè, & irreverentèr se gererent, nemo proindè sanæ mentis in dubium revocare poterit, quin ad huic proprio satisfaciendum muneri cavere debeat, ne Matrimonium ab iis celebretur, quos constat illud non aliter celebrare, quàm sacrilegè prophanando Mysterium, quod perficiunt, quatenùs in ipso actu contrahendi *præceptum Na-* 31
turale, Divinum, & Ecclesiasticum violant, Parentes dehonorant, iisque, ac Familiæ dedecus, & ignominiam ingerunt: Nulla etenim intercedit, quoad hoc, differentia inter Matrimonium, & alia Sacramenta respectu Contrahentium, qui potiori non fruuntur jure ad Sacramenti Matrimonium sacrilegè ineundum, quam ad Eucharistiæ Sacramentum sacrile- 32
gè suscipiendum; Undè sicuti Fideles arcendi sunt ab Altari, & à suscipienda SS. Eucharistia, si peccatum eorum sit publicum, ita repellendi sunt indignè, seù aliàs rationabilitèr invitis Genitoribus Sponsalia Contrahentes à Sacramento Matrimonii propter eamdem peccati publicitatem, cum dis- 33
paritas Contrahentium, ac justa Parentum repugnantia semper notæ sint, omnibusque Concivibus, ac locis etiam circumvicinis occasionem præbeant murmurationis, & scandali, ad quod scandalum vitandum non sufficit insuper, quod Ordinarius Matrimonio non cooperetur expressum præbendo consensum, sed cum sit Judex, & Pastor de eo verificatur, quod dum potest prohibere Divinam offensam, & non prohibet, consentire videtur *Fe-* 34
lin.

lin. in Cap. Quantæ num.2. de Sent. Excommunicat. ibique *Innoc.*, *Ancharan.*, *Jo. Andr.*, aliique, quos allegat *Card. Tusch, lit. P. conclus.* 894. *num.1. & 7. com.6. Bonaccin. Theolog. Moral. tom.1. tit. de iis, quæ pertin. ad Matrim. quæst.4. punct.17. num.26. vers. Si sumptis*, ubi quod tenetur Prælatus Matrimonia cum peccato, & Parentum injuria celebranda non solum non coadjuvare, aut etiam dissimulare, sed pro viribus
35 impedire; tùm *quia Filius peccat ineundo Matrimonium in tali eventu*; Prælati autem *debent peccata impedire*; *tùm etiam quia ipsi incumbit saluti Subditorum incumbere, rixas tollere, & scandalum impedire*;

Quæ scandala, omisso quoque Doctorum testimonio, ad evidentiam liquet abesse non posse à Filiorum Connubiis contra justam Parentum voluntatem initis, quia eum fuerint cum peccato, & sacrilegè attentata, certum est Deum ea quatuor *Gratiæ* Dona Contrahentibus non conferre, videlicet 1. Gratiam Fidei, seù fidelitatis, ad hoc ut servent Conjugii fidem contra infidelitatem, quæ infidelitas est, semperque fuit maximum Matrimonii malum; 2. Gratiam Dilectionis, ne rixas, & odia subinde inter Conjuges oriantur; 3. Gratiam sanctificationis, ut sciant Vas suum possidere in sanctificatione, & honore; 4. Gratiam Sobrietatis, qua libidinem, & concupiscentiam reprimere, & ad debitum modum reducere valeant, quemadmodum in Connubiis ritè, & rectè celebratis Deum similia dona conferre *D. Paulus* innuit *in Epist.1. ad Timoth. cap.2. vers.15.* ubi de Christiana Conjugata dicit, quod *salvabitur per Filiorum generationem, si permaneat in Fide, Dilectione, & Sanctificatione cum Sobrietate*; quæ conditio *si permaneat* satis ostendit, quod hæc dona acquiri debent in ipsa Matrimonii celebratione, quatenùs illa non deindè acquirere, sed in illis jam acquisitis Conjugata *permanere* debet; ideoque *D. August. lib. de bon. Conjug. cap.* 18. inquit, quod *in nostrarum Nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri*.

Deficientibus igitur hisce Gratiæ Donis, quia Gratia cum peccato nequit associari, quilibet Judex, vèl Episcopus facilè percipere potest quot scandala, atque peccata inter Virum, & Uxorem, quotque inter Parentes, & liberos sint secutura ex his Matrimoniis, quorum causa per rebelles Filios temerè, indignè, & sine Parentum consensu nubentes maxima inju- 36
ria iisdem Parentibus irrogatur, ut ex *Jure Divino, Naturali, Canonico, & Civili in Vot.IV. num. 3.4.12. 13.205.& seqq.*, satis abundè comprobavimus. Hoc fatentur Theologi omnes, ac Utriusque Juris celebriores Interpretes, inter quos illi etiam, qui in Matrimoniis non indignis maximè Filiorum libertati, & ultra honestatis fines indulgent, ac propterea dubitari non potest, quod Judex, qui talia peccaminosa Connubia vèl favore prosequitur, vèl indulgentia fovet, vèl negligenter non impedit, suo muneri deficiat in re gravi, & à lethali culpa non excusetur *Dicastill.* 37
loc. cit. Bonaccin. loc. cit. num.26. Serrarius tom.2. Opusc. de Cathol. Matrimon. cum Hæretic. cap.4. ubi latè probat obligationem Episcopi ad impedienda similia Matrimonia dum potest, ibique inter cætera argumenta ex *Tridentino*, quod *Sess.24. cap.10. de reform. Matrim.* mandat Episcopis curare Nuptias, ut ea, qua decet modestia, & honestate fiant *Sancta enim res Matrimonium, & sanctè* 38
tractandum, jure, meritoque deducit, quod si honestatis, & modestiæ cura in Nuptiis contrahendis incumbit Episcopo, nullo utique Jure negligere valet quæ spectant ad religionem servandam, & removenda mala, & sacrilegia in proposito enumerata *per Card. Laurea tom.3. in 4. Sen-* 39
tent. disput.22. artic.22. n.549. = ibi = *In mortali contrahitur, & sic Deus offenditur, ruina spiritualis proximi inducitur, fidelitas in ministrando non* 40
observatur, sanctum canibus datur, idest peccatoribus, & Sacramentum Matrimonii sua efficacia privatur = optimè *Rebell. loc. cit. num.9. vers. Pro-*

Probatur primo, ubi subtiliter arguit, quod si Prælato liceret talia conciliare Connubia = *Dabitur bellum justum ex utraque Parte inter Prælatos talia Conjugia conciliantes, at inter Patres ad eadem dissolvenda contendentes*.
41 *Habent enim Patres jus impediendi Nuptias Filiorum ob causam justam* = quod adeo verum est, ut à pluribus affirmetur, quod in dubio de justitia Causæ præsumptio stet pro Parentibus, inter quos *Molphes. in summ. tract.* 4. *cap.* 7., qui licet alias nimiam erga Filios præseferat indulgentiam, tandem nihilominus *num.* 24. veritati cedere cogitur = ibi = *Quamvis in dubio præsumendum est pro Parentibus, & nunquam debent Filii sine Parentum consilio, & consensu Matrimonium inire* =

Æquivocabant autem prò Adolescente Scribentes, qui totis viribus impugnabant, quod impedimentum disparitatis, de quo agitur, referri non posset ad illud impedimentum *Disparitatis*, sive ad alterum *Conditionis*, de quibus in illis tritis Carminibus = *Error, Conditio, Votum &c* = quorum neutrum ad has Nuptias ex-
42 tenditur, sed quod talis *Disparitas*, quam unicè Matrimonium impedire, atque dirimere *Sacri Canones* definiunt, ea est, quæ ex cultus, seù Religionis discrepantia oritur inter Virum, & Mulierem, nec non quod sub *Conditionis* nomine significatur *Servitus* unius ex Contrahentibus alteri abscondita ex notissimis Juribus *in Can. Cave, Can. Non oportet* 28. *quæst.* 1. ibique *Barbos.*, quibus accedit totius Ecclesiæ praxis, de qua unanimi voce testantur Doctores in *Can. Si quis ingenuus* 29. *quæst.* 2. *Cap.* 2. 3. *& ult. de Conjug. Servor*, ibique *Gonzalez & Barbos. in Cap. Proposuit* 2. *eod. tit. Guttierez quæst. Canonic. tit. de Matrim. cap.* 14. *& cap.* 90. *Cabassut. in Theor. Jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 22. *&* 23. *D. Thom. in* 4. *distinct.* 30. *quæst.* 1. *artic.* 1. *D. Bonavent. in* 4. *dist.* 39. *artic.* 1. *quæst.* 1. *& distinct.* 36. *artic.* 1. *quæst.* 2. *Dicastillo tom.* 3. *de Sacram. tract.* 10. *de Matrim. disput.* 7. *dubit.* 6., *& dubit.* 59. *Perez de Matrim. disput.* 25. *sect.* 1. *& seq.*, *& disput.* 36. *sect.* 1. *&* 2., omnesque alii, quos lato calamo congerit *Sanchez de Matrim. lib* 7. *disp.* 19. *& disp.* 71. *per tot. tom.* 2.

Quandoquidem id Nos quoque libentissimè fatemur, nèc unquam cogitavimus disparitatem Natalium, aut vilem conditionem alteriusSponsi, aut justum Parentum dissensum, aut injustitiam, quæ Connubia indigna, inhonestat, sub altero ex prædictis duobus impedimentis comprehendi, sed omninò contendimus, quod hujusmodi Connubia, invitis justè Parentibus, per Filiosfamilias ineunda sunt illicita, & peccaminosa tàm *de Jure Naturali, & Divino*, hoc est ex 43
IV. Decalogi præcepto = *Honora Patrem, & Matrem* = qui è conversò cum his indignis Connubiis dehonorantur, quàm *ex præcepto non solum Civili, sed etiam Ecclesiastico*, ex irrefragabili testimonio *Sac. Concil. Trident. Sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat. Matrim.* ubi constantissimè affirmat, quod 44
Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit, & quamvis in prædictis *versibus* hoc impedimentum non appareat inclusum, attamen aut id nihil obstat, quia & alia quoque impedimenta reperiuntur, quæ in iisdem Carminibus non continentur, ut prænotavimus *in Vot. I. num.* 89. *& seqq.* aut referri potest ad illud = *Ecclesiæ vetitum* = quia Ecclesia ea Connubia *semper detestata est, atque* PROHIBUIT, aut sufficit, quod contrahi non possint sine peccato Mortali, cum *Mortale pec-* 45
catum de per se sit impedimentum, quod Sacramenti susceptionem reddit illicitam, graviterque sacrilegam, *SS. D. N. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 8. *cap.* 14. §. 5. cum aliis *in dicto Vot. I. num.* 102., *& seqq.*, *& num.* 110. & idcirco uti rei illicitæ, damnatæ, prohibitæ, & culposæ Ordinarius sub pœna culpæ lethalis cooperari non debet, sicuti nèc licitè 46
Parochi *SS. D. N. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. loc. mox cit.* undè malè se gerunt nonnulli ex iisdem Parochis, qui in Denunciationibus ante Matrimonium faciendis sedulò laborant, ne de promulgatis, aut pro- 47
mulgandis Nuptiis Parentes notitiam asse-

assequantur , veriti nimirum nè tanto, uti stultè putant , Matrimonii bono per eos mora fiat , & propterea egregios arcani custodes se profitentur in eo ipso , cujus præconium , & bannimentum faciunt , unde in frequentibus Urbibus ex importuno Sacerdotum silentio usu haud raro evenit, ut, quorum maximè interest, ii rescifcant ultimi , nèc antequàm jacta sit alea , tale facinus penetrent , quorum Parochorum silentium Contrahentibus, & Proximo maximè damnosum sine culpa declarare non possumus.

Falsa etenim est eorum Sententia , qui tenent quidem mortaliter peccare Parochum dum ministrat Eucharistiam publico peccatori illam indignè petenti , sed liberant à peccato eumdem Parochum , qui proximas Filiorum Nuptias Parentibus celat , quique voluntariè assistit Matrimonio
48 dum contrahitur ab iis , quos novit detineri peccato ex ea ratione , quod in administratione Sacramenti Eucharistiæ est Minister , non autem in Matrimonio.

Non est enim temerarium asserere , quod Parochus in Matrimonio
49 possit haberi ut Minister , nam adest quoque Sententia , quæ Sacerdotem Nuptiis benedicentem facit verum hujus Sacramenti Ministrum , quæque
50 videtur etiam *Synodis* , ac *Ritualibus* consona , à quibus Sacerdos hujus Sacramenti Minister appellatur. Hanc docuere Sententiam *Melchior Canus* integro opusculo , *Toletus lib.7. Instruct. Sacerd. cap.6. Petrus Ledesma de Matrim. quæst.42. artic.1. Petr. de Marca tract. de Matrim. Maldonatus quæst.1.pag.441. Estius in 4. distinct. 26. §.10. vers. Aliorum opinio , & seqq. Sylvius suppiem. quæst.42. artic.1.Tutelensis Episcopus tom.3.cap.4. Tournelius de Matrim. pag. 60. Petrus Collet. tract. de Matrim. cap.4. artic. 2. Auctor de re Sacramentaria pag.580. Erminier , Du Hamel , Serry , Vanroi , Gibert , Daniel Concina, Florentius de Cocq. , Natalis Alexander* , & quamplurimi alii Viri doctissimi , ac præ cæteris *SS. D. N. Benedict. XIV. in tract. de Synod. Diœcesana lib.8. cap.13. num.4.*= ibi= *Verum quamquam huc usque explicata Melchioris Cani sententia tot Doctorum suffragiis communita sit valdè probabilis , ac cuique liberum absque erroris nota eam amplecti &c.* = iisque Ju- 51
ris Pontificii locis , in quibus *solus consensus* Contrahentium sufficere dicitur, ut in *Can. sufficiat 27.quæst.2.*, præcipuè responderi posset, quod ibi verbum = *solus* = excludit Concubitum , qui non est necessarius ad validitatem Matrimonii, non item *hierologiam* Sacerdotalem , quæ semper necessaria fuit , ut constaret Sacramentum , de qua Sacerdotalis benedictionis necessitate loquuntur passim Græcæ, & La- 52
tinæ Ecclesiæ monumenta , & præ cæteris , *Epistola* EVARISTO tributa in *Can. Aliter 30.quæst.5. Ignatius Epist. ad Polycarpum , Chrysostomus Homil. 48. in Genes.*,nihilque luculentius illa *Balsamonis* Canonistæ clarissimi sententia *ad Photii Nomocanonem tit.13. c.2. pag.195.*=ibi= *Neque enim Corporum commixtio, sed precationum ritus efficiunt, ut Sponsalia evadant Nuptiæ*=

Verum adhærendo, ut par est, contrariæ quoque Sententiæ uti communiori,& ab Ecclesia receptæ,quæ docet Sacerdotem non esse Sacramenti Matrimonii Ministrum,adhuc Parochus in hoc etiam casu , quia tali Matrimonio licitè non assisteret *SS. D. N. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 8. cap.14. §.5.* = ibi = *Nec Parochus licitè eidem Matrimonio assistit ; quamvis enim , juxta communiorem , magisque receptam Sententiam , non sit Sacramenti Matrimonii Minister &c. nihilominus in multis comparatur Ministro , nèc licitè sua præsentia , & auctoritate firmare potest contractum , quem scit à Contrahentibus sacrilegè iniri* = ob hanc proindè illicitam ejus assistentiam à peccato non foret immunis, ut solidè concludit *Arriaga tom.7. tract. de Sacram. in* 53
gener. disput.21. sect.6. num.36. & seqq., attenta *Tridentini* dispositione, ex qua per Parochi præsentiam redditur validum Matrimonium , & pro- 54
pterea indubitatum est , quod Parochus assistens moralitèr præstat operam ad Sacramenti confectionem , ideoque videtur inesse Parocho nedum pa-

parem, ſed majorem obligationem
quoad Matrimonium, quam quoad
55 cætera Sacramenta, itaùt ſpecialem
in iſto diligentiam adhibere teneatur,
ut deprehendat, an Contrahentes
cum debita diſpoſitione ad Sacra-
56 mentum accedant, ut conſiderat *Sua-
rez in 3. part. D. Thomæ ſuper qu.65.
artic.4. diſput.18. ſect.2. circ. med.
verſ. Dixi in concluſione, & ſeq.
tom.3. Dicaſtillo de Sacram. in gener.
diſput.3. dub.12. num.271.* = ibi = *Un-
dè in aſſiſtendo Contractui Matrimonii
(in quo quamvis non ſit Miniſter Sa-
cramenti Parochus, in multis aſſimi-
latur Miniſtro, & non debet aſſiſtere
indignè petenti) præmittendæ ſunt in-
quiſitiones de moribus, de vita &c.* =
& in ſpecie, quod Parochus ante om-
nia inquirere debeat de conſenſu Pa-
57 rentum monent *Barboſ. de Offic.*, &
*Poteſt. Paroch. part.2. cap 21. num.1.
Poter Segneri in Parocho inſtructo
cap. 23.* §. 2. luculenter, & ſolidè
punctum examinat *Serrarius tom.2.
opuſc. de Catholic. Matrim. cum Hæ-
retic.* ubi *cap.3.* ex profeſſo demon-
ſtrat quomodo peccent Parochi vo-
luntariè aſſiſtentes Matrimoniis, eorum,
qui in ſtatu peccati, & in actu pec-
58 candi Matrimonium contrahunt; item-
que *Franciſcus Verdius Epiſcopus Vici
Equenſis* non ignobilis Canoniſta, etſi
idem faciles probabiliſmo habenas
laxaſſe dicatur, tamen non liberat à
gravi peccato Parochum indignas Fi-
59 liorumfamilias Nuptias copulantem
in Inſtit. Canonic ubi pluribus ratio-
nibus probat Filium contrahentem
Nuptias, Patre juſtè diſſentiente, le-
60 thale facinus in ſe admittere primo
ex Scriptura, ſecundo ex Canonibus,
tertio, quia cum injuriam ſibi à na-
ſcituris Filiis fieri nolit, hanc non
debet ſuo Patri irrogare, injuſſu ejus
Nuptias contrahendo, poſtremò, quia
jure naturæ Filius obtemperare Pa-
tri tenetur juſta imperanti, & dein-
dè ſic ſequitur = *An peccet Parochus
aſſiſtens, & Prælatus dans Filio li-
centiam contrahendi Patre rationabi-
liter invito? Affirma: nam tunc* COO-
61 PERANTUR PECCATO *Filiorum &c. Li-
cet Boſſius de Matrim. cap.11.num.94.
putet non peccare Parochum, nèc Præ-
latum ſi moneat, ne Filius contrahat
Patre invito, cæterum licitè aſſiſtere
petentibus contrahere, fortè quia tunc
non cooperatur peccato Contrahen-
tium, qui jam ſunt parati ad contra-
hendum* = quod quidem ultimum *Boſſii*
ſubterſugium apparet *à Verdio* non
fuiſſe adoptatum, uti patet ex illis
verbis = *Licet Boſſius* = Nil enim ab-
ſurdius fingi poteſt, quam quia perdi-
ti Adoleſcentes parati ſunt cum gravi
ſuo peccato ad Nuptias contrahendas,
poſſe Paſtorem dare manus, & ad idem 62
ſacrilegium operam ſaltèm auxiliarem
conferre.

Diutius igitur non eſſet immo-
randum in confutandis hujuſmodi la-
xamentis, quæ malo publico aliquan-
do proreпſerunt *ad excuſandas excu-
ſationes in peccatis*, ſed nihilominus,
ùt manibus contrectetur, quod nos
non novitatem, nèque rigorem ama-
mus, ſed veritatem, meminiſſe ju-
vat, quod cum Hæreticis Connubium
liberum Catholicis non eſt ſinendum,
tùm propter peccatum, ſine quo con- 63
trahi non valet, tùm etiam propter pe-
ricula, quæ inde manare poſſunt *Can.
Cave, Can. Non oportet*, & alii 28. *qu.1.* 64
*Concil. Eliberit. ann.305. c.16. Con-
cil. Loodicen. ann. 320. c. 31. Concil.
Trullan. c.72. Concil. Tolet. ann. 694.
c.20. Concil. Narbonenſ. ann.1609.
cap.72.* Qua in re Antiſtites peculiari
modo vigilantes eſſe debent, ſe ſeque
fortiter opponere, ne eorum ſubditi
ineant Connubia cum Hæreticis, ſub
gravibus pœnis præſertim Italis inter-
dicta per CLEM. VIII. *Conſtit.* 42., quæ
incipit = *Cum Sicut* = §.2. Si igitur 65
Epiſcopus Catholico veniat daret, ut
abſque S. Sedis Diſpenſatione cum
Hæretica ſe conjungeret, & Parochus
illorum aſſiſteret Matrimonio, nulli
dubium eſſet, quod uterque pecca-
ret, & uterque cooperaretur pecca-
to, quia tale Matrimonium ex juſtis 66
cauſis, hoc eſt propter peccatum, &
pericula, quæ inde manare poſſunt
Sancta Dei Eccleſia ſtrictiſſimè prohi-
buit, ſic æqualiter quoque indubitatum
erit, quod ſi Ordinarius Filiofamilias
licentiam tribueret, ut, invitis juſtè
Parentibus, Nuptias cum Fœmina il-
lis inviſa, vel indigna contraheret, &
Pa-

Parochus eos in Matrimonium conjungeret, uterque culpam commit-
67 teret, & uterque cooperaretur peccato, cum nulla, quoad prohibitionem, inter unum, & alterum casum interce-
68 dat disparitas, quia tàm primum Matrimonium ex justis causis, nempè
69 propter peccatum, & subsequentia pericula, quàm secundum propter peccatum ob injuriam Parentibus illatam, & propter pericula, scandala, & infelices exitus, qui inde manare
70 possunt *Sancta Dei Ecclesia semper detestata est, atque probibuit*, itaut aut Ordinarius, & Parochus non peccent in primo casu, aut si in illo peccant, quia contemnunt Ecclesiæ præceptum, nec etiam in secundo à peccato immunes evadant, quia æqualiter auxilium, & operam præstant, ut non solum Ecclesiæ, sed & *IV. De-*
71 *calogi præceptum* contemnatur; & quemadmodum, si interrogaretur Parochus quò iret, dum de sola licentia Episcopi pergeret ad Altare ad conjungendum Catholicum cum Hæretica, absque mendacio respondere posset, se progredi de licentia, seù mandato Superioris ad cooperandum
72 peccato, & rei illicitæ, utpotè ab Ecclesia expresè prohibitæ, eodem prorsus modo absque labe veritatis interrogatus respondere deberet, cum ad conjungendum Filiumfamilias cum Fœmina Parentibus invisa iisdem contradicentibus se conferret, quia hoc
73 etiam casu cooperaretur peccato, reique illicitæ, utpotè non solum semper *ab Ecclesia*, verum etiam *à Jure Naturali*, *& Divino* interdictæ. Undè merito *D. N.* BENEDICT. *XIV. die* 15. *Novembris* 1741. datis publicis literis in forma Brevis, quod incipit = *Satis vobis compertum* = Cathedræ Apostolicæ sensus adversus ista
74 minimè ferenda Filiorumfamilias Connubia graviter, ac pro dignitate §. *Leviora* deprompsit = ibi = *Huic etiam malorum origini accepta sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta à Filiisfamilias contra Patris justè dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleont, neminem latet* = & infra §. *Hunc porro* Episcopos adhortatur, ut sedulo inquirant = *An contracturi Matrimonium sint sui, vel alieni Juris; an Filiifamilias, quorum Nuptiæ Patri justè dissentienti sint invisæ; Ab Episcopali etenim, quod geritis munere, nimium esset alienum, facilem præberi Filio inobedientiæ occasionem* =.

Quibus ità constabilitis, supervacaneum esset ostendere, quod in hisce casibus non liceat Ordinario super Denunciationibus dispensare, quoties enim peccat cooperando similibus Connubiis, necessariò sequitur, quod prohibeatur simul talem Dispensationem concedere, quia sic etiam sacrilego cooperaretur Matrimonio. Attamen ad majorem Adolescentis, ejusque Defensorum satisfactionem superaddere non tædet, quod unanimes Theologi, & Canonistæ docent peccare mortaliter Ordinarium sine justa causa super Denunciationibus 75
dispensantem, inter quos *Card. de Laurea tom.3.in 4.Sentent. disput.22. artic.15. num.383.* ubi de communi *Salmaticenses Theol. Moral. tom. 2. tract.9. cap.8. punct.7. num.85.* = ibi = *Episcopus &c. Si omnes Denunciationes absque justa causa omitteret, mortaliter delinqueret, abuteretur enim potestate sibi concessa* = idque confirmat *Barbos. sup. Concil. Trident. Sess.24. cap.1. num.6. de reform. Matrim. Pax Jordan. elucubrat. tom.1. lib.3. tit.7. num.4.* qui alios utriusque Fori Doctores cumulant.

Eo autem tantum casu timor impedimenti à Parentibus apponendi justam dispensandi causam præbere potest, cum prævidetur, quod Paren- 76
tes ex odio erga Filios, aut ex pravo fine alicui eorum impediendi liberam status Conjugalis electionem, aut ob aliam ex iis causis, de quibus in *Vot.I. num.134.* sint injustè contradicturi, quibus cessantibus, etiamsi Ordinarius arbitretur, quod post Matrimonium scandala continuare non possint, *sæpe enim vanæ minæ jactantur, terroresque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen experientia teste, ubi defecerit ille impetus, & Matrimonium celebratur, in nihilum reci-*

dunt

dunt, facilèque animi conciliantur, sedaturque omnis tempestas, ut his verbis considerat *Sanchez de Matrim. lib.*1. *disput.*14. *num.*3. *vers. Caute tom.*1. nihilominus, seclusis quoque post Matrimonium scandalis, (quæ vanitas est dicere ab indignis præcipuè Nuptiis abesse posse) aut data etiam post Matrimonium reconciliatione animorum, hæc cedere poterit apud Homines in laudem, & apud Deum in meritum Parentum, qui Filiis, post eorum lapsum, veniam præbent, eisque injuriam remittunt, sed quoties Filius, vel Filia in actu celebrandi Matrimonium ob mœrorem, & maximam afflictionem, qua Parentes afficiunt, & propter inobedientiam, & debitæ Parentibus reverentiæ defectum peccant, multoque magis quoties indignis Nuptiis Paren-
77 tum honori detrahunt, familiamque deturpant, indubitanter peccat & Ordinarius, si dispenset, cooperando Filiorum peccato, nèc illum à peccato jàm commisso excusat subsequens reconciliatio, seù venia per Filios post peccaminosum Matrimonium clementia, & pietate Parentum obtenta, quæ non efficit, ut peccatum non fuerit antea commissum, nec quod Ordinarius eidem cooperatus fuerit, dispensando super Denunciationibus, ut clàm Parentibus, ipsisque insciis, & inconsultis, sine illorum consensu Matrimonium celebraretur contra mentem *Concilii*, & cum gravi eorumdem Parentum injuria, quibus innotescere debet Filiorum Conjugium maximè indignè contrahendum, ad hoc ut ex hac justa causa illud impedire valeant, seque tueri possint à Filiorum offensione, & propriæ Familiæ gradum conservare, quibus Ordinarius assistere tenetur, eorumque decori etiam *ex officio* prospicere inhibendo Matrimonium, eoque magis, quia in eis malitiæ impedimentum in dubio non præsumi-
78 tur, ut præ cæteris docent *Jo: Segura in Direct. Judic. Eccles. par.* 2. *cap.*16. *num.*8. *&* 9. = ibi = *Timor Parentum non est causa sufficiens ad inducendum malitiæ impedimentum, etiamsi certum sit, quod Parentes non assentiuntur, nèc malitia, quæ dotium, & calumniam supponit, in Patre convenit, qui nemini facit injuriam, & jure suo utitur* = fuso calamo articulum examinat *Guttierez quæst. Canonic. lib.*1. *cap.*20. *per tot.* ubi *num.*9. ex *Sot.* (qui tamquam Theologus *Concilio Tridentino* interfuit) patefacit intentum ejusdem *Tridentini Concilii* Patrum in Denunciationibus demandandis inter cætera, & præcipuum illud fuisse, ne Matrimonia clàm Parentibus fierent, ibique demonstrat jus, quod Parentes 79
habent indignis Filiorum Nuptiis contradicendi, ex quibus *num.* 23. concludit = ibi = *Non igitur Ordinarius ægre ferre debet, quod Matrimonium hujusmodi inter valde dispares impe-* 80
diri facile possit, si tot Denunciationes præcesserint, & quod Mulier ipsa absque remedio manebit; Quandoquidem jure optimo, & tuta conscien- 81
tia id impedire possit Pater, & huic se spontè exposuit periculo Fœmina, quæ altiori nubere vult inscio Patre Viri. Aliud ergo quærat Connubium suo statui condecens. Quod si honorem, & pudicitiam suam indiscretè profuderit, sibi imputet &c. = & infra = *Deficiente malitioso impedimento, & stante justo, jurique consono, potest,*
& debet formam, & solemnia Concilii integrè, & suo ordine servare = 82
brevius *Pax Jord. elucubrat. tom.* 1. *lib.*3. *tit.*7. *sub num.*51. = ibi = *Quod si* (Pater) *justè, & rationabiliter im-*
pedire nitatur, puta ob notabilem 83
morum, divitiarum, nobilitatis, & similium qualitatum differentiam, tunc dicitur justè impedire, nèc præstabit legitimam causam ad hunc effectum = videlicet pro Denunciationibus omittendis *Menoch. cons.*69. *per tot. tom.*1. ubi comprobat, quod Filii in hoc casu graviter peccant contra honorem Parentibus debitum, qui 84
jure valent eorum indignas impedire Nuptias, quodque non licet Episcopo Denunciationes omittere *Boss. de* 85
*contract. Matrim. cap.*11. *num.* 89. = ibi = *Certum videtur in omnibus casibus, in quibus Filii peccant mortaliter Parentibus invitis contrahendo aliquod Matrimonium,* PRÆLATUM PEC-

CATURUM GRAVITER, *si Filiis faveret,
vel opponendo se Parentibus volenti-
bus impedire, vel dispensando in De-
nunciationibus, ut facilius Filii abs-
que Parentum impedimento contrahe-
re possint* = consonat *Henriquez in
summ. lib.* 11. *cap.*6. *col.*4. *litt.* H.
= ibi = *Voluntas contrahendi, inscìis
Parentibus, non est idonea causa, ut*
86 *Ordinarius dispenset, ne fiant Denun-
ciationes*=item *Card. de Laurea tom.*3.
in 4. *Sentent. disput.* 22. *artic.* 16.
*num.*407. ubi affirmat posse justè dis-
pensari, si timeatur injustum impedi-
mentum à Parentibus, & deindè sub-
jungit = *Secus autem si ex justo moti-
vo id faciant, scilicèt quia indignè*
87 *contrahitur, vel malum potiùs, quàm
bonum ex Matrimonio nascitur &c.* =
& infra *num.* 409. = ibi = *Quia pru-
dens judicium non dictat, ut quis im-
pediatur, ne suæ Familiæ utilitati
salubriter consulat* =.

Et merito quidem, nam in su-
bjecta materia Ordinarii facultas non
est illimitata, sed continere se debet
intra fines *à Sac. Concil. Tridentino*
præscriptos, quod in hisce casibus
nullam tribuit Episcopo potestatem,
sed potius in reprobandis Clandestinis,
ac hisce Nuptiis, & in statuendis præ-
viis Denunciationibus in eum, inter cæ-
teros, finem intendit, ut de prædictis
88 Nuptiis Parentes, quemadmodum jam
diximus, notitiam assequerentur, illas-
que impedire possent *Ferdinand. de
Valent. discept.*5. *num.*45. *de re Ec-
clesi. Piton. discept. Eccles.*52. *n.*86.
utque vitarentur scandala, atque
discordiæ inter Consanguineos, quæ
frequentissimè subsequuntur Matri-
monia, inscìis Parentibus, celebrata,
ut deducitur ex *Sot. in* 4. *Sentent. di-
stinct.*28. *quæst.*1. *artic.*1. *col.*3., & ex
aliorum DD. sententia notavit *Vidal.
in Arc. Vital. tit. de Matrim. inqui-
sit.*3. *num.*13. undè si Ordinarius dis-
pensando permitteret, quod Matri-
monium, inscìis Parentibus ab omnibus
DD. improbatum, tamquam scandalo-
rum fons, & origo, clanculum cele-
braretur, suæ facultatis fines excede-
89 ret *Guttierez quæst. Canonic. lib.*1.
*cap.*20. *num.*25. = ibi = *Adversus men-
tem Concilii fieret, si remitterentur
Denunciationes, cum Concilium, ob
hanc rationem, ut Patri innotesce-
rent, voluit Denunciationes fieri de-
bere. Ergo Ordinarius concedendo
prædictam licentiam forte excederet
fines suæ potestatis* = & ei certissimè
convenirct, quod generaliter de Dis-
pensationibus super Ecclesiæ legibus
absque rationabili causa concessis ex 90
D. Bernardo scripsit *D. Antonin. par.*1.
*tit.*17. *cap. unic.* §.20. *vers. Unde defini-
tur* = ibi = *Non sunt Dispensatores, sed
Dissipatores, & peccabunt ipsi Dispen-
santes cum Dispensatis, si eis utantur*.

Hinc docti, ac religiosi Episcopi
tàm antiqui, quàm moderni, qui nèc
in annuendo Filiorum libidini, impu-
dentiæ, & temeritati adversus ju-
stum Parentum dissensum, nèc in alie-
nandis liberis ab obedientia, cohabi-
tatione, concordia, & amore erga
Genitores potentiam suam, seù pec-
caminosam præpotentiam ostendere
satagunt, sed in Deum, & in proxi-
mum, & maximè in suas Oves carita-
te, & justitia præfulgent, in suis *Sy-* 91
nodalibus Constitutionibus, quoad Ma-
trimonii Sacramentum, Parochis præ-
cipere non omiserunt, ut sedulò,
semperque investigarent, an Matrimo-
nio per Filios ineundo accederet Pa-
rentum consensus, ac plerumque
demandarunt, quod, nonnisi hujusmo-
di consensu accedente, Denunciationes
inchoarent, quo deficiente, ab omni
actu desisterent, totumque deferrent
ad Episcopum, qui causis renitentiæ
examinatis, de illarum justitia, vel
injustitia judicaret, ut legitur in Sy- 92
nodo *Mediolanensi VI.* = ibi = *Si vero
Filiifamilias sint, hos Parochus val-
de cohortetur &c. ut illis* (scilicet
Parentibus) *ne inscìis quidem, ne-
dum invitis rem tanti momenti
ineant* = si minus profecerint, rem
totam ad Episcopum deferri jubet.
Inter *Constitutiones* Ecclesiæ *Veronen-
sis* per D. Episcopum Joannem Mat- 93
thæum Gibertum tunc fungentem mu-
nere Legati Apostolici prò tota Dioe-
cesi editas *sub anno* 1542. *tit.*7. *cap.*1.
sic habetur = *Monemus ne deinceps
quisque præsumat Matrimonium con-
trahere*, NISI CUM PRÆSENTIA *Sa-* 94
cerdotis proprii, & PATRIS, *ac* MA-
TRIS

TRIS *si habuerint* = Item Synodus *Monopolitana* sub D. Episcopo Antonio Portio non longè à *Concilio Tridentino* congregata *anno* 1585. *cap.* 17. ita statuit= *Licet Matrimonia à Filiisfamilias sine consensu Parentum contracta, si canonicum aliud impedimentum non obsistat, valida reputentur, ac firma, quia tamen Sancta Dei Ecclesia ex justissimis Causis semper illa detestata est, atque prohibuit, Parochi eorum prius voluntatem explorent, sive Parentum, sive aliorum, ad quos futuri Sponsi, vel Sponsæ tutela, vel cura dignoscitur pertinere, qui si non consenserint, paternè Sponsos admoneant, ne illis invitis aliquid deliberare velint, sed Parentibus obediant* = nèc ultra progredi finit, ut ex sequentibus verbis apparet. *Pa-*
95 *normitana* Synodus de *anno* 1586. sub D. Archiepiscopo Cesare Marcello *par.* 2. *cap.* 8. disponit = ibi = *Parochi officium sit Filios Matrimonia adnectendos absque Parentum consensu, veniaque petita, ne illud ineant, monere, ne Paternæ obedientiæ, reverentiæque officio non satisfiat* =
96 Idem præcipit Synodus *Placentina anni* 1589. sub D. Episcopo Philippo Sega; Accedit Synodus *Sabinensis*
97 sub D. Card. Ptolomæo Comensi celebrata sub die 4. *Maii* 1590. *cap.* 2. *tit. Quæ circa Sacramentum Matrimon. &c. vers. Hortentur*=ibi=*Hortentur quoque Filios, & Filias, qui Matrimonio jungi voluerint, ne Parentibus inconsultis, aut repugnantibus, illud contrahant* = ut videre est *in Appendic. ad Synodum habitam* per Emum D. Card. Hannibalem Albani
98 *sub anno* 1736. *pag.* 58. In Synodo *Auximana* sub D. Card. Antonio Maria Galli *anni* 1593. *tit. de Matrim. cap.* 19. decernitur = ibi = *Mandamus, ut nullus Parochus eos, quos sciverit, invitis Parentibus, Matrimonium velle contrahere, Matrimonio conjungat, sed ea de re nos reddat certiores, ut quid sit agendum, maturè possimus deliberare* = Gabriel Pa-
99 leottus, qui ut Jurium Doctor *Sacro Concilio Tridentino* interfuit, postea S.R. Ecclesiæ Cardinalis, & Bononiensis Archiepiscopus renunciatus edidit *Statuta* vernacula lingua exarata pro dirigendis Matrimoniorum negociis, inter quæ, id quoque demandat, videlicet=*Occorrendo che qualche figliuolo di famiglia voglia congiungersi in Matrimonio, contradicendo, ed opponendosi il Padre, non sarà ammesso dal Curato senza partecipazione dell' Arcivescovo* = Horum similia, sunt, quæ caventur in *Synodo Provinciali Senensi anni* 1599. *Item* Synodus 100
Catanensis habita de *anno* 1623. sub 101
D. Episcopo Joanne de Osorio *par.* 2. *num* 97. pariter jubet = ibi = *Parochus Filiosfamilias moneat, ne insciis Parentibus, aut etiam invitis, Denunciationes haberi, aut Matrimonio jungi velint, non propterea quod ad Sacramenti Matrimonii firmitatem necessariò requiratur Parentum consensio, sed ut Paternæ obedientiæ, reverentiæque id tribuatur* = Hoc idem habetur in Synodo *Cæsenaten.* 102
sub D. Episcopo Petro Bonaventura *anno* 1638. celebrata. Inter *Constitutiones* Synodi *Mazzariensis* indictas a 103
D. Card. Jo: Dominico Spinula *anno* 1641. *lib.* 2. *cap.* 10. legitur = *Curatus, si Matrimonium contracturi sint Filiifamilias, eos valde cohortetur, ne illud, renitentibus Parentibus, ineant, sed Paternæ obedientiæ officio satisfaciant*= Carolus Rossetti S.R.E. Cardinalis in Synodo *Faventina*, quam 104
habuit *de anno* 1647. *tit.* 10. *cap.* 10. demandat=*Ut Parochi non solum Sponsorum consensum, sed etiam eorum Parentum, si Filiifamilias fuerint, diligenter inquirant; quod si difficultates comperiant, Nobis inconsultis ad Denunciationes non progrediantur* = D. Ascanius Maffei Archiepiscopus Urbini in Synodo *Urbinaten. celebrata sub die* 8. *Junii* 1648. *cap.* 21. *vers. Similiter* sic jussit=*Moneat* (Parochus) *tamen Filiosfamilias, ne, insciis, invitisque Parentibus, rem tanti momenti aggrediantur, sed potius debito obsequio eorum voluntati subjaceant* =
Statutum quoque fuit in Synodo *Montis Regalis de anno* 1652. sub D.Card. 105
Francisco Peretti *sess.* 2. *cap.* 8. ut infra=*Si contrahentes Filiifamilias fuerint, Parochi ab ipsis quærant utrùm consciis, & permittentibus, an insciis,*

sciis, *& invitis Parentibus jungi Matrimonio velint*, *ac si de illorum voluntate non constet*, *interrogentur de causa*, *eaque cognita*, *graviter ipsos moneant*, *ne Parentum aut negligere*, *aut parvifacere auctoritatem velint* = & pariter in Synodo *Veliter-*
106 *nen.* sub Emo Francisco Barberini Decano *anni* 1673. = ibi = *Parochi de illorum* (nempe Parentum) *consensu requirant*, *& si quid difficultatis occurrerit*, *Nos consulant*, *ut quid in ea re congruum visum fuerit*, *decernamus* = In idem collimant *Decreta*
107 Synodi *Albanen.* sub Emo Flavio Chisio *anni* 1689. & similiter in Synodo
108 *Vestana anni* 1699.*cap.*15.sic jubetur= *Præcipimus nostræ Episcopali Curiæ*, *quatenus in posterum per illam non recipiantur instantiæ de celebratione futuri Matrimonii*, *quin prius extrajudicialiter constet de consensu Parentum*. *Quòd si dissentiant*, *cognoscatur causa dissensus*, *& ad Nos referatur*, *qui pensatis causæ momentis in jure*, *mandabimus opportunè promovendum*, VEL IMPEDIENDUM *Matrimonium ut juris erit*, *& in Domino judicabimus* = quod totum sub pœna suspensionis ab officio ibi præcipitur: Necnon in Synodo *Eugubina* sub D. Episcopo Softeneo Maria Cavalli *anni* 1728.*cap.*14. §.3.præcipitur = ibi = *Quod si Sponsi Filiifamilias sint*, *hos Parochus enixè hortetur*, *ut Parentibus*, *in quorum potestate sunt*, *eum honorem deferant*, *ut illis ne insciis quidem*, *nedum invitis rem tanti momenti ineant*; *Quamvis enim hoc ad Matrimonii validitatem non requiratur*, *ob reverentiam tamen Genitoribus debitam*, *vix potest* SINE CULPA *& fortasse aliquando gravi* PERMITTI= Emus, & Rmus D. D. Card. Jo: Antonius Guadagni, qui modo dignissimus Vicarius Urbis in profligandis vitiis, in depravatis hominum moribus corrigendis, in sublevandis pauperibus uti eorum amantissimus Pater totius Urbis plausu, & admiratione sedulò incumbit, ac in excipiendis postulantium votis indefesse sollicitus, dum antea supra Cathedram *Arretinam* uti Pontifex in sua Diœcesi Vicaria Christi fungeretur auctoritate, & legem ab ipso Domino Jesu Christo traditam non modo interpretaretur, verum etiam verbo, & exemplo, ac Canonicis Sanctionibus illustraret, *anno* 1729. suas edidit *Synodales Constitutiones*, in quibus *tit de Matrimonii Sacram. vers. Quamvis pag.*48. ita statuit = *Quamvis Matrimonia sint libera*, *& ad eorum validitatem Parentum non exigatur consensus*, *nihilominus*, *ut ea Conjugibus solatium præbeant sempiternum*, *cum ex hujusmodi Matrimoniis*, *quæ*, *invitis Parentibus*, *fiunt*, *quamplura scandala exoriri soleant*, *mandamus Parochis*, *ut antequam Filiorumfamilias ineunda Matrimonia denuncient*, *eorum Parentum consensum exquirant*, *quod si dissentiant*, *ad Matrimonii celebrationem minime deveniant*, *sed ea de re Nos reddant certiores*, *ut quod Nobis magis congruum videbitur*, *in Domino decernamus*, *& interim dissuadeant Sponsis nuptias*, *invitis Parentibus*, *inire*, *cum in re tanti ponderis*, *& momenti*, *rationi*, *& honestati apprimè consonum sit*, *quod Filiifamilias Parentum voluntatem*, *& consilia sequantur*, *atque Sancta Dei Ecclesia semper detestata est Matrimonia a Filiis contra suorum Parentium voluntatem contracta* = Insuper felic. recor. Illmus, & Rmus D. D. Bartholomæus Pucci Patritius Politianus vir suavitate morum, vitæ integritate, moderatione, mansuetudine, clementia, religione, patientia, pietate conspicuus, ac sanguinis puritate satis illustris, ad regendam *Pistiensem* Ecclesiam, uti Primus Episcopus, merito assumptus, ut ab ejus optimo gubernio deindè Successores Prælati gubernandi normam desumerent, quemadmodum desumere potuerunt, & possunt, quippè qui continuo ostendit quàm sibi cordi esset justitia, quàm esset studiosus pacis, quàm erga pauperes liberalis, quàm fidelis, quàmque prudens servus a Domino super suam familiam constitutus, adeout propter illius singulares virtutes sperari possit, quod in pace sit locus ejus, & habitatio ejus in Syon, *anno* 1734. Synodum Diœcesanam coegit, in qua uti Sacrorum Cano-

num non ignarus *par.2. cap. 9. de Sacram. Matrim.* ne contra dispositionem *Sac. Concil. Trid. seff. 24. cap. 9. de reform. Matrim.* Filiifamilias ad Matrimonia ineunda *cogerentur* inviti, ita primum §. 11. providè, & accuratè decernit = ibi = *Caveant etiam Parochi, ne consensus sive paternus, sive materna, aliaque auctoritate per vim sit extortus, cum nullus sit Contractus, in quo major requiratur libertas, quàm in Matrimonio* = & deindè ne ullus Filiusfamilias opinari posset, quod hæc libertas ita extendi valeat, ut quascumque nuptias etiam inter impares contrahere sibi licitum sit, immediatè subjungit = *Quod si de hujusmodi libertate aliqua subsit causa dubitandi vel propter Natalium, vel Divitiarum inter Sponsos disparitatem, vel similium conditionum, quod præcipuè servandum erit in Filiis sub patria potestate constitutis, & in Adolescentibus, qui amore facilius capiuntur, certiores Nos, vel Vicarium nostrum Generalem faciant, ut quid agendum sit decernatur* = Tandem ad demonstrandum, quod etsi Parentes *cogere* nequeant Filios ad *certum* Matrimonium ineundum contra eorum libertatem, ut supra statuit, quia tamen attento *IV. Decalogi præcepto*, & altero *Sac. Concil. Tridentini cap. 1. seff. 24 de reformat. Matrim.*, hac libertate non obstante, Parentes Filiorum nuptiis sibi invisis se opponere, easque *impedire* non prohibentur *loc. cit.* §. 12. prosequitur = *Matrimonium sine consensu Parentum validè contrahitur, sed non licitè, propter reverentiam illis debitam, & per hoc peccant mortaliter Filiifamilias. Et quia ex ipsis multa scandala non raro in dies oriuntur, mandamus, ut nullus Parochus eis assistat, Nobis, vel Vicario Nostro Generali inconsultis* = Non est prætereundus clar. memor. Emi-
109 nentissimus, & Reverendissimus D.D. Card. Hannibal Albani, seu S. Clementis S. R. E. Camerarius, & Episcopus Sabinensis morum integritate, moderatione, pietate, religione, animarumque zelo præditus; auctor fere omnium magis pretiosorum sacrorum suppellectilium tùm Ecclesiæ Metropolitanæ Urbini, tùm Cathedralis Sabinensis; In Civitate Manliani, ubi Episcopalis Cathedra Sabinensis elevatur, Montis Pietatis suo ære fundator; Ipsius Civitatis Sanctimonialium Benefactor insignis, & pauperum amantissimus Pater, quibus non solum copiosas eleemosynas, quousque eamdem Ecclesiam non dimisit, quotannis distribuit, sed etiam annuum Censum Pharmacopolæ solvit pro medicinis gratis eisdem in eorum infirmitate tradendis; Seminarii singularis restaurator, doctissimis namque viris, qui Grammaticæ, Rethoricæ, Philosophiæ, Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, Geometriæ, Mathematicæ, Linguæ Græcæ, atque Hebraicæ &c. studio præessent, undique invitatis, iisque etiam de proprio ære amplissimis propositis præmiis, idem Seminarium ad eam existimationem perduxit, ut sexaginta, & ultra Juvenes Convictores etiam Romanos, Neapolitanos, Tridentinos, aliosque exteros, quos antea nunquam viderat, in eo numerarentur, nec ullum aliud Seminarium in Statu Pontificio tunc esset, quod huic foret æquandum; in promovendo Divino cultu, & in augendis, ac sub vero ritu, pompaque solemni ordinandis sacris functionibus maximoperè sollicitus, quæ omnia nobis constant, quia per illum Ecclesia Cathedrali Portuensi assumpta, & Sabinensi dimissa, huic de mandato SSmi D. N. Benedicti XIV. cum facultatibus Vicarii, & Commissarii Apostolici præesse debuimus. Hic igitur præstantissimus Purpuratus procul ab omni adulatione laudatus, ac summoperè laudandus, ut Oves sibi creditas sanctissimis quoque legibus communiret, *anno* 1736. tribus diebus continuis, quibus omnibus Parochis, ac Beneficiatis suæ Diœcesis magnis suis sumptibus, suisque manibus summa exemplaritate alimenta subministravit, Synodo Diœcesana coacta, inter alia *par. 3. cap. 9. §. 7. pag. 56.* Parochis ita præcepit = *Quoniam vero magna dissidia interdum, noxiasque discordias parere solent, invitis Parentibus, Matrimonia contracta, Filios adhortentur Parochi*

ne

ne tanti momenti rem insciis, vel obtinentibus Patribus aggrediantur, sed justæ potius illorum voluntati obsequentes, divinam benedictionem ob id mereantur = Fusius in Synodo *Fanensi* habita sub hodierno Illmo, & Rmo D. Episcopo Jacobo Beni *anno* 1740. *cap.* 14. §. 4. = ibi = *Et quamquam Matrimonium ritè initum, reluctantibus etiam Contrahentium Parentibus, ac Tutoribus, validum, firmum, ac indissolubile sit, nihilominus suadet honestatis ratio, ut illorum etiam voluntati morem gerant, eumque tribuant honorem*, NE IPSIS *omnino* INCONSULTIS, *multoque minus* CONTRANITENTIBUS, *Conjugia ineant; Quamobrem Parochis omnibus prohibemus filiorum, aut minorum adesse Conjugiis, non explorata prius Parentum, vel Tutorum voluntate; Quam si repugnantem cognoverint, sistant; ad Denunciationes non progrediantur; Nos confestim consulant, judiciumque nostrum expectent, meritas Nos daturi pœnas, si secus fecerint* = Nuperrimè, & antequam hæc Vota sub prælo ponerentur, Illmus, & Rmus D. D. Antonius Guglielmi Archiepiscopus *Urbinas*, Emi, & Rmi D. D. Cardinalis Petri Francisci Guglielmi meritis pleni ad Sacram Purpuram jam evecti germanus Frater, Patritius Senensis, & Æsinas, Ecclesiasticæ Jurisdictionis, & Immunitatis incorruptus vindex, strenuusque defensor, moribus, pietate, ac nobilitate clarus, cujus multis ab hinc annis immeritò exercebamus munus Vicarii Generalis, cujusque Pastoralem zelum, prudentiam, vigilantiam, justitiam, admirabilem in pauperes caritatem, cæterasque vero Ecclesiastico Præsule dignas virtutes, & præcipuè nimium erga nostram imbecillitatem amorem numquam satis possumus commendare, sub *diebus* 13. 14. *&* 15. *Junii* 1753. suam Synodum publicavit, ubi *sess.* 2. *tit.* 10. *de Sponsal. ac Matrim. Sacram.* §. 1. *punct.* 6. *pag.* 128. ita sancivit = *Parochis porrò omnibus præcipimus, ne Filiorumfamilias Sponsalibus assistant, vel eorum Denunciationes in Ecclesia habeant, nisi prius explorato Parentum consensu: quos si forte dissentire cognoverint, certiores hac de re Nos faciant, ut opportunis remediis, prout in Domino noverimus expedire, incommodis omnibus occurramus* = Tandem aliarum quoque Synodorum ejus- 110 dem tenoris Decreta refert *Gennettus tom.* 5. *Theol. Moral. pag.* 210. *& seqq.*

Nihil ineptius igitur objici potuit, quod in iis, quæ ad exteriorem pertinent Ecclesiæ politiam, minus Theologorum placitis sit inhæren- 111 dum, quatenus ad eos tantummodò spectet Fidelium animas iis omnibus instruere, quæ ad æternam felicita- 112 tem assequendam per privatas actiones necessaria, vel utilia comperiuntur, & judicium in sacramentali pœnitentiæ foro exercere, ibique sententiam dicere, non autem in foro Judiciali pro hujus regimine regulas tradere, eas vel negligentes, vel ignorantes; siquidem circa judiciale forum, circa politicam, atque 113 forensem Ecclesiæ disciplinam Juris Canonici periti dumtaxat sint attendendi, quorum munus illud est, ut per eos exterioris Reipublicæ pax, commercia, externi quoque Religionis cultus, non juxta regulas fori pœnitentialis, non Theologorum inhærendo vestigiis, sed ad normam legum, Sacrorumque Canonum, eorumque Interpretum inviolabilitèr 114 observentur, nulla habita ratione, de iis aut pravis, aut laudabilibus operibus internis Dei judicio, Sacerdotumque censuræ ex perpetua Ecclesiæ consuetudine reservandis, inter quæ reservari quoque debeat in 115 foro conscientiæ tantum examinandus articulus, an noxæ rei sint Filii, insciis, vel invitis justè Parentibus, Matrimonium ineuntes, sive quicumque indignas nuptias cum scandalo, cum Familiæ dedecore non sine propriæ salutis discrimine contrahentes, quod est propriè Sacerdotum, Theologorumque munus, non autem Judicum, qui nullam habent obligationem ar- 116 cendi Subditos a peccatis, sed Jus tantum publicè petentibus reddere, & Justitiam ministrare tenentur.

Non solum enim *Theologi* Filiorum Conjugia, Parentibus rationabilitèr invitis, ineunda acriter damnant, Judices- 117

que admonent, ne illa celebrari permittant, sed & *quamplures utriusque Juris Interpretes*, *Canonici Textus*, *Summi Pontifices*, *Episcopi in praecitatis suisSynodalibusConstitutionibus*, *Decreta Conciliorum Provincialium*, de quibus in *nostro Vol. I. num.* 41. *& seqq.* Itemque *Ordinationes*, *Statuta*, *Rotae Decisiones*, *Sacrum Concilium Tridentinum*, *& IV. Decalogi praeceptum* contra justam Parentum voluntatem Filiosfamilias Matrimonium sine peccato inire non posse decernunt, ut supra innuimus, & etiam apertissimè demonstravimus in *Vol. I. & Vol. II. & Vol. III. & Vol. IV. & Vol. V. n.* 68. *& Vol. VI. num.* 73. *& seqq.*, *& Vol. VII.* & potissimum cum auctoritate *Card. Paleotti*, *Salmeron.*, *Covarruv.*, *Sot.*, *Pallavicin.*, qui omnes *Sac. Concilio Tridentino* interfuerunt, quique proinde prae omnibus aliis Theologis, & Canonistis, de mente ejusdem *Concilii* satis instructi praesumuntur, quibus addimus magni quoque ponderis sententiam *Gentiani Herveti* eidem *Concilio* cum Cardinali a Lotharingia pariter interventi, postea Canonici Rhemensis, qui cum summus sui temporis Canonista, ac Theologus esset, ac in suis Operibus de Ecclesia egregiè meritus, orationem scripsit in praelaudata *Tridentina Synodo* a se habendam, & propter *Concilii* suspensionem deinde non recitatam, sed eodem, quo scripta fuit, *anno* 1555. permissu Facultatis Parisiensis editam, & attento omnium plausu, quo fuit excepta, pluries deinde recusam, in qua, ad probandum Matrimonia a Filiisfamilias injussu Patrio fieri non posse, ex Veteri, Novoque Foedere, & ex Jure Civili, & Canonico argumenta depromit, ac satis amplam, ac nervosam explanationem afferens Epistolae EVARISTI ad Episcopos Africae per *Gratianum* relatae in *Canon. Aliter* 30. *quaest.* 5. & ubi de Nuptiis Isaaci cum Rebecca, & Jacobi cum Labani Filiabus aptè ad suadendum suum assumptum disseruit, de scriptura similiter sic addit = *Porrò autem non fuisse eo tempore verum Matrimonium, nisi Filiaefamilias voluntati paternus etiam consensus accederet, eos quoque sensisse, qui erant a Dei cultu alieni, testatur Sichem, qui cum Dinae Jacobi, & Liae Filiae stuprum attulisset, & blandis verbis &c. pellexisset, a Patre suo contendit, ut eam sibi Uxorem a Jacobo Dinae Patre petat, non facturus, si solum Puellae consensum, quem amatoriis verbis, & illecebris jam sibi conciliaverat, satis esse putasset* =

Praeterea stultissimè cogitat, & loquitur, qui supponit, quod nihil intersit Ecclesiastici Judicis utrùm Christifideles a peccatis lethalibus arceantur; *Sacri* namque *Canones* eo 118
tendunt, ut ad aeternam felicitatem fidelis populus perducatur, utque ad illam assequendam media proponantur, quaeque impedire valent obstacula removeantur *Gibalin. de Scient. Canon. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *quaest.* 1. *num.* 8. = ibi = *Leges verò Ecclesiae, ut quaedam spiritualis Respublica est, & ut ad finem, & felicitatem supernaturalem tendit, non feriuntur nisi intentione Religionis, & Divinae Justitiae, habentque bonum animae profine, atque adeo pro materia aliquod ad finem illum ordinatum; dicunturque Ecclesiasticae, & ex iis nascitur Jus Ecclesiasticum, quod & Canonicum vocant ex eo, quod leges, ex quibus nascitur, Canonicae dicuntur. Juris igitur Ecclesiastici, sive Canonici finis primarius est Religio Christiana, quam unam attendit, ut per eam tamquam per medium non modo maximè idoneum, sed etiam unicum, Ecclesiam ad beatitudinem supernaturalem promoveat* = & haec est concors, communisque Doctorum sententia, quam tradunt nedum Theologi, verum potissimi ipsiusmet 119
Juris Interpretes, inter quos *Abb. in procem. Comment. sup.* 1. *Decretal. num.* 16. *circ. fin.* qui pluribus praemissis ad Scientiae Canonicae naturam assequendam, ita concludit = *Ex hoc patet excellentia hujus Scientiae ad Jus Civile, habent enim se ut anima, & corpus, licèt enim utrumque Jus intendat inducere Homines ad bonum commune, differunt tamen in modo inducendi. Nam Jus Civile intendit*

ho-

Hominem dirigere in bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati civiliter vivendi, secundum quem modum bonum commune habet vim promoveri per legalem justitiam, & civilem amicitiam. Jus vero Canonicum intendit dirigere Hominem ad bonum commune secundum quod congruit humanæ societati, quia non solum civiliter vivis, sed secundum fidem in Deum intendendo, & vitam aliam expectando. Bonum autem commune sic acceptum non potest conservari per solam legalem justitiam, & Civilem amicitiam, sed ultra hoc requiritur quædam cælestis amicitia, sine qua impossibile est Hominem in Deum tendere. Sicut ergo potissima virtus, ad quam conatur Jus Civile, est ipsa legalis Justitia, & Civilis amicitia, ita potissima virtus, ad quam conatur Jus Canonicum, est ipsa cælestis amicitia, quam Caritatem vocamus = ex quibus Ecclesiastici Judices de proprio instituto satis, superque remanere debent instructi, cum nihil sit, quod ita caritatem, ac cælestem solvat amicitiam, nihil quod æterna

120 felicitate nos privet, ut *Mortale peccatum*, cui Ecclesiæ Præsules, ac Ecclesiastici Judices totis viribus

121 occurrere debent; quamvis enim Jus Canonicum circa pleraque versetur, quæ ad externam politiam spectare videntur, ista tamen ad excellentiorem dirigit finem, quatenus videlicèt utilia sunt, si rectè illis utamur, ad æternam vitam assequendam, quemadmodum alii explicant Canonistæ, &

122 præcipuè *Koning. tom. 1. in princ. Jur. Can. in proœm.* §.6. = ibi = *Objectum, seù materia Juris Canonici sunt actiones Christianorum dirigibiles, & regulabiles per normas Ecclesiasticas ad rectam viam, & beatitudinem supernaturalem: circa ejusmodi enim actiones Jus Canonicum occupatur. Nèc obstat, quod sæpe etiam disponat de rebus, quæ mere exteriores sunt, & temporales, veluti de Contractibus, Judiciis, ultimis voluntatibus &c. quia hæc, & similia tractat, & attingit sub dicta ratione supernaturali, & ut facilius finem suum assequatur* = Ergo tantum abest, quod Ecclesiasticum Forum sollicitum non sit de peccato vitando, quin potius id præcipuè satagere debet, ut Subditos à peccando, & à peccandi periculo penitus alienet, atque removeat, & in judicando circa ea, quæ maximè ad Civilem societatem necessaria, vel utilia comperiuntur, id primariò sui muneris esse debet, ut illa à Subditis sine peccato, nèc contra Divinas leges exerceantur *Gibalin. de Scient. Canon. tom. 2. lib. 5. cap. 1. quæst. 2. num. 5.* = ibi = *Vides amplitudinem materiæ Juris Ecclesiastici, cum omnia fere ad Religionem, ac Justitiam reduci queant, & versari possit circa materiam Civilem, sed altiori, & nobiliori modo, quàm Jus politicum, quatenus scilicet est materia peccati, sive ubi agitur de peccato vitando, & de periculo Animæ* = idque ex ea ratione, quam ibidem ante *num. 1.* præmittit = ibi = *Quia peccata omnia nos à fine supernaturali abducunt, & bonis omnibus spiritualibus, atque saluti animæ opponuntur, idcirco ad eamdem legem, & Jus pertinent, cum contraria ad eumdem ordinem revocari soleant. Adde primarium actum imperatum ab hoc jure esse cultum, & honorem Divinum, seù religiosam actionem. Divino vero cultui præcipuo quodammodo opponuntur peccata, quatenus sunt injuriæ Dei. Igitur ad idem quoque Jus Ecclesiasticum, quatenus peccata sunt, pertinebunt, &* 124 *de iis* (id est de peccatis) *hoc Jus pronunciare, & definire, atque prohibere, damnare, atque adeo punire suo modo poterit* =

Quamobrem huc spectat tritum illud apud Canonistas, atque Theologos axioma, quod nempe = *Si Jus Canonicum contradicat Civili, servandum sit Canonicum, si materia concernat peccatum, seù animam* = ut 125 advertit *Andr. Vallens. in Paratitla Decretal. in proœm.* §.9. *num.* 4. nam ad vitandum peccatum Ecclesiæ leges Jus Civile corrigunt, & immutant ad 126 *Text. in Can. 1. dist. 9. Can. 1. Can. Non licet, Can. Certum est*, & alii passim *distinct. 10. Gibal. loc. cit. quæst. 4. num. 3.* = ibi = *Ecclesiæ leges emendant, imò, & abrogant Jus Civile* (ad evitan-

tandum nempè peccatum) *quia ipsæ leges Civiles cum pugnant cum Jure Divino, & Naturali justæ non sunt, & speciem legis habent dumtaxàt, ejus tamen vim, & auctoritatem obtinere non possunt* = nèc pauca ad hoc comprobandum suppetunt exempla, quoties agitur de Votis, Juramentis,
127 Usuris, Matrimonio, & Præscriptionibus mala fide inchoatis, ut post *Gail. lib. 2. observat. 141. num. 4.* notat *Konig. Proœm. princ. Jur. Can. §. 4. n. 8.* & prius docuit *D. Thom. quolib. 12. quæst. 16. artic. 24. & 25.*

Hæc autem, ut in reliquis omni-
128 bus, ita præcipuè procedunt in Sacramentorum administratione, quà nihil sanctius, nihil in Ecclesia dignius, ut majori, quà potest veneratione, exerceatur, ad quod in puncto confirmandum satis erit adducere exemplum Summi Pontificis, de quo *Albit. de inconstant. in fid. cap. 36. num. 216.* ubi quod f. m. PAULUS V. consultus à Philippo III. Hispaniarum Rege, an sibi liceret hæretico Regi, à quo requisitus fuerat, Filiam nuptui
129 tradere, respondit = *La Santità di Nostro Signore &c. quanto a detto accasamento dice, che non può se non improvarlo, e detestarlo &c. per esser simil Matrimonio &c. illecito &c. e sottoposto a peccato mortale gravissimo* = iterumque rogatus, ut prò ineundis Nuptiis Dispensationem elargiretur, quamvis largitio Dispensationum in Matrimoniis contrahendis ad internam quoquè pertineat Ecclesiæ disciplinam,
130 nihilominus judicium de peccato Regis Confessario nequaquam remisit, sed quia sciebat hanc Summis Pontificibus, cæterisque Ecclesiæ Præsulibus, atque Judicibus Ecclesiasticis in primis à Christo Domino demandatam fuisse provinciam, ut gregem suum per quamcumque semitam in æternam dirigant viam, atque sibi collatam in utroque Foro potestatem eo respicere, ut commissis Ovibus viam salutis ostendant, & ruinam vitare, securumque prosequi callem doceant, jubeant, atque compellant, ac nedum peccato, verum etiam de non confe-
131 renda peccato opera sedulò præcavere debeant, constantissimè abnuit = ibi = *E non sa vedere la Santità Sua, come al presente si possa ascoltare simil protesta, trattandosi di dispensare sopra un atto tanto illecito, e cooperativo di peccato mortale, se insieme non se gli proponessero cause, e condizioni gravissime, ed evidentissime utilità per servizio di Dio, e della S. Fede Cattolica* =

Firmum igitur remanet, quod Ecclesiasticus Judex, & quicumque alius Justitiæ, sive Sacramentorum Administrator, ut suo muneri respondeat, neque alieni criminis particeps evadat, publicè peccantem, prout est in casu, de quo agitur, Filiusfamilias, à Sacramentis excludere teneatur tàm 132
exemplo Summorum Pontificum, & ex Sententia Canonistarum, quàm ex doctrina Theologorum juxta monitum quoquè *Card. Pallavicini in Hist. Concil. Trident. lib. 22. cap. 4. num. 16. vers. Costantino*, ubi prodita cujusdam Sacror. Canonum Doctoris opinione super irritis habendis clandestinis Nuptiis, hæc subdit = *Diede a divedere, che il caminare colla sola scienza de Canoni senza la Teologia in queste materie, è appunto caminare con un sol piede, cioè zoppicando, e spesso cadendo* = & in punctualibus terminis Sacramenti Matrimonii *Ursaya Discept. Eccles. tom. 1. part. 2. discept. 2. num. 110.* = ibi = *Sumus enim in terminis Matrimonii, quod tamquam unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis propriè cadit sub discussione Moralistarum, & Theologorum* = ubi inter alios eitat prælaudat. *Card. Pallavicin.*, ac refert ejus verba mox supra transcripta.

Haud subsistente objecto, quod pro futili prædicto argumento confirmando absurdius subdebatur, videlicet, quod quemadmodum non est in arbitrio Ordinariorum ratione peccati mortalis impedire, vel retardare effectuationem Matrimonii cum eo, qui 133
Votum simplex Religionis, vel Castitatis emisit, ita eisdem Ordinariis ratione culpæ lethalis Matrimonia Filiorumfamilias injussu Parentum ineunda impedire non liceat.

Nemo enim in dubium revocare potest, quin Episcopi valeant, imo debeant

beant eos , qui prædictum Votum
emiserunt, Matrimonium inire vo-
lentes impedire, ne contrahant, quia
ad hoc absque ulla hæsitatione tenen-
tur juxta omnium Canonistarum, &
134 Theologorum Sententiam, & juxta
apertissimos *Textus in Cap. Consu-
luit 4. Cap. Veniens 5. Cap. Rursus 6.
§. Qui Cleric. vel vov.* ubi expressè
definitur Votum simplex sive Castita-
tis, sive Religionis impedire Nuptias,
nèc annuendum, ut tali Voto obno-
xius Conjugio copuletur, & si ali-
quando urgeat causa, ut Matrimonium
contrahatur, emittenda statuitur con-
grua satisfactio, & obtenta a Summo
Pontifice Dispensatione, tunc solum-
135 modo licentia tribuatur; & in specie
quoad Votum simplex Religionis ur-
get *Text. in Cap. Porrectum 13. de
Regular.* ubi, qui infirmitate gravatus
Votum emisit, ut fieret Monachus,
compellendus est, ut reddat Domino
quæ promisit, ibique *Fagnan. num. 5.*
notat, quod qui Votum Religionis
emisit, etiam in Foro externo Eccle-
siæ compelli potest ad servandum Vo-
tum. Quoad Votum vero simplex
Castitatis habemus *Text. in d. Cap.
136 Rursus 6. Qui Cleric. vel vov.* ubi ei,
qui Votum simplex Castitatis emiserat,
etsi deinde Sponsalia juraverat, Ma-
trimonium nihilominus interdicitur,
indèque *Barr. num. 4.* sic infert = *Et
sic nota, quod ex voto simplici oritur
Jus, quo Ecclesia compellere potest
voventem ad votum solemnizzandum* =
& deinde concludit = *Et nota ex hoc
137 virtutem voti simplicis, quæ Matri-
monium impedit contrahendum, sed
non tollit jam contractum* = Itemque
Innoc. in d. Cap. Veniens 5. eod. tit.,
in quo Summus Pontifex cum Muliere
Voto simplicis continentiæ obstricta,
post indictam ipsi congruam satisfa-
ctionem, jubet dispensari, ut nubat,
ad ea verba = *licentiam nubendi* = no-
tat = *De misericordia, nam de rigore
138 Juris post votum simplex non datur
ei licentia nubendi* = luculentius ibi-
dem *Gonzalez num. 5.* = ibi = *Dicen-
dum est Pontificem in hoc casu imme-
139 diatè dispensasse, ideòque ad Episco-
pum scripsisse, ut licentiam dare non
dubitaret, idest non prohiberet talem
Fœminam nubere &c. Quod non est
intelligendum in sensu tantum per-
missivo, sed hoc in sensu, quod Papa
dispensando tollit impedimentum,
propter quod posset Episcopus tale Ma-
trimonium prohibere* =

Multoque minus in aliquo nume-
ro habendum est exemplum, seu ar-
gumentum ex auctoritate *D. Thomæ*
desumptum affirmantis posse Judicem
damnare Virum, quem certo novit
innoxium, quatenus tamen ex fo- 140
rensibus actis reum esse resultet.

Ultraquamquod enim quamplu-
res, & multi nominis Canonistæ, ac
Theologiæ Professores contrarium
sentiunt, alii vero in parte hanc sen-
tentiam admittunt, & in parte con- 141
tradicunt, de quibus latè *Covarru.
lib. 1. variar. cap. 1. per tot. Card. de
Lug. de Just. tom. 2. disp. 37. sect. 4.
Dicastillo de Just. lib. 2. tract. 1. disp. 4.
num. 75.* cum aliis per eos allegatis, esto
quoque millies, quod vera sit, nil
aliud indè resultat, data paritate,
quàm si circa Filiorum Nuptias ex te-
stium depositionibus, cæterisque ju-
dicialibus actis Parentum reluctantia 142
non relevetur, aut eorum dissensus
irrationabilis appareat, sive Nuptias,
quas Judex privata scientia novit in-
dignas, eas secundum allegata, &
probata constet perperam ignominia
notari, tunc ei liceat sequi notitiam
publicam, atque in Foro probatam,
non autem privatam, & occultam,
quam ipse habet, dummodò nulli pe-
percerit industriæ ad detegendam ve-
ritatem, quod in præsenti casu non
controvertitur, sed illud tantummo- 143
dò disputatur, an Ordinarius, aut Pa-
rochus, dum Parentes palam dissen-
tiunt, ne Filii, Filiæve indignè nu-
bant, & apertè constat Nuptias sine
scandalo, sine injustitia, & sine pec-
cato contrahi non posse, pro eorum
arbitrio vel licentiam concedere cele-
brandi Matrimonium, vel respectivè
eidem assistere valeant, quod, atten-
to peccato manifesto, & notorio sacri-
legio, quo Matrimonium fœdare in
hoc casu Filiifamilias moliuntur, om- 144
nino impugnamus, cum nullum exem-
plum afferri possit, quo fas sit Paro-
cho Sacramentum notorio peccatori,
qui

qui in ipsa Sacramenti perceptione il-
145 lud violare dignoscatur , administrare , & Episcopo , ut administretur annuere , seu liceat Judici sive Civi-
146 lis , sive Ecclesiastici Fori opem ferre peccanti , cujus delictum Testes , & Acta comprobant , vel sua turpitudine manifestatur .

Ratio autem disparitatis , cur in crimine occulto liceat operam conferri a Judice , vel a Ministro Sacramentorum , non autem in notorio , &
147 sic nefas sit præsidio esse Filiis, ut Matrimonium ineant , quando appareat illos peccaturos, si nubant, ea quidem est , quam affert *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 67. *artic.* 2. *in respons.* = ibi = *Judicare pertinet ad Judicem secundum quod fungitur publica potestate , & ideo informari debet in judicando , non secundum id , quod ipse novit tamquam privata persona , sed secundum id, quod sibi innotescit tamquam personæ publicæ . Hoc autem innotescit sibi , & in communi , & in particulari &c. in particulari negocio aliquo per Instrumenta , & Testes , & alia hujusmodi legitima documenta , quæ debet sequi in judicando magis, quàm id, quod
148 ipse novit tamquam privata persona* = & confert *S. Thomæ* eximius interpres *Cajet. in comment. artic.* 2. *vers. Ad postremum* = ibi = *Ad postremum dicetur, licet Testes veniant intrinsecus ut Lupi , Judex tamen non est eorum Mini-
149 ster , sed Juris , & propterea non incurrit reatum sequelæ eorum , nec per ipsum venit scandalum , sed per illos Testes , qui abutuntur jure , & Judicis officio* = & in terminis tam Judicis condemnantis Inquisitum licet innocentem occultum , quem ipse quoquè privata scientia verè innocentem agnoscit , sed ex judicialibus probationibus Reus undique convictus apparet, quàm Sacerdotis administrantis Sacramenta peccatori occulto , quem ipse privata scientia scit esse peccato innodatum , sed quia est occultus non pro peccatore publico, & notorio, sed pro justo , vel ritè pœnitenti ab aliis habetur, quod in hoc casu neuter inju-
150 stitiam committat, nèc alterius criminis particeps evadat, solide probant . *Suarez, Enrich, Bonaccin. &c.* aliique, & signanter *Dicastilio de Just. lib.* 2. *tract.* 1. *disput.* 4. *dubit.* 5. *n.* 89. *& seq.* = ibi = *Judex post adhibita omnia media moraliter possibilia , quibus innocens liberari possit , etiamsi materialiter injustitiam committat , tamen secundum eam scientiam , qua in judicando uti debet , formaliter justum agit, ac proinde nulli facit injuriam* = & inferius = *Hac ratione Sacerdos, qui scientia privata agnoscit aliquem occultum peccatorem , scientia vero publica habetur vel justus , vel ritè pœnitens, præbet Eucharistiam licitè, imo nèc potest negare publicè petenti*, concordat *Castropal. oper. moral. par.* 4. *tract.* 18. *disput. unic. punct.* 14. *num.* 4. = ibi = *Quod si objicias nemini licitum esse sacrilegio cooperari , quia est intrinsecè malum ; at ministrans Sacra-* 151
mentum indigno videtur illius sacrilegæ susceptioni cooperari ; Ergo numquam id licere potest . Facilè respondetur , negando ministrantem Sacramentum indigno ob supradictum finem vitandi proximi infamationem , cooperari sacrilegæ suscipientis receptioni &c. quatenus vero est sacrilega, permittit ex justa causa =

Nihil quoque relevat, quod aliquibus in locis Mulieres impunè exerceant infamem meretricandi artem, ad quem effectum juxta mandatum Superiorum, seu Tribunalium inter Mulieres ejusdem generis describi debent , alias puniuntur , quæ descriptio videtur saltem implicita licentia meretricandi ; Quidquid enim sit de hujusmodi descriptione , quæ si vere æquivaleret licentiæ , Tribunalia procul dubio cooperarentur peccato , aliud est 152
tollerantia , aliud expressa licentia , Meretrices namque tollerantur , sed nunquam inveniri potest Judex , qui Mulieri expressam peccandi licentiam concedat , nullus Sacerdos, qui publi- 153
cæ Meretrici Eucharistiæ Sacramentum petenti , & in statu peccati existenti illud administret , & si vel Ju- 154
dex, vel Sacerdos aliquis inveniretur, qui talia perpetrare auderet, non differret ab eo , qui vendit illi gladium, quem prævidet ad aliquem vulneran- 155
dum usurum , seu ab eo , qui ad domum Mulieris ad fornicandum acce-

den-

156 denti januam aperit, aut scalam humeris sustinet, per quam illius Dominus, vel Amicus ad stuprandam
157 Virginem ascendit; peccatum adeo grave, ut contraria propositio adnumeretur inter eas damnatas a *Ven. In-*
158 *noc. XI. die 2. Martii 1676. sub n. 5.*
Tollerantur autem Meretrices, quia quandoque tollerare licet leviora mala, ne aditus gravioribus pa-
159 teat *D. Thom. 2. 2. quæst. 10. artic. 11.* = ibi = *Sic ergo in regimine humano illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tollerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur* = at cum non agitur de tollerandis tantummodò vitiis, sed de præstanda illis opera, sovendisque Judicis auctoritate criminibus, longè se res
160 aliter habet, ut ostendit *Suarez de Carit. disput. 10. sect. 4. num. 7.* = ibi = *Respondetur in his cavendam omninò esse positivam cooperationem, quia hæc est intrinsecè mala, cum sit contra præceptum negativum. Pro ratione ergo circumstantiarum, quandone sit cooperare, aut quando sit tantum non impedire, considerandum prudenter est* = & pariter *Cajet. in Commentar. sup. 2. 2. quæst. 78. artic. 4. §. secundo* = ibi = *Si namque peteret quis ab aliquo actum, quem non potest exercere sine peccato, proculdubio ad peccandum eum induceret, quamvis paratissimum, ac per hoc particeps peccati esset consentiens peccato alterius: Adverte ergo semper &c. ut discernas, si actus petitus potest &c. sine peccato fieri, quia hic radix est liciti, vel illiciti* = itaque peccato cooperaretur, & peccatum committeret Ordinarius, si licentiam concederet Filiofamilias, ut justè reluctante Patre, Matrimonium iniret, seu ad eumdem effectum super Denunciationibus dispensaret, itemque Parochus, si Matrimonio assisteret, quia nullius vitandi
161 mali causa suppeteret, imò viam aperirent peccatis gravibus, sacrilegiis, dissentionibus, rixis, inimicitiis inter Consanguineos, & jurgiis, odiis, atque verberibus inter futuros Conjuges, ut prænotavimus in *Vot. I. n. 30. & Vot. II. num. 6. 7. 13. & seqq., & num. 26. 27. 28. 46. & seqq. & numer. 59. 77. 78. 80. 89. 93. & seqq., & num. 109. 126. & seqq.*; undè si non sunt facienda mala, ut eveniant bona, multò minus facienda sunt mala, ut eveniant pejora.
Haud attenta replicatione, quod 162
si è duobus malis, cum majus fugiendum sit, levius est eligendum, ideò etiam in hoc casu expediret non impedire Filiumfamilias uti posse sua libertate, sed ei permittere, injussu quoque Patris, Conjugium ad salvandam propriam animam constantissimè ab ipso petitum, ne Sponsi cum dispendio æternæ salutis urantur, dum nubere prohibentur contra effatum 163
Apost. 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 9. = ibi = *Quod si non se continent, nubant, melius est enim nubere, quam uri* = Etenim ex ea ratione, qua Ecclesia prohibuit Matrimonium Catholico 164
cum Hæretica, quia pro remedio contra concupiscentiæ irritamenta habet sexcentas alias Catholicas Fœmi- 165
nas, ex quarum numero sibi Conjugem comparare potest, ex eadem ratione tàm ex *Naturali*, & *Divino*, quàm *Ecclesiastico præcepto* prohibetur Filius ducere sacrilegè Uxorem Parentibus invisam, seu Consanguineis ignominiosam, quia habet alias 166
mille, & mille Puellas, inter quas unam æqualis conditionis cum consensu Patris ad extinguendam libidinem, sed primariò ad procurandam sobolem eligere non impeditur *Pignattel. consult. 11. num. 9. tom. 4.* = ibi = *Pariter non obstat indè Virum, qui Mulierem amat, relinqui expositum periculo peccandi, sibi enim imputet, qui aliam Uxorem æqualis conditionis ducere potest, si velit* = convenit *Ricc. decis. 24. par. 3.* = ibi = *Licet Matrimonium sit remedium luxuriæ, tamen peccatum luxuriæ vitare potest aliis modis, ut contrahendo cum aliis Fœminis* = & quemadmodum Catholico, qui non potuit obtinere ex justis causis aposto- 167
licam dispensationem ad contrahendas cum Hæretica nuptias, nequit Ordinarius licentiam concedere, ut illas contrahat, nec Parochus valet eisdem assistere sine peccato, uti ambo *præcepti Ecclesiastici* transgressores, non attento Catholici erga talem hæ-

retiẹam Puellam in specie obstinato ámoris furore, quo nihil est vehementius *Justinian. Auth. Quib. mod. natural. §. Illud vers. Novimus*, nnn obstante libertate Matrimonii, minusque obsistente periculo fornicationis (qund & dicendum venit de aliis Connubiis absque dispensatione ab Ecclesia interdictis) eodem modo nèc Ordinarius annuere, nèc Parochus assistere possunt Matrimonio Filiifamilias cum justo dissensu Parentum ineundo, & quidem non sine peccato, uti contravenientes *præcepto* non solum *Ecclesiastico*, sed etiam *Naturali*, & *Divino*, Matrimonii libertate, amoris furore, prætextu salvandæ animæ, & periculo fornicationis nullatenùs suffragante, vel quia aliam dignam desponsando Fœminam fornicatio evitari potest, & anima salvari, potius quàm cum tali Conjugio tot sacrilegia, & peccata committere, aliisque ea committendi præbere occasionem, vel quia tantum abest, quod contrahere Matrimonium, invitis justè Parentibus, sit medium ad salutem, quinimò æternæ saluti ex diametro opponitur, ob mortale peccatum, quod in eo contrahendo committitur *Ferdin. de Valent. discept. 5. sub num. 59. §. ult. de re Eccles.* vel demum quia potius, contracto sacrilegè Matrimonio, ultra simile scelus, subest periculum adulterii, ut diximus in *Vot. I. n. 198.*

Et profectò nemo audebit asserere, quod sit indulgendum, & cooperandum peccato mortali, & Sacri-
168 legio ad saturandam libidinem Filiifamilias, quam tamen saturare valet ducendo aliam Fœminam cum consensu Parentum sine labe ex hoc capite culpæ lethalis, potius quàm abstinendum ab hujusmodi cooperatione, ne offensa infinita Deus immortalis afficiatur, cum nullo modo prævalere debeat velleitas, furor, atque temeritas miserrimæ Creaturæ sacrilegè Matrimonium contrahere exo-
169 ptantis, infinitæ Creatoris excellentiæ tale Matrimonium contrahere prohibentis, nèc consolandus sit homunculus ad ejus libidinem confovendam, spretis caritatis, pietatis, &
170 justitiæ legibus, ut injuria infinita, mediante peccato, Deus offendatur, etiamsi non ageretur, prout agitur, de peccato mortali, & sacrilegio, sed de simplici tantum culpa veniali, quæ utique committenda voluntariè non esset, etsi, quatenus non committeretur, omnes Aulæ Cœlestis Milites,
si fieri posset, in Infernum præcipita- 171
re deberent, quia hoc esset Creaturæ damnum, veniale vero peccatum injuria infiniti Creatoris, undè multò minus cooperari debemus mortali peccato, ut cœcus Adolescens ad sa-
turandam libidinem impiè sacrile- 172
gium, seu sacrilegia committat, (quando liberè potest id assequi ineundo cum alia digna Fœmina Parentibus non invisa Matrimonium) potius quàm illi pravam ejus impedire voluntatem, ne infinitam Dei bonitatem offendat.

Minus urget, quod in hypothesi agatur de scandalo promanante a diuturna prava conversatione ejusdem Nobilis Adolescentis cum præfata Muliercula, quo casu aliæ Episcopales Curiæ, nulla habita ratione de Conjugio sive sancto, sive sacrilego, non solum Parentum consensum minimè requirunt, sed potius ad removendum scandalum ita necessarium Matrimonium sive æquale, sive impar existimant, ut, ne impediatur, clàm Parentibus, & Consanguineis etiam sine Denunciationibus illud fieri permittant, & aliquando ipsos Contrahentes ad illud hoc modo contrahendum quoque suadeant, & adhortentur.

Neque etenim exemplis est judicandum *l. Nemo Judex Cod. de sent. & interlocut. Barbos. axiom. 86. num. 3. Rot. decis. 484. num. 21. par. 4. tom. 2. recen.*, sed quod fieri debet, & non quod factum est, attendendum venit *l. Sed & licèt ff. de Offic. Præsid.* Ultra quam quod nequaquam credere possumus aliquam reperiri Curiam, quæ hujusmodi servet praxim, quia nèc sunt facienda mala, ut eveniant bona, nèc ad removendum simile scandalum est necessarium, quod Rei tantummodò scandali, impiè deindè contrahentes, peccata multiplicent, & una simul cum illis Ordinarius cul-

pa

pa lethali innodetur eorumdem cooperando peccatis, quando ad avertendum simile malum adest legale,& sine peccato remedium,quo in casu jam usi sumus , transmittendi nempè præceptum utrique de non conversando sub pœna carcerationis , & relegationis cum consensu Parentum in aliquo Fortilitio quoad Masculum , & sub pœna carcerationis, & exilii quoad Fœminam , in quas pœnas in casu contraventionis condemnantur , retinendo Masculum in Fortilitio donec , & quousque Fœmina Viro æqualis conditionis nupserit , vel donec Masculus aliam Fœminam sibi æqualem ducere non elegerit .

Nec majoris momenti alterum
173 est objectum desumptum ex quorumdam præcipuè Forensium auctoritate, qui ad evitandas angustias Jure Civili in Matrimoniis contrahendis definitas , quæ insciis , vel invitis Parentibus, contracta , ex eo antiquo Civili Jure sunt nulla , in oppositam ex diametro sententiam descendisse reputantur , quatenus Jure Canonico novissimo omnes Civiles eas antiquas leges fuisse abrogatas affirmant , quibus proindè abrogatis , ab eodem Jure Canonico circa Nuptias nihil vetitum sit Filiis , quatenus illas, Parentibus etiam invitis , inire præsumant , alias Jus Canonicum eas leges non abrogasset , sed potius undiquè confirmasset , & plenè in suo robore reliquisset .

Hoc etenim est unum ex illis affectatis æquivocis , per quæ vivere volumus sine lege, quia leges,Docto-
174 ctorumque sententias nostris aptamus cupiditatibus , juxta nostrum commodum variis sophismis,ac subtilitatibus interpretamur;Non est enim difficilè illorumForensium dicta cum communi Theologorum , ac perillustrium Canonistarum sententia concordare , si inspiciatur illos non satis distinguere inter licitum , & validum (ut moris est Causidicorum , qui pro foro fori commentaria exararunt) nec aliud voluisse , nisi quod Filiorum Conjugia , quamvis indigna , aut Parentibus insciis , vel contradicentibus co-
175 pulata , firma , ac rata habenda forent , nec jam contracta humano arbitrio venirent dissolvenda , & in hoc abrogatum fuisse antiquum Jus Civile , per quod Conjugia a Filiis injussu Parentum inita , penitus nulla , & irrita declarantur , non autem , quod ex justis causis impediri non possint , ut illicita,antequam contrahantur contra textus , & Jura hactenus allegata , ut præ cæteris bene declarat de mente *Concilii* optime instructus *Card. Paleott. in tract. de spur. & noth. cap.8. num.14.* = ibi = *Id tamen non reticebo posse , & mediam quamdam in hac re opinionem adstrui,quæ cæteris æquior, & probabilior videatur , nempè , ut dicamus Jure etiam Pontificio consensum Patris ex præcepto requiri . Si tamen adhibitus non sit , non ideo dirimendum , quia & alia multa legibus prohibentur , quæ tamen facta solent sustineri* =

Nil pariter relevante objectione , quod cum Sponsalia pura , & simplicia inter Partes conclusa fuerint , nullo jure extrinsecis conditionibus alliganda videantur , tunc enim solummodo dissensus Parentum inservit pro causa recedendi a Sponsalibus , quando contractus habitus fuerit cum conditione , si Parentes non dissentiant, vel Parentum consensus accedat.

Hic etenim est innegabilis error, nam neque Jus Naturale , & Divinum ponit in libertate filiorum defectum reverentiæ , obsequii , & obedientiæ Parentibus debitæ peccaminosum reddere in solo casu non adimplementi similis conditionis per ipsos ad eorum libitum apponendæ , sed iis prohibet in quocumque casu dehonorare Parentes , eorumque transgredi justa mandata , nec Sancta Dei Ecclesia hujusmodi Matrimonia interdixit , quando sub prædicta tantummodo conditione ad Filiorum placitum pariter apponenda Sponsalia fuere contracta , sed quoties inita sunt insciis , vel invitis justè Parentibus,ea indistinctè semper detestata est , atque prohibuit , quibus stantibus semper erunt turpia , illicita , & peccaminosa , & uti talia ex præcepto naturali, Divino , & Ecclesiastico vetita , adeout si stipulata fuerint Sponsalia sive sub tali condi-

tione, sive simpliciter, & absolutè, & Matrimonium, invitis justè Parentibus, exindè sequatur, nèc Filius contrahens, nec Ordinarius, & Parochus si licentiam sacrilegè contrahendi, & assistentiam prebeant, a peccato possint excusari, etiamsi circa prædictam conditionem pro se haberent sententiam alicujus Doctoris, imo & ipsius *Sac.Rot.Rom.* opinionem, quia per hanc sententiam, seu opinionem nunquam desineret id esse peccatum, cum cooperari Sacrilego Matrimonio sit intrinsecè malum; quæ tamen *Sac. Rota* aliter sensit in *decis. 77. num. 5. cor. Kaunitz*. Ea autem conditio quoties apponitur, nil aliud operatur, quam constituere Sponsalia in implicito statu validitatis donec, & quousque Parentes non dissentiant, quæ alias sine tali conditione contra justam Parentum voluntatem contracta, tamquam illicita, & peccaminosa ex tunc irrita forent, & invalida ut abundè probavimus in *Vot.III. num.61. 89.& seqq. & Vot.IV. num.64. 66. & seqq. & num.92. 99.154. & seqq.& n.179. 185.& seqq. & n.192. 199.& seqq.* & passim alibi. Et insuper efficit, quod quoties Pater, seu Mater, sub quorum consensus conditione Sponsalia fuerunt inita, sive rationabiliter, sive irrationabiliter contradicant, Sponsus, seu Sponsa, quæ huic conditioni consensit, ea non adimpleta, Promittentem ad effectuandum Matrimonium cogere minimè valeat, ut ipsa ratio suadet, & arguitur etiam ex deductis per *Rot. in Barchinonen. Sponsalium 26. Novembr. 1742. §. 1.* juncto *§. Prætensam cor. R. P. D. Nunez, & in Majoricen. Sponsalium 25. Apr. 1746 §. Ex eo autem cor R.P.D. Bussio.*

Durior quoque provincia fuit eam, suadere velle distinctionem, quod Judex, sive Ordinarius nequeat quidem sine noxa culpæ lethalis *cogere* Filiumfamilias ad servandam fidem futuri Conjugii clandestinè jam datam, quando eam servare ipsemet Filius renuit reluctantibus justè Parentibus, non autem, quod debeat illum *impedire*, ne contrahat, quando non recusat, sed potius instat etiam contra Parentum voluntatem adimplere promissum ad hoc allegando dictam *Rot. dec. 77. n.4. cor. Kaunitz* = ibi = *Etsi enunciatus* (Parentum) *consensus non sit necessarius ad validitatem &c. cum tamen Filius, vel Filia major 25. annis contrahentes Matrimonium contra placitum Parentum peccent mortaliter, gravique injuria Patrem afficiant &c.* NON POTEST QUIS COGI *ad nubendum contra reverentiam debitam Patri, & induci ad peccatum lethale inobedientiæ* = Indè etenim non resultat asserta distinctio, sed cum potius ibi firmetur, quod non liceat Filio contrahere Matrimonium contra placitum Parentum, *ne mortaliter peccet, gravique injuria Patrem afficiat*, ex hoc sequitur, quod contra justam Parentum voluntatem nunquam contrahere valet sive namque sit coactus ad contrahendum, sive spontè paratus, semper mortaliter peccat, gravique injuria Parentes afficit, & Ordinarius sive *cogat*, sive *non impediat, & annuat*, semper peccato lethali inobedientiæ Filii erga Parentes cooperatur.

Hisce juribus, & fundamentis nihilominus penitus non convicti Patrocinantes incautum Adolescentem subjungebant, quod si hactenus præmissa sint vera, illa tamen in eo sensu sint accipienda, ut liceat Ordinario moram aliquam facere Filiisfamilias 176
injussu Parentum Matrimonia tentantibus, seu ad indignas convolantibus nuptias, non utiquè ad libertatem infringendam, sed ad irrevocabilem præcipitationem in copulando indissolubilis Matrimonii fœdere retardandam, quia non semel, aut raro accidit, ut hujus moræ beneficio adolescentes, vel puellæ fallaciis, ac lenociniis deceptæ, vesano furentes amore, iraque incensæ ex severiori Parentum disciplina, Connubia indigna machinentur, at pusillo temporis ad sè reversæ, insanisque solutæ affectibus, gaudent sibi retardatum fuisse, quod imprudenter optaverant, & ad facilius hoc assequendum posse filios a consortio eorum sejungi, quos suspicari licet ipsorum cupidinem confovere, item a Civitate amoveri, & interdum in carcerem quoquè detrudi, ut vexatione commoti sui compotes evadant, suam

agno-

agnoscant insaniam, eamque exhorreant perniciem, quam incautè sibi moliuntur; Quod si, his non obstantibus, in sua pertinacia perseverent, animo magis obstinentur, neque Parentum industriæ, aut Præsulis consilio cedat illorum constantia, non esse ulterius procedendum, sed a vexationibus cessandum, eisque libertatem omnem concedendam, ut jure suo utantur, neque his adhibitis cautelis, atque remediis amplius esse in arbitrio Parentum, Episcoporum, vel alterius quacumque auctoritate pollentis remedium adversus concupiscentiæ stimulos jure Naturali & Divino statutum, & a Sacris Canonibus commendatum petentibus denegare contra Sanctorum Pontificum Rescripta, Romani Auditorii Decisiones, Sacræ Congregationis Concilii Responsa, Præscriptum Fori Ecclesiastici, & contra communem Praxim, de qua testantur *Raynald. observat. Crimin. tom. 1. cap. 6. §. 3. num. 73. Oliva de For. Eccles. qu. 29. par. 1. a num. 20.*

Matrimonii vero libertatem extollere conabantur tùm auctoritate *Sac. Rot. Romanæ*, & signanter *decis. 517. sub num. 7. cor. Penn.*, ubi quod Parentibus Filiorum Matrimonia impedire non licet, tùm ea animadversione, quod quamvis comperti Juris sit, quod Sponsalia præsertim jurata violari non possint sine injustitiæ, atque perjurii nota, ideoque compelli debeat qui illa contraxit, ut promissionem adimpleat, adeout Judex teneatur cogere Partem renuentem, ut alteri petenti fidem juratam servet, huic præsidio esse, eique omni via consulere præceptis, minis, atque censuris, ne data fides fallatur, nihilominus ubi hæc, cæteraque Juris adjumenta non proficiant, ne lædatur Matrimonii libertas, ultra progredi nequaquam licet, neque omnimoda coactione quemquam compellere, ut
177 Matrimonium ineat *Rot. in Toletana Matrimonii 1601. cor. Just. & in Pampilonen. Sponsalium super Censuris 7. Febr. 1758. §. Confirmatione, & seqq. cor. Herrera*, ubi quod, si renuens etiam post fulminatas Censuras fuerit constans in sua negativa, potius absolvi debet, quàm cogi, & dum idem Sacrum Tribunal agnovit constantem animi deliberationem a coactione per Censuras temperandum censuit, ut in *Melitensi Sponsalium 11. Maii 1682. cor. Paulut.* = ibi = *Cum constans ejus deliberatio appareat non contrahendi hujusmodi Matrimonium, quo casu Ecclesia a coactione temperat* = necnon ab ipsa *Sac. Congr. Concilii in Bononien. Sponsalium 6. Januar. 1700.* teste *Piton. discept. Eccles. 32. num. 26.* = *fuit Archiepiscopo injunctum, ut moneret Sponsam ad implendam fidem, quod si post monitiones, suasiones, & diligentias ea adhuc renueret, ad rigorosam, & exactissimam coactionem non deveniret* = Unde inferebant, quod ne libertas Matrimonii lædatur, eodem temperamento uti, paremque moderationem servare teneatur Judex, dum agitur de impediendo indigno, vel justè a Parentibus contradicto Matrimonio Filiorumfamilias, qui monendi quidem, & pulsandi sunt, minisque deterrendi, ut si vel animi levitate, vel dolo decepti, in indigna fuerint prolapsi Sponsalia, molestiis exagitati intelligant se decipi ac resipiscant; At si obdurati in proposito permaneant, gradum sistere oporteat, & eos ulterius compellere 178
contra Matrimonii libertatem non liceat, ut advertit etiam *Rot. dec. 1285. num. 7. cor. Emerix Jun. tom. 3.* ubi, quod Judex compellere debet eum = *quem videt in sua simplicitate titubantem, secus eum, quem cognoscit constanti animo reluctantem* =

Inani tamen conatu primum prædictam praxim, de qua *Raynald. & Oliva* testantur, tantoperè commendare studebant, quatenus enim vera sit, ultra rationes eleganter adductas per *Ferdinand. de Valent. discept. 5. num. 21. & seqq.*, *de re Eccles.* aut forsan servari debet, dum solius Adolescentis commodi, seu 179
fortunarum periculum est, cui tamen cavere caritas Christiana suadet, neutiquam vero ubi Sacramenti reverentia periclitatur, atque in discrimen adducitur honor Parentibus debitus, decus prosapiæ, pax Reipublicæ, animarum salus, atque Ecclesiæ disciplina,

na, quibus gravissimis malis nunquam Ordinarium præsidio esse, aut operam conferre Justitia cogit, nèc adigit pietas, nèc religio in Deum, nec caritas in Parentes, Fratres, cæterosque Consanguineos, vel Affines urget, atque compellit.

Aut tamquam abusus, & corruptela nullatenus attendi mere-
180 tur, tùm quia quemadmodum Connubia Catholicorum cum Hæreticis, & alia quæcumque sive a Deo, sive ab Ecclesia prohibita non ad tempus impedienda sunt, sed donèc, & quousque undiquè probata non fuerit justa, & legitima causa obtinendi dispensationem, aut semper, & perpetuò, si agatur de impedimento, super quo dispensari non possit, pari modo Matrimonia Filiorum, reluctantibus Parentibus, contrahenda, tamquam a Deo, & ab eadem Ecclesia interdicta impediri non debent ad tempus, sed donèc, & quousque concludenter probata non sit legitima, & justa causa illa contrahendi etiam cum dissensu Parentum &c. aut semper, & perpetuò, quatenus justa causa deficiat, & sicuti attento Divino, aut Ecclesiastico præcepto, seu prohibitione in primo casu Matrimonii libertas non obstat, ita nèc etiam in secundo suffragatur, attenta prohibitione, quæ ab eodem fonte promanat, in quo præterea secundo casu si solum *ad tempus* prædicta Filiorum Conjugia differri deberent, præberetur ansa perjuriis, quia Parentes, ubi viderint se intercedendo, & obluctando parum proficere, ac suum justum ab Ordinario parvipendi dissensum, & *ad tempus* dumtaxat retardari Matrimonium, ad astum, ut sæpè accidit, &
181 ad illicitas artes convertunt animum. Mulierculas enim, ut diximus in *Vol. III. n. 137.*, falsosque testes componunt quidvis perjuraturos, ut probentur priora Sponsalia, aut fides alteri data, in quem scopulum etiam Viri pietate non destituti naufragium fecerunt ad remedium deterius malo recurrentes, & in hac fraude struenda non duos, vel tres, sed plurimos, hos opera, illos consilio peccare videmus; cui malo Prælati debent occurrere, id facilè assecuturi, si cum 182
appareat, quod impares, vel indignæ, vel aliis justis de causis non approbandæ sint Nuptiæ per Filios invitis Parentibus ineundæ, ab illis non *ad tempus*, sed *in perpetuum* Filios etiam *ex officio* repellant.

Tum quia Jus Divinum non *ad tempus* præcipit honorare Parentes, 183
sed *perpetuò*, nèc *ad tempus*, sed *semper* Sancta Dei Ecclesia talia Connubia *detestata est*, *atque prohibuit*, 184
ut in proposito notavit non vulgaris notæ in Ecclesiastico foro Judex, Sacrorumque Canonum Doctor *Aloys. Ricc. in decis. Cur. Archiep. Neapolit. edit. Venet.* apud *Babba anno* 1647. *decis. 24. par. 3.* = ibi = *Replicabat quidam Rmus Episcopus non posse in tali casu prohiberi simpliciter Matrimonium, sed tantum ad tempus, quod quidem videbatur probabile, sed re maturius perpensa resolvi, quod stante dicto scandalo simpliciter poterat dictum Matrimonium impediri &c. Nam omni tempore scandalum est malum, & evitandum; Et ponderandum est, quod dictum est supra de D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 8. si scandalizzavero Fratrem meum, non comedam carnem in æternum, & non dicit ad tempus aliquod determinatum, sed potius in æternum, quia in æternum vitari debet scandalum, & non ad tempus in iis, quæ sine peccato omitti possunt* = & infra = *Consensus Matrimonialis, licèt sit de substantia Matrimonii, tamen præstandus est cum debitis circumstantiis, & non cum scandalo* = cui solidissimæ ratiocinationi immensum pondus adauget animadversio, quod nedum scandali vitandi debitum, verum & impietatis non fovendæ, religionis a 185
sacrilegio defensandæ, vitandæ quoque injustitiæ in Parentes, atque cæteros Consanguineos, totiusque Reipublicæ incommodis occurrendi semper fuit, & est Judicis, Episcopi, Parochique necessitas, & obligatio, quæ quidem obligatio Judicis Ecclesiastici, animarumque Pastoris non restringitur tantum ad hoc, ne sinant scandala irrepere, nèc aliena crimina negligant impedire, verum etiam extenditur

ditur ad vitandum omninò periculum violandi debiti longè gravioris, ne scilicet Judex suo decreto, Episcopus
186 suo mandato, Parochus sua præsentia sacrilegium firmet, & confirmet impietatem, ne tandem divina, humanaque Jura conculcanti, & Sacramenta fœdare adnitenti opem afferant, atque præsidium, quæ omnia nulla temporis mora excusare valebit.

Nullatenus obstante *prætensa libertate*, ut contra Nobilem quem-
187 dam Virum indignam Fœminam in Uxorem ducere exoptantem, idque ægrè ferentibus cæteris de Familia, ac enixè instantibus, ut ad occurrendum imminenti infamiæ Matrimonium impediretur ab Emo Cardinali de latere Legato consultus respondit *Bertonius* Ferrariæ Synodalis Judex, S. Officii Consultor, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Theologus in *tract. de negligent. & omiss. par. 2. artic. 34. n. 17.* = ibi = *Ne tantum dedecus, ignominia, & injuria toti Con-*
188 *sanguinitati irrogetur, instantibus enixè Conjunctis, potuisse, ac posse, debuisse, ac debere Emum Principem impedire* (non ad tempus suspendere, sic enim non vitaretur infamia) *ne hoc Matrimonium contraheretur sui in voto* = & infra *num. 24.* = ibi =
189 *Impediendi autem, ne D. N. tàm indignum contrahat Matrimonium, certi Juris est, quod sit in Principe, in Episcopo, in Judice facultas propter justas causas, infamiam nempè totius Consanguinitatis vitandam, timorem scandalorum, quæ prudentum juditio subsequentur Cap. Cum in tua (ibi fama, & scandalo) de Sponsal. ubi gloss. in verb. scandalo Barbos. num. 6. etiamsi Sponsalia essent juramento firmata* = & deindè *num. 26.* = ibi = *Filii tenentur tùm ob bonum commune,*
190 *tùm ad evitanda gravia mala, damna, & dedecus in Familia, tale Matrimonium non contrahere, & ideò potest cogi ad id, quod jure naturali, & ex caritate tenetur* = & rursus *num. 35.* = ibi = *D. N. non habet Jus ad Nuptias adeò Conjunctis injuriosas, ubi bonum nomen Familiæ periclita-*
191 *tur, Splendor sanguinis obscuratur, nobilitas maculatur, ita ut nèc Juramentum interpositum queat adstringere ad exequenda Sponsalia, quia non potest esse vinculum iniquitatis Con. Quanto de Jurejur.* = & ulterius *num. 27.* = ibi = *Nèc libertas Naturalis læditur ex tali coactione, quia nubere in injuriam Parentum, in damnum Familiæ, totius cognationis dedecus, & animæ detrimentum est abusus libertatis, non usus* = tandem 192
scrupulum circa incontinentiæ periculum elidit *num. 29.* = ibi = *Quia libertas potest exerceri cum alia Muliere de toto Mundo ad text. in l. Cum ita legatum ff. de condit. & demonstrat.* = & concludit, quod prætensum, ut supra, Matrimonium non habuit effectum. Cui addimus insignem in Romana Curia Advocatum *Piton. discept. Eccles. 52. num. 83.* ubi apertè distinguit inter moram ad tempus, & impedimentum, quod numquam cesset = ibi = *Suasi, ut dignaretur injungere Parocho, quod suspenderet per aliquod temporis spatium denunciationes, & Matrimonium interim impediret, donec justificarentur Causæ, quas ego justificatas dicebam sufficere ad impediendam hujusmodi Matrimonium* = 193
194

Non ambigimus autem, quod nemini liceat cogere aliquem ad ducendam Uxorem, ut statum Conjugalem amplectatur, seù alterum ad ingrediendam Religionem, aut Sacros Ordines suscipiendos, ut in statu Cœlibi permaneat, nam status electionem unicuique liberam esse neminem latet, 195
nèc ab alieno arbitrio, & voluntate pendere debet, nèc etiam in præsenti controvertimus, quod cum Matrimonium onus gravissimum, & quasi perpetua servitus habeatur, rationi omninò consentaneum sit, ut nonnisi secundum animi propensionem copuletur, itaut mutuo amore sociati Conjuges non ægrè ferant indissolubilis societatis incommoda, iniquum enim esset liberum hominem adigere, ut alterius arbitrio invisæ sibi Fœminæ tàm arcto vinculo alligaretur cum periculo infelicis exitus, & perennium malorum, quæ sæpe sæpius cum discrimine 196
non minus æternæ salutis, quam præsentis vitæ ex coactis Nuptiis oriuntur,

tur, ac sine remedii spe perpetuantur *Add. ad Rot. decis.*431. *num.*72. *par.*4. *tom.*2. *recen.* = ibi = *Nam timet summoperè, tamquam pia Mater, Ecclesia Sancta infaustos eventus coactarum Nuptiarum &c. Quæ enim mala ex coactis Nuptiis non sequuntur? Quæ delicta non perpetrantur? Quæ scandala non oriuntur? Hinc perpetua dissidia, &*
197 *livores inter Conjuges; Supercilia inter eorum Affines, hinc Maritus insalutata Uxore discedit, hinc adulteria, hinc, ut sæpe accidit, machinatio Vitæ inter ipsos Conjuges* = Quamvis igitur Sponsus per Sponsalia de futuro præsertim jurata obligatus remaneat ad Matrimonium contrahendum, ad quod etiam judicialiter, & per realem, & persona-
198 lem districtionem, quinimo etiam aliquando per Censuras (justa causa tamen non excusante) compelli possit *ad Text. in Cap. Ex literis* 10. *de Sponsal. Adden. ad dict. Rot. decis.*431. *num.*61. *part.*4. *tom.*2. *recen. Rot. coram Buratt. decis.*311. ibique *Adden. num.*5. *& coram Cavaler. decis.* 415. *num.*1. *& decis.*421. *num.*2., nihilominus si nonnunquam abstinet Ecclesia ab ulteriori coactione, hæc tamen mitis disciplina, qua eadem utitur Ecclesia in compellendis Sponsis, ut promissam fidem impleant, ortum
199 non habet ex scrupulo, seù periculo naturalem lædendi libertatem, quia justè coactus in libertate, quam per voluntariam promissionem jam amisit, vim, & coactionem non patitur *Rot. in Hispalen. Matrimonii* 21. *Febr.* 1718. §. *Quantumvis cor. Foscar.*, nèc eo tendit, ut perfidiæ, & perjurio aditus aperiatur, cui potius hortationibus, minis, & coactionibus occurrit, sed ab iis tandem abstinet, eum, perpensis omnibus circumstantiis, animadvertit, si ulterius urgeat, fore ut vel fictus adhibeatur consensus, vel omnino coactus, quem odia, rixæque inter Conjuges, ac infelices exitus consequantur *Card. de Luc. de Dot. disc.*79. *num.*8. = ibi = *Licet ad Matrimonium utriusque Conjugis libera voluntas requiratur, itaut uno ipsorum, non obstantibus Judicis præceptis, & districtionibus, indurato animo perseverante in voluntate negativa, Ecclesia abstineat à præcisa coactione ex deductis per &c. nihilominus id provenit magis ab Ecclesiæ pru-* 200
denti consilio ob experimentum malorum ex coactis Matrimoniis resultantium, quam ex libera voluntate ejus, qui per contractum ad coactionem se obligavit = At hoc longè distat à casu nostro, si namque Adolescentem à certis Nuptiis dumtaxat arceat Judex, vel Episcopus, evitantur potius, non 201
subsecuntur jurgia, inter Virum, & Mulierem, adulteria, odia domestica, aliaque præmissa scandala, quæ sine ulla prorsus hæsitatione ex Matrimonio non contracto consequi, vel timeri nequeunt, nec Adolescens in hoc casu conqueri potest, quod ad perpetuam indissolubilem adigatur servitutem erga Fœminam, quam ducere prohibetur.

Tota igitur æquivocatio nascitur ex discrepantia unius casus ab altero, hoc est à Judice non compellente ad servandam Sponsalium juratam fidem, 202
& ab Ordinario, qui jubet, & à Parocho, qui præsentia firmat indignas, ac propterea sacrilegas Nuptias à Filiis contrahendas; In primo namque casu Judex nulli se immiscet crimini, nulli se ingerit facinori, nihil agit, & dumtaxat ab agendo se abstinet, nèc ideo culpandus, quia fidem violari sinat, aut Jusjurandum frangi non 203
impediat, justæ nam suppetunt superius examinatæ rationes; At vero Ordinarius dùm jungendi Nuptias Filiis licentiam tribuit, & Parocho, ut assistat, suppeditat facultatem, nulla adest ratio, cur Sacrilegii particeps, socius, & adjutor, imo & auctor criminis non habeatur, nèc ulla ratio 204
urget, cur potiori Jure non sit culpandus sacrilegii, impietatis, cæterorumque criminum, quæ nubentes admittunt, Parochus, qui nisi assistat, suaque præsentia robur addat, & firmitatem, Contrahentes Matrimonium inire non possunt; undè pernecessè sequitur, quod injuria, & infamia, quæ dumtaxat ex Matrimonio opera Præsulis, & Parochi *rato*, nunquam autem ex Matrimonio antecedenter

per

per Filium in Sponsalibus *promisso* in
Parentes, ac Familiam redundant,
merito ipsis Pastoribus sint impu-
tandæ, quorum opera factum est, ut
Matrimonium à Filio tantummodò
promissum, nullamque infamiam ex
sola promissione producens, cum in-
famia deindè, dedecore, scandalo,
& injuria in Parentes firmum, ratum-
que perseveret. Si etenim Ordinarius
jubet, dici non potest, quod non
consentiat, ut Matrimonium tantope-
rè fœdetur, Sancta dentur canibus,
205 Filii Parentes inhonorent, totiusque
prosapiæ minuant honestatem, & si
Parochus talia molientibus præsto est,
atque, ne irritum fiat infaustum opus,
præsentiam sui facit, & Sacerdotii au-
ctoritate confirmat, nulla adest ra-
tionabilis causa, cur ipse, & Ordina-
rius non impietatis, non pollutæ Re-
ligionis, non injustitiæ non modo con-
scii, & participes, verum etiam au-
ctores non accusentur, adeout si hoc
non esset Proximi peccato cooperari,
difficilè prorsus erit, ut dictæ coope-
rationis reus quispiam efficiatur.

Ex eadem discrepantia oritur
etiam æquivocatio quoad Jura liber-
tatis nemini adimendæ in ducenda
206 Uxore, quam velit; distingui nam
debet illa vis, sive coactio, qua quis
injustè adigitur, ut specialiter uni
Fœminæ copuletur, vel ut à quocum-
que Matrimonio arceatur, ab ea, qua
ex justa, & rationabili causa unam,
vel plures aliquas non in genere, sed
in specie ducere prohibetur; etenim
in primo casu utique libertas impedi-
tur, nam uni nubere est a cæteris
omnibus Nuptiis nubentem exclude-
re, at ab aliqua ducenda retrahere,
207 ex innumeris aliis unam ducendi ne-
que tollit, neque minuit arbitrium
*leg. Cum ita legatum sit 62. ff. de Con-
dit. & Demonstrat.* = ibi = *Placuit &c.
nèc videri tali conditione viduitatem
injunctam, cum alii cuilibet satis*
208 *commodè possit nubere &c. quæ enim
Titio nubere jubetur, cæteris omni-
bus nubere prohibetur* = quod optimè
expendit *Berton. de negligent. &
omiss. dicta par. 2. artic. 34. num. 36.*
= ibi = *Minus est cogere ad non con-
trahendum cum una, quam ad con-
trahendum cum certa, quia contra-
hendo coactè cum certa alligatur per-
petuæ servituti, quod est nimis onero-
sum, ac per hoc prohibitum in Tri-
dent. sess. 24. cap. 9. de reform. Matrim.* 209
*addita in cogentem anathematis pœna;
non sic in prohibentem cum una con-
trahere, quia adhuc remanet exone-
ratus, & liber cum aliis, qui prohi-
betur cum illa* =

Et quidem huc respexit *Triden-
tina Synodus sess. 24. d. cap. 9. de refor-
mat. Matrim.* ubi illam firmat regu-
lam = *Maximè nefarium esse Matrimo-
nii libertatem violare* = Siquidem ibi
ad consulendum libertati Matrimonii,
eorum dumtaxat meminit, qui ad
certum Matrimonium invitos Viros, 210
vel Mulieres maximè divites, & spem
magnæ hæreditatis habentes minis,
pœnisque compellunt. Hoc sub ana-
themate Concilium vetat, quia profe-
ctò ita libertas violatur, nèc ob aliam
causam id fieret, nisi ex terreno affe-
ctu, & cœca divitiarum cupidine.
Cæterum nihil ibi decernit de Paren-
tibus, nihil de Ecclesiastica potesta-
te, nihil de iis, qui non cogunt ad 211
certum Conjugium, sed ab uno dum-
taxat prohibent, maximè si appareat
indignum, nihilque demum de impe-
dimento ex justa causa opposito ibi sta-
tuit juxta communem Doctorum Sen-
tentiam, de qua *Guttierez quæst. Ca-
nonic. lib. 1. cap. 20. num. 32. Boss. de
contract. Matrim. cap. 11. §. 3. num. 30.*
= ibi = *Excommunicationem Tridenti-
ni non incurrere Judices, qui ad in-
stantiam Parentum includunt alicubi* 212
*Filios, ut cum ratione causam exami-
nent &c.* = & pariter *Bonaccin. Theol.
Moral. tom. 1. tit. de iis, quæ perti-
nent ad Matrim. quæst. 4. punct. 17.
sub num. 26.* = ibi = *Neque obstat De-
cretum Tridentini, ubi videtur injun-
xisse excommunicationem cogentibus,
& prohibentibus Matrimonium. Ra-
tio est, quia Concilium loquitur de
cogentibus ad Matrimonium, non ve-* 213
*ro de prohibentibus, ut multi Docto-
res testantur &c. tùm quia etiamsi
admitteremus Concilium loqui de im-
pedientibus, intelligendum esset de
impedientibus absque justa causa* = ita-
que post plerosque, quos congerit,

adnotavit *Barbos. sup. Concil. Trident.*
Sess.24. de reform. Matrim. d. cap. 9.
num.9. Perez de Matrim. disput. 17.
Sess.17. num. 4. Rebell. de obligat.
Just. par.2. lib.3. quæst.11. num.1.
& 2. Dicastillo tom.3. de Sacram.
tract.10. de Matrim. disp. 4. dubit.14.
num. 143. Gratian. discept. forens.
cap.5. num.10. tom.1. = ibi = *Libertas*
Matrimonii licet non possit impediri in
214 *totum, tamen potest modificari ratione*
locorum, personarum, & temporis =
& huc quoque spectat, quod commu-
niter asserunt Juris Interpretes de le-
gato relicto sub conditione, ne Lega-
tarius alicui, vel aliquibus nubat, de
215 quo præ cæteris *Gratian. discept. fo-*
rens. cap.213. num.25. tom.2. = ibi =
Neque est dubitandum de validitate
Legati, cum illud valeat, quamvis
prohibeantur Nuptiæ cum aliquo,
dummodo alteri possit nubere, cum
ex hoc non impediatur libertas Ma-
trimonii =

Præter quam quod, si admittere-
tur, quod *Concilium d. cap.9.* statue-
ret, quod nemini liceret *prohibere*
Matrimonium propter illius omnimo-
dam libertatem, statim emergeret
contradictio inter hunc locum, & al-
terum in *cap.1. Sess.24. de reformat.*
Matrim. ubi apertissimè testatur, quod
Matrimonia Filiorumfamilias invitis
216 Parentibus contracta *Sancta Dei Ec-*
clesia semper detestata est, atque PRO-
HIBUIT, si etenim *ex d. cap.9.* nemini
liceret hæc Filioru m Connubia prohi-
bere, ne Matrimonii libertas læsa re-
maneat, *Concilium* sibi sine dubio con-
tradixisset, cum *in d. cap.1.*, nulla fa-
cta mentione de Matrimonii liberta-
te, eaque non obstante, absolutè insi-
mul dixit, quod hæc Matrimonia ab
Ecclesia *semper fuere prohibita*; ad
quam contradictionem evitandam, &
ne dicatur, quod *Tridentinum* legem
ediderit adversus expressam Ecclesiæ
prohibitionem, quod esset absurdum,
utique concludendum venit, quod in
217 *in d. cap.9. Sess.24. de reform. Ma-*
trim. loquatur, prout expressè lo-
quitur de iis, qui *cogunt* aliquem ad
certum Matrimonium cum *certa* per-
sona per vim ineundum, quod nullo
modo fieri potest; in *præcit.* autem

cap.1. agat, prout agit expressè de
impediendis Nuptiis à Filiisfamilias
injussu Parentum contrahendis, quod 218
non est prohibitum, imo ibidem ex-
pressè concessum, quia libertatem
Matrimonii de consensu Parentum cum
alia Fœmina Filio benevisa ad suum
placitum ineundi nullatenus ita vio-
lari satis superque dignoscitur; aliud
est enim compellere quempiam ad
unam personam in specie desponsan-
dam, hoc est enim restringere liber-
tatem, & cohibere ne cum quacum-
que alia æqualis conditionis sibi bene
visa Matrimonium contrahat, longè
aliud est prohibere, ne Filius, vel
Filia eam tantummodo Fœminam, seù
Virum Parentibus invisos desponsare
valeant, id namque est relinquere Ho-
minem in sua libertate, eique per-
mittere, quod cum quacumque alia
Fœmina, seù Viro æqualis conditio-
nis, ac Parentibus non invisis liberè
copuletur.

Nos ergo loquimur dumtaxat de
impediendo, seù prohibendo Co-
njugio cum Muliere ex justa causa
Parentibus invisa, seù indigna (idem-
que dicendum cum indigno Viro) ob
vitandam Parentum injuriam, ac res-
pectivè eorumdem, & Consanguineo-
rum infamiam, dissidia, ac cætera,
quæ in dies oriri mala, & scandala
etiam inter Conjuges ex his Connu-
biis experientia docemur; facta in
cæteris libera facultate Filiis quamli-
bet ducendi Fœminam æqualis condi-
tionis ipsis bene visam, circa quam
Parentes nullatenus justè dissentire
valeant, in qua sanè tàm justa, tàm
ipsismet Filiis proficua limitatione, qua
non violatur libertas, sed servatur,
atque perficitur, ut advertunt Theo- 219
logi, & Juris Interpretes allegati *in*
nostro Vot.I. num. 140. & seqq., &
Vot.III. num.148. qua Filiorumfami-
lias conscientiæ, & æternæ saluti pros-
picitur, & contra quam nullum hacte-
nus vidimus *textum*, capere non va-
lemus quænam violentia subsit, quodve
libertatis vel minimum præjudicium,
ut animadvertit in puncto *Menoch. de* 220
præsumpt. lib.4. præsumpt. 189. n.82.
& seqq. = ibi = *Non equidem Matri-*
monium impeditur, quia si uni nubere
non

non potest, *alteri potest* = & infra *num.*84. = ibi = *Non impedit Matri-*
221 *monii libertatem*, *quia*, *etsi nubere probibetur indigno*, *potest tamen nubere digno* = consonat *Gratian.* post *Felin. discept. forens. d. cap.*213.*n.*25. *tom.*2. = ibi = *Quamvis probibeantur Nuptiæ cum aliquo*, *dummodo alteri*
222 *possit nubere*, *ex hoc non impeditur libertas Matrimonii* =

Neque enim ad libertatem pro Matrimonio requisitam necessaria est effrenata quædam licentia, per quam
223 contemnere liceat honestatem, caritatem, pietatem, & justitiam, legesque Divinas, & Humanas, sed modum, & mensuram in Matrimoniis cernimus definitam in sacris Literis, in Ecclesiæ Canonibus, & in Summorum Pontificum Decretis, adeo ut non prohibeatur Pater ex justa causa im-
224 pedire Matrimonium Filio etiam per carcerationem, cujus voluntati Prælatus adhærere tenetur, quia nec Concilii leges spernuntur, nec impeditur Matrimonii libertas, sed perficitur, dum Pater obstat, ne Filius malè nubat, nam libertas ad malum est po-
225 tius imperfectio, quam effectus libertatis *Cephal. cons.*421.*lib.*3. *Paschal. de patr. potest. par.* 2. *cap.*5. *num.* 28. *& seqq.* ubi plures allegat *Capiblanc. de Baronib. lib.*2. *pragm.* 9. *num.* 26. *Pignatell. consult.* 11. *num.*7. *& seqq. tom.*4. *De Marin. lib.* 2. *resolut. quotid. cap.*132. *num.* 6. *Basil. Pont. de Matrim. lib.*2. *cap.*1. §. 2. *Jo: de Chapeuville de mod. ministr. Sacram. cap.*6. *quæst.*19. maximè quando nulla sup-
226 petit causa impellens Patrem, ut Filii Matrimonio consentiat, Parochum, ut eidem assistat, Ordinarium ut illi faveat, quin nèc ipsum Contrahentem, ut illud ineat, nisi ut suam effrenatam libidinem expleat; Imo tot vigent motiva a Matrimonio, dissentiente Patre, contrahendo, seu ab indignis Nuptiis retrahentia, ut possit absque hæsitatione affirmari Filium in Causa obtinuisse victoriam statim ac
227 Paterno obtemperavit præcepto, seu liberationem est assecutus ab indigno Conjugio, cujus quamcitò ipse se pœnitere inutiliter debuisset; Etenim cum, ut plurimum, hujusmodi Matrimonia contrahantur ab iis, qui ob amorem, libidinemque ex lenociniis, blanditiis, vel maleficiis accensam non sunt in recto sensu, dum faciunt id, a quo alii sanæ mentis abhorrent, cum tali propterea prohibitione potest induci deinde ad contrahendum Matrimonium Parentibus non invisum, neque Familiæ indecorum, sed dignum, & æquale, in recto sensu, justoque judicio 228
absque eo, quod ita dicatur impedita Matrimonii libertas *Capiblanc. de Baron. lib.* 2. *dicta pragm.* 9. *num* 10. *Zaul. ad Stat. Favent. lib.* 4. *rubr.* 26. *num.*42.

Huic autem veritati nullatenus adversatur *Sac. Rot. Romana in dicta decis.* 517. *sub num.* 7. *cor. Penn.* ibi enim refert objectum in ea Causa excitatum, quod Patris dissensus retardare nequiret Filii Matrimonium, quod inscio eodem Patre contrahere promiserat, quia Patris consensus non est necessarius, quod & nos quoad illius validitatem admittimus, non autem, ut sit licitum juxta præmissam distinctionem in nostro *Vot. I. num.* 31. 32. 125. *& seqq. & num.*131. 156 *& seqq. & num.*199. *& Vot. II. num* 189. *& Vot. III. num.*86. *& Vot. IV. n.* 16. de qua distinctione nullum verbum facit prædicta *Decisio*, sed hoc articulo sine examine, & discussione relicto, ob timorem infelicis exitus resolvit idem Matrimonium non esse ineundum, nulla facta nec etiam expressa mentione de libertate Matrimonii, ob quam Pater ex justis causis Filii Nuptias impedire nequeat, quod utique fuisset absurdum, & omnino contrarium menti *Sac. Concil. Trident.*, *& Sacræ Congregationis* illius Interpreti, quæ, non attenta prædicta libertate, justum Patris dissensum obstare, quominus Filius conjungi posset cum Fœmina, cum qua inscio, & invito Patre Sponsalia contraxerat, etiam de recenti apertissimè declaravit *in Majoricen. Sponsalium* 24. *Augusti* 1723. *& in Mediolanen. Sponsalium* 13. *Julii* 1725. quodque per statutum prohibens Civibus, ne certo generi Fœminarum copulentur, non impediatur Matrimonii libertas novissimè rescripsit in *Maceraten.* 17. *Januar.* 1761.

 Ita

Ita namque non impedita Filio, sed libera manet status electio, libe-
229 rumque cum Fœmina æqualis conditionis, nec Parentibus invisa Conjugium, & eo modo, quo si Puella ingredi velit Monasterium, ibique Habitum Religionis suscipere, ubi ea Dotis summa requiritur, quam Pater nisi maximo cum incommodo, detrimento, & depauperatione Familiæ solvere nequit, idem Pater ad eam solvendam non tenetur, & potest impedire, ne ibi Filia Habitum Religionis assumat, data tamen ei libertate, ut in alio Monasterio Dotem suo statui congruam exigenti vitam Cœlibem amplectatur, absque eo, quod
230 in hoc casu dici possit, quod Filiæ libertatem impediat; aut eo modo, quo Pater Filiæ libertatem non impedit, cum dissentit; quod ipsa Matrimonio copuletur cum Viro ingentem petente Dotem, nonnisi solvendam cum prædicto Familiæ præjudicio, dummodo cum alio Viro, qui congrua, respectu illius Patrimonii, Dote sit contentus, eidem
231 Filiæ nuptias inire non vetet, ita Filii libertatem nequaquam impedit, quoties expresse dissentit, quod Filius contrahat Matrimonium cum Fœmina sibi invisa, multoque minus cum in-
232 digna, quod contrahi minime valet nisi maximo cum dedecore, dispendio, & detrimento honoris, & honestatis propriæ Familiæ, quod æqualiter, imo potiori jure Pater facere potest, cum non agatur de solo inte-
233 resse pecuniario, sed de obscuranda totius Familiæ fama, & honestate, quam cuilibet interesse, imo sanguini, & vitæ Viri Nobiles, & honesti esse anteferendam existimant *Roc. in Amerina Sponsalium 22. Novembris 1737. §. Plerumque coram Eminentissimo Calcagnin.* modo tamen Filius se conjungere cum alia Fœmina æqualis conditionis non prohibeatur.

Porrò, præscindendo etiam a Juribus, & auctoritatibus hucusque adductis, & ab innumeris aliis, quæ adduci possent, res transit in evidentiam, si ad inquirendam tantummodò veritatem sedulò animadvertatur,
234 quod hoc libertatis subterfugium est potius *Error communis Vulgi*, qui *tribuit Filiofamilias Jus, quod ei non competit; Supponit in Superiore Ecclesiastico, & in Ecclesia facultatem quam non habent, nec ea uti possunt; & detrahit Deo, & Ecclesiæ supremam super Homines potestatem.*

Quod autem *Filiofamilias hoc
Jus non competat*, facilè evincitur, si 235
animadvertatur, quod ea libertas, quæ illi sine ulla limitatione tribuitur, ortum ducit a libero arbitrio; Quamobrem, si non obstante libero arbitrio, non potest sine gravi peccato contemnere *Divina præcepta* de non adulterando, de non occidendo &c. nec *Ecclesiastica* de audiendo Sacrum diebus Festis, de jejunando, & abstinendo a cibis vetitis diebus præscriptis, de non celebrandis prohibito tempore Nuptiis &c., ita nullum Jus habet ducendi Uxorem contra justam Parentum voluntatem cum contemptu *IV. præcepti Decalogi* de non dehonorando Parentes, & contra *Ecclesiæ vetitum*, quæ hujusmodi Connubia ex justissimis causis *semper detestata est, atque prohibuit* non obstante libero arbitrio, quod non liberat a peccato Divina, atque Ecclesiastica præcepta contemnentem, ad quod conferunt animadversa per *D. Augustin. Epistol.* 157. = ibi = *Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas?* = & pariter *tract. 41. in Joann. num. 8.* = ibi = *Non dicas liber sum, faciam quod volo; Nemo prohibeat a voluntate mea, si liber sum; Noli libertate abuti ad libere peccandum. Erit voluntas tua libera, si eris pia* =

Supponit vero prædictus Error *in Superiore Ecclesiastico, & in Ecclesia facultatem, quam non habent, nec
ea uti possunt*, certissimum enim est 236
Ecclesiam lege Divina, Naturali, & Canonica gubernari oportere teste D. Augustino *Can. Omnia talia distinct.* 12. Quatenus igitur contrahere Matrimonium cum consensu Parentum est præceptum Divinum, nec etiam Papa super eo dispensare valet *Can. Sunt quidam 25. quæst. 1.* & alibi pas-
sim, & quatenus est peccatum tam 237
attento Divino, quam Ecclesiastico præ-

238 præcepto, nullus Superior Ecclesiasticus (qui non sit de iis, de quibus *S. Gregorius Papa lib. 3. cap. 5. in 1. Reg. cap. 10.* testatur = *Plerumque culmen prælationis accipiunt, qui in caritate Dei, & proximi perfecti non sunt* =) concedere valet licentiam perpetrandi peccata contra Jus Naturale, Divinum, & Ecclesiasticum, tùm quia licet cæteris polleret virtutibus, *factus* tamen *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* juxta *Apost. 1. ad Corinth. cap. 13. vers. 1.* deficeret in
239 amore erga Deum, sicuti enim is Filius Patrem non amaret, qui audiens adesse Vitæ Patris insidiantem, totis viribus illius necem non impediret, sed in illam potius conspiraret, ita si Judex, aut Parochus, vel Episcopus audiens Patrem Cœlestem fortius, quam Patrem naturalem amandum lethali vulneri expositum, non solum illius defensionem viriliter non assumit, sed potius illius offensæ cooperatur, hic profecto non amat, sed odit; tùm quia deficeret in suo munere,
240 quia debet Episcopus ad exemplum Divini Magistri vocare peccatores ad pœnitentiam, non autem eis dare manus, & præbere peccandi licentiam, teneturque curare, ut Sacramenta dignis, non vero notoriis peccatoribus administrentur, tùm demum
241 quia deficeret in amore erga proximum, nam concedendo Filiis prædictam licentiam, non eos duceret ad viam salutis, sed ad damnationem, propter peccata cum ejus venia commissa, quæ eos omnino reos gehennæ constituunt, & ipse simul æternam cum eis amitteret beatitudinem, quamvis in aliis bonis operibus non deficeret, non habet enim aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis *S. Gregor. Homil. 27. in Joan.* Insuper quemadmodum Epis-
242 copus super aliis impedimentis ab Ecclesia circa Matrimonia statutis sine peccato dispensare non valet, ita nèc etiam super hoc impedimento tam ex *Naturali, & Divino*, quam *ex Canonico præcepto* dispensare potest. Præterea urget & illud: *quod tibi non vis alteri ne feceris*: Si ergo Judex, vel Episcopus ægreferret, quod alicui

suo Consanguineo per alterum Judicem, sive Episcopum indebita concederetur licentia ducendi Uxorem indignam, reluctantibus justè Parentibus, 243
cum dedecore suæ Familiæ, nec ipsi talem concedere debent licentiam in alterius Familiæ dedecus, & infamiam, ne alias ipsi quoquè, seu illorum Descendentes aliquandò, ut sæpè accidit, Deo permittente, in pœnam peccati per eos ita commissi, huic etiam temporali infortunio subjaceant. Ulterius nullum Canonem, legem nullam, nullum Juris Interpretem hactenus invenire potuimus nèc unquam invenire fas erit, liberam potestatem, seu privilegium concedentem Judicibus, vel Episcopis, aut Parochis 244
eximendi injustè Filios ab obedientia Parentum, excitandi, seu coadjuvandi inter Genitores, & liberos dissensiones, & odia, minusque honestas infamandi sine peccato familias absque spe debitæ restitutionis, ut faveant Sacramentum sacrilegè suscipienti potius, quàm Parentibus rationabiliter reluctantibus, & Juris Divini, & humani assistentiam habentibus, quasi quod in Ordinariorum libera facultate positum sit facere de illicito licitum, de peccato non peccatum, eisque permissum, ut non amplius uti Angeli pacis, sed tamquam pacis perturbatores, aut tamquam absoluti Domini famæ, & honoris suorum Subditorum, in spretum Humanarum, Divinarumque legum, absque ullo scrupulo sublata pace familiis, sublatisque Filiis ab obedientia Parentum in re tanti momenti integras honestissimas, nobilesve Familias hujusmodi facto vel in discordiam adducere, vel infamare valeant, quamvis nedum facto, sed nèc etiam verbis *quemquam de membris suis* illis *discerpere* liceat, prout ab infallibili Christi doctrina edocemur, ac juxtà illam nos monet *S. Isidorus lib. 2. Offic. ad S. Fulgent. cap. 5.* Tandem si non licet in judicando sequi opinio- 245
nem minus probabilem, quia est *secunda* Propositio damnata *a Ven. Innoc. XI. sub die 2. Martii 1676.*, facilè quisque concipere potest quodnam grave facinus admitterent Judex, Parochus, & Ordinarius, qui opinioni unius,

unius, vel alterius Doctoris solummodò, quatenus adsint, innixi spernerent in hac materia Matrimonii Filiorumfamilias opinionem certam, utpotè a Summis Pontificibus, a Conciliis, a Synodis, & ab ingenti Canonistarum, quin & Juris utriusque Interpretum, atque Theologorum caterva approbatam, amplexam, & amplectendam tamquam in lege Divina, & humana fundatam.

Detrahit demum idem error *Deo,*
246 *& Ecclesiæ supremam super Homines potestatem*, quia suadere studet, quod attento libero arbitrio, seu prætensa scandalosa libertate, prohiberi non possit Filiosfamilias Matrimonium cum quacumque Fœmina sibi benevisa, justè quoque Parentibus reluctantibus, at quemadmodum hæc asserta libertas obesse minimè potuit, quin ex *præcepto* sive *Divino*, sive *Ecclesiastico* ab Ecclesia prohiberentur eaMatrimonia, quæ irrita sunt, vel illicita propter impedimenta sive impedientia, sive dirimentia, ita eadem prætensa libertate non obstante, & Supremus Legislator in *IV. Decalogi præcepto*, & Ecclesia huic Divino præcepto obsequendo *semper* prohibere potuit, ne Matrimonia a Filiisfamilias, invitis juste Parentibus contraherentur, prout
247 de facto *semper detestata est, atque prohibuit*, ejusque prohibitioni, qui Catholicam profitentur Religionem omninò sub peccati pœna parere tenentur, nèc Catholicus esse potest, qui
248 opinetur, quod contemnere, nèc servare sive Divina, sive Ecclesiastica præcepta non sit peccatum, cui peccato nemo pariter, qui sit Catholicus absque labe peccati cooperari potest.

Nèque ad impiè denique demonstrandum, quod aliquando tàm *Summus Pontifex*, quàm *Sacræ Congregationes* absque metu culpæ lethalis hujusmodi Connubia contrahendi, invitis justè Parentibus, licentiam præbuerint, sufficit allegare exempla relata per *Ursay. discept. Eccles. par.2. tom.7. discept.14.* ad opportunitatem Causæ, & non pro veritate scribentem, nam illud, de quo loquitur *num.18.*
249 non est applicabile; Cum etenim Puella Nobilis Assisiensis, fortiter contradicente Patre, Matrimonium inire vellet cum quodam Juvene, de mandato *Sacræ Congregationis Episc. & Regular.* de uno ad aliud Monasterium translata fuit, ubi ejus exploraretur voluntas, cumque in suo proposito constantissimè perseverasset, jam in ætate annorum 25. constituta fuisset, & Sponsus ortum duceret ab una ex Familiis magis distinctis Perusinæ Civitatis, *Sac. Congregatio* censuit disparilitatem futuri Conjugii impeditivam inter Sponsos non intercedere, ideoque Matrimonium esse ineundum non obstante dissensu Patris Puellæ, utpotè *irrationabiliter inviti*, ex quo proindè inferri nequit, quod sacrum illud Tribunal indigna Conjugia etiam contradicentibus Parentibus approbare consueverit.

Multòque minus illius intentum coadjuvare potest alterum exemplum 250
de Filiosfamilias *ab eodem Ursoya* defenso, qui, invito Patre, Matrimonium contrahere tentabat cum inæquali Muliere, cum qua jam Sponsalia præcesserant, ut ipse asserit *n.1.* = ibi = *contractis Sponsalibus* = & inferius sub *num.105.* = ibi = *Præcipuè, quia agitur de Matrimonio contrahendo cum Muliere, cum qua præcesserunt Sponsalia* = Verum est enim, prout ab ipso narratur, quod Sponsus neque a *Papa* primum, neque deinde ab *Emo Cardin. Vicario*, neque demum a *Sac. Congregat. Concilii* potuerit optatam ad id obtinere licentiam, sed non subsistit in facto, quod eam nihilominus tandem obtinuisset, nisi, ut *num.107.* subjungit = *Multarum dilationum tædio affectus, propter quas Causa adhuc durabat, Bononiam se contulisset* = non solum quia ipsi nota esse non poterat futura resolutio per Summum Pontificem capienda, quam potius Naturali, Divino, atque Canonico Juri constantissimè conformem credere debuisset; sed etiam quia in facto veritas est, quod Sponsus ab Urbe discessit non tædio affectus, sed pudore perculsus, quia novo habito ad Papam recursu, cum hac ultima vice fuerit acriter ab eo præter expectationem admonitus, ab

ab errore resipuit, & præ verecundia Romæ Civitatem deseruit.

Dum vero *num.9.* tribuit *Card. Pallavicino* sententiam ab ejusdem
251 doctrina satis alienam = ibi = *Egregiè observat Card. Pallavicina Histor. Concil. lib. 22. cap. 4. bis verbis: E però lo Spirito Santo dice universalmente: Se alcuno non si contiene, pigli Consorte. Non dice Egli, pigli Consorte, se i Genitori gliel' consentono* = laborat in falso supposito; *Pallavicinus* enim refert hæc verba utpotè prolata ab Episcopo Iprensi in suo particulari Voto, quo æqualiter contradixit prohibitioni Matrimoniorum Clandestinorum, & Filiorumfamilias, quodque a Tridentini Patribus meritò fuit rejectum.

252 Nihil etiam obstat resolutio *Sac. Congregationis Concilii diei 5. Augusti 1712.* ab eo relata *n. 5.* per quam declaratum extitit validum Matrimonium *jam contractum* contradicente Patre cum ea additione = *& fiat aliqua publica demonstratio modorum irregularium, qui a Patre Sponsi erga eumdem adhibiti fuerunt* = quia eo casu Matrimonium jam initum erat, & quidem inter æquales, hoc est inter Sponsum Stannarii Filium, & Sponsam Filiam Barbitonsoris, non disputabatur an esset licitum, sed an validum, de cujus validitate tamen non erat dubitandum, etiamsi adfuisset aliqua disparitas, quia fuerat jam contractum, ideòque, non obstante contradictione Patris, amplius dissolvi non poterat, cumque ageretur de Matrimonio inter æquales, nèc Pater ullam justam causam haberet se opponendi etiam antequam contraheretur, multòque minus postquam fuerat in facie Ecclesiæ celebratum, licitum ei proindè non fuit nèc illo contracto, nèc ante modis irregularibus illud impedire contra libertatem Matrimonii, quæ competit Filio, qui eligere velit statum Conjugalem, dummodò in ejus electione nullam inferat Parentibus, seu Familiæ injuriam, ignominiam, turpitudinem, aut aliud quodcumque notabile detrimentum, seu Fœminam alia quacumque de causa Parentibus rationabiliter invisam desponsare contendat, hic enim est casus, in quo, petito Parentum consilio, illud sequi Filius non tenetur, si irrationabiliter obsistent, undè ex hoc non infertur, nèc inferri potest, quod si Pater contradicat non Matrimonio Filii validè jam contracto, sed illius Sponsalibus, neque modis irregularibus, & injustè se opponat, sed legitimis modis justum recursum habeat ad Judicem competentem, sit puniendus, quin potius ejus instantiæ annuendum venit, & annuendum esse satis ostendit eadem *Sac. Congregat. Concil. in d. Majoricen. Sponsalium 24. Augusti 1723. & in d. Mediolanen. Sponsalium 13. Julii 1725.*

Ejusdem irrelevantiæ sunt exempla, Decisiones, & auctoritates, quæ a *num. 42.* usque ad *n. 50.* ab eodem *Ursaya* allegantur ad probandum, quod indigna Conjugia sunt valida, ejusdemque farinæ sunt aliæ rationes, quæ per ipsum adducuntur, quæque uti inutiles non recensemus, quia major pars earumdem nil aliud probant, quam Matrimonia a Filiis contracta, invitis Parentibus, totum robur validitatis habent, cui assertioni post *Concilii* declarationem nemo est qui contradicat, ideoque hujusmodi rationes, argumenta, & Jura ad probandum id, quod non est in quæstione, ab eo poterant consultò omitti, cum ad suum obtinendum intentum probare tantummodò debuisset, non quod prædicta Conjugia essent valida, 253
sed quod essent licita, non autem illicita, & peccaminosa, quodque ab Ordinario neque contracta, neque contrahenda impediri possent.

Sed tantum abest, quod hoc probaverit, quin potius, præter intentionem, nostræ favet sententiæ, dum *num. 9. & 10.* extollit, ut par est, auctoritatem *Sac. Concilii Tridentini*, & utilitatem, quam attulit Ecclesiæ, & deinde *num. 11.* subdit = ibi = *In illo sess. 24. de refor. Matrim. cap. 1. eodem tempore canonizzantur pro validis* 254
Matrimonia a Filiisfamilias absque Patris consensu contracta, & rotundè asseritur Sanctam Dei Ecclesiam illa justissimis de causis semper detestatam fuisse = ex quibus infert, quod bene

bene compatiuntur ad invicem validitas Matrimonii cum qualitate involvente culpam Contrahentium, seu illorum operationem contra legem Ecclesiasticam; Quamvis enim artificiosè prætermittat illa verba =*atque prohibuit*=quæ confirmant nostrum assumptum, justissima tamen illius est con-
255 sequentia, nam, ut ipse probare intelligit, potest esse Matrimonium validum, & insimul ab Ecclesia detestatum, atque prohibitum, prout est ab eadem Ecclesia detestatum, atque prohibitum Matrimonium Catholicorum cum Hæreticis, & tamen est validum; at è contra insimul dari non potest, quod Matrimonium sit detestatum, atque prohibitum ab Ecclesia, eodemque tempore licitum, quod-
256 que in contemptum prohibitionis debeat Judex Ecclesiasticus illud approbare, licentiam concedere, quod contra prohibitionem contrahatur, & præcipere Parocho, quod eidem sive a Catholico sine Apostolica dispensatione cum Hæretica, sive a Filiofamilias cum Muliere Parentibus rationabiliter invisa contrahendo assistat, & benedicat indignos, ac sacrilegos Contrahentes.

Omissis autem aliis nullius ponderis reflexionibus, ac minus subsistentibus argumentis, quibus in hoc, ac *in aliis nostris Votis* in subjecta materia emanatis opportuna, justa, ac veritati consona per Nos data fuere responsa, perperam arbitratur *num.*105., quod hoc sit novum impedimentum, quodque hujusmodi Filiorum Matrimonium ab Ecclesiæ Præsulibus impediri non possit, quia numquam fuerit ab Ecclesia impeditum =ibi = *Prætenditur impediri Matrimonium impedimento ab Ecclesia, a Concilio Tridentino &c. nullatenus approbato* =

Si namque Concilium apertè testatur, quod tale Matrimonium=*Ecclesia semper prohibuit*=falsum est, quod Ordinarius non debeat, aut ad sensum *Ursayæ* illud prohibere non possit, sed ad dandam contrahendi licentiam sit obliga-
257 tus, si etenim illud Ecclesia prohibuit, illud pernecessè Ordinarius prohibere tenetur; Falsum est, quod tale impedimentum *ab Ecclesia, & Tridentino* *non fuerit approbatum*, ita namque non sentiunt Theologi, & Canonistæ, apud quos *prohibere*, & *impedire* in materia impedimentorum Matrimo- 258
nialium sunt synonyma *Anaclet. Reiffenstuel. in Jus Can. lib. 4. Decretal. tit.16.num.3.* = ibi = *Ecclesiæ vetitum comprehendit omnia impedimenta &c. introducta ab Ecclesia* = Falsum denique, quod hoc impedimentum sit novum, si enim continetur in *IV. Decalogi præcepto*, si hæc Matrimonia, invitis rationabiliter Parentibus contrahenda *Ecclesia semper detestata est, atque prohibuit*, absque labe veritatis novum impedimentum dici non potest, sed tantum antiquum, quantum antiqua sunt 259
Decalogi præcepta, & Ecclesia Catholica, per quod impedimentum, etsi valida, illicita tamen, & peccaminosa sunt non solum prædicta Connubia a Filiisfamilias contracta, verum etiam quæcumque alia, quæ cum detrimen- 260
to Familiæ, & Consanguineorum dedecore contrahuntnr, ita ut sive Parentes, sive Fratres, sive simul proximo Consanguinitatis gradu Conjuncti, si Uxorem ducant infamem, longe imparem, unico verbo quæ decus sanguinis notabiliter denigret, mortaliter peccent, nec unicum, sed tot admittant crimina, quot demonstra- 261
vimus, Filios indignè contrahentes inexcusabiliter detineri. Injustè etenim lædunt famam, & honorem proximi, illicitè odiis, discordiis, cæterisque peccatis viam aperiunt, virtutem Caritatis, justitiæ, & pietatis, qua non solum Filii erga Parentes, verum & Parentes erga Filios, ac omnes 262
Consanguinei ad mutuò se colendos obligantur, turpiter violant, & rem ita se habere perspicuum fiet, discurrendo per singula momenta rationum, quibus nostrum assumptum satis credimus stabilitum, & præcipuè, quod sub nomine Parentum in hac materia veniant in subsidium etiam Proximio- 263
res, qui locum Parentum tenent, & sub quorum cura, & custodia Contrahentes existunt ad *text. in leg. Unic. §. Et siquidem vers. Oportet Cod. de rapt. Virgin. l. In Conjunctione 20. Cod. de Nupt. Cap. Videtur 3. Qui Matrim. accus. poss.* & ex *Pont. ac aliis* adver-

advertunt *Boss. de Contract. Matrim. cap.*11. §.8. *num.*88. *Panimoll. dec.*45. *num.*18. *tom.*2. cum omnibus desuper laudatis, aliisque passim.

Nullius quoque ponderis visum fuit objectum, quod Filiosfamilias necessitas hodie desponsare compellit
264 potius Fœminas imparis conditionis, in quibus major affectus, & Conjugalis fidelitas reperitur, quàm Puellas nobiles, quæ, contracto vix Matrimonio, continuantes Conversationum solatium, quas etiam innuptæ frequentare solebant, vel consuetudinem cum amantibus prius habitam minimè deserunt, vel novorum amorem sibi conciliant, qua de causa, subortis inter Conjuges diffidiis, odiis, ac contentionibus, Uxor Superioribus deinde refert, vel quod vir aliquo intollerabili morbo laboret, vel quod Matrimonio abutatur ad hoc, ut ab eo se separandi licentiam obtineat, is ad pinguia alimenta sibi seorsum ab illo luxuriosè viventi præstanda condemnetur, ipsaque majorem vivendi libertatem affequatur.

Aut enim hoc evenit ex culpa viri quia nempè per Uxorem exposita ve-
265 ritati nituntur, & sibi imputet si morbum ab honesta Uxore vitandum acquisivit, seu Matrimonio usus fuit contra id, ad quod est institutum, sic enim ipsum separationi causam dedisse videmus; Aut evenit ex malitia Uxoris, quæ, ut se liberet a subordinatione, & consortio Mariti, illum est improbè calumniata, & ipse similiter est in culpa, qui malè usus libertate a lege, & a Parentibus sibi concessa ducendi in Uxorem inter Puellas suæ conditionis, quam vellet, nulla facta morum, ac indolis perquisitione, eam tantummodo desponsare maluit, quam vel pulchriorem, vel nobiliorem, vel alacriorem, aut pinguiori dote provisam agnovit. Si quis igitur Filiusfamilias aliquando accidit, quod ab Uxore vel accusetur justè, vel injustè vexetur, id utique non sequitur ex causa legis prohibentis ducere Uxorem indignam, invisamque Genitoribus, necnon obedientiam, & reverentiam Parentibus exhibendam in contrahendo Matrimonio cum æquali jure meri- to demandantis, sed ex facto hominis, hoc est ipsius Filii, qui vel dedit justam causam querimoniis Uxoris, vel cum habeat Jus, optionem, & libertatem eligendi unam ex tot Puellis sibi æqualibus, inter quas multæ bonam nanciscuntur institutionem, eam imprudenter elegit, quæ non bonam habuit educationem, nec bonam indolem sortita est a natura, cui malo occurri debet antequam Matrimonii vinculum contrahatur in deligenda *sine peccato* inter pares Puella bonis imbuta moribus, non autem contrahendo contra voluntatem Parentum cum ipsorum, & Consanguineorum dedecore, & *cum peccato* Matrimonium cum inæquali, in quarum quoque delectu, si a suis æqualibus non adhibeantur opportunæ perquisitiones, ipsi pariter decipiuntur, quia etiam inter 266
eas aliquæ perversæ, luxuriosæ, & infideles enumerantur, imo quandoque accidit, quod adeo sint audaces, loquaces, & temerariæ, ut si quis Filiusfamilias Nobilis ex his unam accipiat in Uxorem, ipsa induat, ut dicitur, femoralia, Muliebri veste Viro relicta, unde interminabiles dissensiones pariter oriuntur, quibus Vir cogitur aut illam, Familiamque deserere, aut in perpetua durissima servitute assiduis angoribus semper oppressus cum rustica progenie, quæ nescit habere modum, usque ad ultimum spiritum miserrimam ducere vitam.

Nihil tandem in hypothesi obstare potuit inanis ille prætextus, quod præfatus Juvenis ad statum Conjugalem vocatus ex eo coactus fuit ad has impares convolare Nuptias, quia nèc est Filius unicus, nèc Primogenitus, & adeo exiguum est domesticum Patrimonium sibi prò medietate post Patris obitum obventurum, ut ob ejus tenuitatem difficilè admodum sit, 267
quod cum Fœmina æqualis conditionis se conjungere possit.

Hoc etenim ultimum miserum Adolescentis diffugium ea prima responsione penitus evanescit, quod Filius sive primogenitus pauper, sive secundo, aut tertio &c. genitus fortunæ bonis parum provisus, qui se continere non potest, si Uxorem æquali-

Ee ter

268 ter Nobilem ex hujusmodi causa ducere nequeat, utique non impeditur ducere Fœminam vel in Civitate ex honestis, ac Civibus Genitoribus ortam, cujus Dote, ac suis alimentis, seù legitima à Patre præstandis honestè vivere valeat, vel etiam Puellam in aliquo Oppido, seù Terra progenitam à Parentibus ex honesta Familia descendentibus, qui vivant more Nobilium, quique, oblata quoque pingui sæpissimè Dote, propriam adnituntur Nobilibus Nuptiis extollere conditionem, quia tunc divitiæ unius cum alterius Nobilitate compensantur *Tiraquell. de Nobilit. cap.20. num.177.* at impediri potest per Ordinarium, ac justissimè se Parentes opponunt, si mulierculam vilem, pauperem, plebejam, aut ex Familia non satis honesta descendentem desponsare contendat, cujus Nuptiæ totam, ut in hypothesi, ipsius Sponsi, ipsiusque Parentum, & Consanguineorum Familiam deturpent, ut hactenus demonstravimus, & ex illis oriantur scandala, *ut supra num.36. & 40.* odia inter Consanguineos *Vol.II. num.80.* & tractu temporis etiam inter Sponsos, ut *supra num.13. & Vol.I. n.129.* aliis occasio peccandi *Vol.II. num.93. & seqq., & num.118. & pluribus seqq.* maledictiones Filiorum pauperum contra similes Genitores *Vol.II. num.139.* adulteria, aliique infelices exitus, ut *supra num.10. & 11. & Vol I. num.194. & sub num.198.* & gravissima peccata *Vol.III. num.117.*, adeout ad evitandum Filius per hanc viam unum incontinentiæ peccatum, latiorem viam innumeris peccatis aperiat. Deindè nèc etiam sumus in casu, quo hic Adolescens, dissentientibus Genitoribus, cum Fœmina non æqualiter nobili se conjungere valeat; probatum namque fuit in facto, quod, detracta unicæ Sororis Dote, medietas Paterni Patrimonii, quæ ad illum spectat, ultra Maternæ Dotis portio-
269 nem, ad scuta decemmillia reducitur, quod Capitale, imo & inferius in hac Civitate juxta morem regionis sufficiens reputatur pro contrahendis Nobilibus, & æqualibus Nuptiis, quemadmodum alii Viri Nobiles cum æquivalenti, ac etiam minori Capitali absque ulla difficultate Matrimonia cum æqualibus hucusque contrahere potuerunt.

Quibus ita se habentibus, nèc dispensationem super Denunciationibus, nèc licentiam optatum contrahendi Matrimonium concedere tuta conscientia potuimus, neque debuimus præfato Adolescenti, qui nèc unam affert ex causis alias enumeratis in *Vol.I. num.134.* sed ejus tantummodo stat pro ratione voluntas, nèc aliquam ex iisdem causis eidem allegasse sufficeret, nisi una simul illam plenissimè justificaret, & quidem non per argumenta, conjecturas, & præsumptiones, sed per probationes undique claras, incontrovertibiles, & concludentes contra Genitores prò se habentes, ut diximus, *Naturalis, Divini, & Humani Juris* assisten- 270
tiam, pro quibus idcircò semper est præsumendum, ut supra *num.41. & 78.* quibusque proindè Judex, & quilibet Episcopus, ne illius anima peccati la- 271
be fœdetur, cujus umbram, sive periculum evitare debet, *ut irreprehensibilis sit, suæque Domui bene præposi-* 272
tus juxta monitum *Apost.1. ad Timoth. cap.3. vers.2.4.* viriliter assistere, eisque semper etiam in dubio favere tenetur, nullo vano apud Deum, qui 273
novit abscondita cordis, ET JUSTITIAS JUDICABIT, suffragante prætextu, quo Superior à peccato excusare se valeat favens inobedientiæ, & peccato Filiorum, ut cum Esau *pro lentis edulio* vendant primogenituram *Genes. cap.25. vers.31. & seqq.*, hoc est prò explendo cum tot lethalibus culpis, & sacrilegiis libidinis æstu vendant immarcescibilem cœlestis, ac æterni Regni coronam.

Fortius in hypothesi hæc omnia præ oculis in judicando habere debuimus, ubi ultra assistentiam Juris, quæ sola satis esset ad Filium nullam validam adducentem rationem à Matrimonio Parentibus rationabiliter inviso repellendum, urget eorumdem Parentum maxima perturbatio, & afflictio, 274
eorumque, ac Consanguineorum contradictio manifestissimè rationabilis, & justissima tùm propter ignominiam,

quæ

quæ totius Familiæ decori ex tali Matrimonio irrogatur, quando sola Natalium, seù divitiarum disparitas esset causa sufficiens dissolutionis Sponsalium, ut supra firmavimus *num.* 17. *&* *Vot. II. num.* 140. *& seqq.*, tum propter injuriam, quæ ipsis Parentibus fieret, ac notabile damnum, quod indè resultaret non solum Sorori Adolescentis, quæ cum illustri Viro jam Sponsalia contraxit, quorum rescissionem Sponsus ex hac causa minatur, verum etiam illius Germano Fratri, qui proximus est ad assequendum munus satis lucrosum non minus, quam honorificum ei solummodo concedi solitum, cujus Familia nullam habeat maculam, quæ decus, & honestatem deturpet, tùm demum quia eadem impediretur Familia, ne ad supremum nobilitatis Ordinem ascenderet, quemadmodum in futuris Comitiis Consilii hujusce Civitatis, quatenus hæ indignæ non ineantur Nuptiæ, de Jure ascendere debet, ex quibus causis tàm conjunctim, quàm disjunctim sumptis in præsenti Judicio, & in aliis ex illis omnibus causis desuper & hucusque relatis quilibet Ordinarius Matrimoniis Filiorumfamilias, Parentibus, seù etiam Consanguineis contradicentibus, sine peccato cooperari non potest, imò etiam EX OFFICIO illa impedire tenetur.

Et ita &c. Utraque &c.

☞ *Nonnunquam accidit, quod Filiifamilias ad effugiendam justam Parentum, seù Consanguineorum contradictionem, indigna contrahunt clandestinè Matrimonia, omissis Denunciationibus, ideò hoc etiam subsequens Votum, in quo de simili Clandestinitate agitur, prout infra, referre opportunum esse duximus.*

ANONYMA CLANDESTINI MATRIMONII.

ARGUMENTUM.

Matrimonium contractum, omissis culpabiliter Denunciationibus, est illicitum, & Clandestinum, & Clandestini pœnis subjectum.

SUMMARIUM

1 *Pœna scutorum* 60. *prò unoquoque ex Contrahentibus Matrimonium absque Denunciationibus fuit imposita in casu.*
2 *Verba apta ad contrahendum Matrimonium de præsenti.*
3 *Testis unicus non probat.*
4 *Parocho asserenti Matrimonium fuisse contractum plenè creditur.*
5 *Ubi major numerus Testium, ibi veritas.*
6 *Matrimonium est validum, si fuerit contractum per verba de præsenti coram Parocho, & duobus Testibus, licet non præcesserint Denunciationes, sive sit Parochus utriusque Sponsi, sive Sponsi tantum, sive Sponsæ, ut magis convenit.*
7 *Licet Ordinarius negaverit licentiam prò supplendis Denunciationibus post Matrimonium, tamen est validum si sine Denunciationibus contrahatur.*
8 *Denunciationes præcedere debent Matrimonium non uti necessariæ ad Sacramenti valorem*, & n. 173.
9 *Sed ex præcepto Concilii Lateranensis, & Tridentini*, & n. 174.
10 *Sac. Congregatio Concilii declaravit validum Matrimonium contractum sine præcedentibus Denunciationibus coram duobus Testibus, & Parocho sub alio prætextu vocato.*
11 *Hujusmodi Matrimonium ita contractum est tamen illicitum, & clandestinum.*
12 *Clandestinum est Matrimonium contractum coram Parocho sine duobus Testibus.*
13 *Vel coram Testibus sine Parocho.*
14 *Vel coram Parocho, & Testibus non præmissis tamen Denunciationibus.*

15 *Pri-*

Clandestino contractu omissis Denunciationibus,
94 *Et de complicitate Testium*, & n.95. 99. 100.
97 *Parochus*, *& Testes*, *quatenus sint Complices puniri debent per sententiam*.
101 *Delicta non præsumuntur*.
102 *Circumstantiæ attendendæ pro statuenda pœna contra Contrahentes Matrimonium omissis Denunciationibus*.
103 *Pœna Excommunicationis contra hujusmodi Contrahentes approbata fuit a Sac.Congregat.*, *& una simul pecuniaria ab eadem non improbata*.
107 *Exemplis non est judicandum*.
108 *Clandestinè Contrahentes juxta Tridentinum graviter arbitrio Ordinarii sunt puniendi*.
109 *Si Judex Ecclesiasticus levi pœna puniret Clandestinè Contrahentes*, *posset illos iterum punire Judex Laicus*.
110 *Graviter peccat Ordinarius*, *si Clandestinè Contrahentes non puniat*.
111 *Maximè si Clandestinitas oriatur ex defectu Denunciationum*.
112 *Aliàs fomentum præberet scandalis*, *& damnis*, *quæ ex his Matrimoniis oriuntur*.
113 *Quæ non semel infelicem assequuntur eventum*.
116 *Denunciationes præcedebant Matrimonium etiam tempore Tertulliani*.
117 *Benedictio super Sponsos tempore Evaristi Papæ erat in usu*.
118 *Apud Hæreticos Nuptiæ non habentur pro validis*, *nisi trina proclamatio præcedat*.
119 *Et contra conscientiam peccare tenent*, *qui negligunt Sacerdotalem benedictionem*.
120 *Pœnæ contra Clandestinè Contrahentes sunt augendæ*, *& quare?*
121 *Clandestinè Contrahentibus prohiberi debet saltem per mensem cohabitatio*.
122 *Et ante Matrimonii consummationem Denunciationes suppleri debent*.
123 *Et quoties ante Denunciationes usum Matrimonii Contrahentes haberent*, *toties graviter peccarent*.
124 *Idemque dicendum quando conceditur dispensatio*, *ut sine illis Matrimonium contrahatur*, *sed non consumetur*.
125 *Quia agitur de materia gravissima*, *& de lege probibitiva sub mortali*, *& quare*; & n.126.

VOTUM X.



INITO Matrimonio, solitis à Tridentino præscriptis Denunciationibus *culpabiliter* non præhabitis, inter Masculum generis Nobilitate conspicuum, & Viduam Fœminam non ejusdem Conditionis in Ecclesia Parochiali sub die 25. Julii currentis anni coram Parocho, seù veriùs Œconomo ejusdem Parochialis, præsentibus duobus Testibus ad id specialiter per Contrahentes adhibitis, àc numeroso Populo præter solitum illa die, utpote Divo Jacobo Apostolo consecrata, ad audiendam Missam in eadem Ecclesia convento, delataque statim per eumdem Œconomum ad hoc Tribunal Ecclesiasticum hujus attentati notitia, àc demandato per Nos adversùs Contrahentes præcepto sub pœna Excommunicationis de non cohabitando, donèc probatis probandis de justa cohabitandi causa fuissemus edocti, dubitatum fuit. I. *An Contrahentes coram Œconomo benè audiente verba apta ad ineundum Matrimonium protulerint*. II. *An ipsemet Œconomus Sponsæ Parochus*, *atque Testes fuerint ante Matrimonium de eo sine Denunciationibus ineundo à Contrahentibus informati*. III. *Quanàm pœna tùm Œconomus*, *& Testes*, *quatenùs fuissent in dolo*, *seù aliqua culpa*, *tùm Contrahentes essent puniendi*; Et quia horum resolutio Dubiorum in jure haberi non poterat, nisi priùs de veritate facti constaret, ideò super præmissis, & super suborta scandali fama, nèc non diversa facti per Urbem narratione, instructus fuit Processus Informativus, quo cum examine 1

ne plurium Testium, & Fœminæ Contrahentis confessæ absoluto, non audito alterò Contrahente, propter illius fugam statim post Matrimonium per ipsum arreptam, ad cujus tamen domum suæ solitæ habitationis serv. serv. transmissa fuit specialis Inquisitio, nèc non Fœminæ assignatus solitus terminus ad dicendum contra propriam Confessionem, tandem in Voto fuimus constare de validitate Matrimonii; Œconomum, prædictosque duos Testes esse cum seria monitione dimittendos; Contrahentes verò pœna scutorum sexaginta pro unoquoque eorum fore mulctandos.

De Matrimonii validitate neque in facto, neque in jure dubitare potuimus. In facto nàmque probatum fuit per depositionem tam Œconomi, præfatorumque duorum Testium, quam aliquorum eo die prædictæ Festivitatis occasione audiendi Sacrum actui præsentium, quod Contrahentes per verba de præsenti mutuum de Matrimonio expressere consensum, cum Masculus alta voce dixerit = *Sig. Curato la Sig. N. N. è mia Sposa* = &
2 Fœmina immediatè subjunxerit = *Il Sig. N. N. è mio Sposo* = Nullatenus attenta nonnullorum depositione affirmantium Contrahentes dixisse = *Sig. Curato si compiaccia di congiungerci in Matrimonio* = quia id ex rationibus infra recensendis non obstare putavimus, & multominus attendi merebatur depositio unius ex Circumstantibus, qui supponit, quod ambo Contrahentes non per *verba de præsenti*, sed per *verba de futuro* voluntatem suam patefecerint, dicente Masculo = SARA' *mia Sposa* = & subjungente
3 Fœmina = SARA' *mio Sposo* = quia tamquàm unicus in sua depositione non probat *Can. Admonere* 33. *quæst.* 2. *Can. Si Testes* 4. *quæst.* 3. *Cap. Licet universis* 23. *in fin. Cap. Licet ex quadam* 47. *de Testib. l. Juris jurandi Cod. eod.*, & omnino deferendum est Paro-
4 cho, cui in hoc plenè creditur *Rot. coram Cerr. decis.* 761. *n.* 12. *& seq.* & duobus Testibus specialiter adhibitis, cæterisque pluribus inter se contestibus, quia ubi major habetur numerus Testium, ibi veritatem adesse non ambigendum ad *text. in Cap. Licet causam* 9. *de Probat.* = ibi = *Per Testes numero plures, quibus potius lux veri-* 5
tatis assistit =

In jure autem neminem latet Matrimonium esse validum, quoties initum fuerit coram Parocho Sponsi (sivè Sponsæ, ut magis convenit propter Mulieris honestatem *Vanespen. in Jus Eccl. Univers. par.* 2. *tit.* 12. *cap.* 5. *n.* 5.)
sivè coram Parocho utriusque Conjugis, & duobus Testibus *per verba de præsenti*, quamvis non præcesserint Denunciationes *Marta de Jurisdict. par.* 4. *centur.* 1. *cas.* 71. *num.* 12., *&* 17. *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 5. *num.* 3. *Sac. Congregat. Conc. in Mediolanen.* 27. *Febr.* 1630. *Rot. dec.* 431. *num.* 11. *par.* 4. *tom.* 2. *recen.* & etiam in casu, quo licentiam pro iis supplendis post Matrimonium Ordinarius expresse negaverit *Barbos. Decis. Apostolic. Collect.* 247. *num.* 1., illæ namque Matrimonium præcedere debent non quidem ùt necessariæ ad Sacramenti valorem *Marta de Jurisdict. par.* 4. *centur* 1. *dict. cas.* 71. *num.* 13. *aliiq. passim*, sed ex præcepto tùm Concilii Lateranensis relato *in Cap. fin. de Clandest. desponsat.*, tùm Tridentini *P. Paul. Heronym. à S. Helen. in Medull. Theol. PP. Salmaticen. tract.* 15. *cap.* 3. *n.* 49. itaque pluries declaravit *Sac. Congregat. Concil.*, & signanter Matrimonium contractum per verba de præsenti in facie Ecclesiæ per Bartholomæum Malaspina, & Rosam de Corvis coram duobus Testibus, nullis præmissis Denunciationibus, Parochoque Sponsæ sub alio prætextu vocato, eoque reluctante, validum esse respondit in *Placentina* 3. *Februar.* 1725.

Ex hac tamen validitate inferri nequit, quod hoc Matrimonium ullo modo clandestinum dici valeat, prout Contrahentes ad evitandam, seu saltem minuendam pœnam sibi debitam opponebant. Quicumque enim Juris nostri lituram attigerit, non ignorat validum quidem esse, sed illicitum, ex quo vetitum, tamquam Clandestinum, necnon (ultra Matrimonium a Filiis insciis Parentibus initum, quod etiam Clandestinum nuncupatur) tres Species Clandestinitatis assignari per 12
Ca-

Canonistas, *primam* nempè quando coram Parocho sine Testibus, vel si-
13 ne sufficienti numero Testium, *alteram* quando coram Testibus sine Parocho Masculus, & Fœmina Matrimonium contrahere tentant, *tertiam* tandem quando Testibus, Parochoque præ-
14 sentibus, sed omissis *culpabiliter* in Ecclesia Denunciationibus, illud per verba de præsenti contrahitur, quæ
15 Clandestinitatis species in eo differunt, quod prima tantùm, & secunda, non autem tertia Matrimonii causat nullitatem *Manacell. in Formular. tom. 2. tit. 16. adnot. ad formul. 2. num. 27.*, cum talis Clandestinitas non constituat
16 impedimentum Matrimonii dirimens, ut voluit *Menoch. cons. 69. num. 71. vol. 1.*, sed tantum impediens *Schmier in Jus Canonic. & Civil. lib. 4. tract. 3. cap. 5. sect. 5. §. 1. num. 174. tom. 3. Vanespen. in Jus Eccles. Univers. part. 2. tit. 12. cap. 3. num. 14.*

Quinimò hoc ultimum tertiæ speciei Matrimonium, licèt ab aliquibus Clandestinum *lato modo* dumtaxat nuncupetur, potius tamen post Concilium unicè Clandestinum dici valet, ea siquidem Matrimonia primæ, & secundæ speciei, inita videlicèt coram Parocho sine Testibus, vel
17 coram Testibus sine Parocho, quæ *ante Concilium*, ob eorum validitatem, verè Matrimonia, & ob omissas Juris solemnitates merito Clandestina nuncupabantur, cum per Tridentinum nulla penitùs, & irrita fuerint declarata, hodiè apud Nos, cæterasque Nationes, à quibus Concilium est acceptatum, nèc nomen Matrimonii merentur, nèc nonnisi impropriè
18 Clandestina appellantur, quia paria sunt non esse, & esse nullum *l. Duo sunt Titii ff. de Testam. Tut.*

Neutiquam refragante, quod Matrimonium, de quo agitur, non solum sit validum, sed etiam initum fuerit publicè, & palàm cum ingenti Personarum concursu in Ecclesia Parochiali, quasi quod ea publicitas
19 (quæ potiùs scandalum auxit) Denunciationibus æquipolleat, itaut si per Denunciationes impedimenta deteguntur, detegi quoquè possint, quandò multos Matrimonium non latet, quemadmodum ratiocinantur relati per *Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 1. num. 9.*

Ea namque publicitas Clandestinatis vitium purgare non valet, alias sequeretur absurdum, quod quotiès Matrimonium coram Parocho, & Testibus publicè, & palàm in Ecclesia celebraretur, prout regulariter celebratur, omitti possent impunè Denunciationes, quod utiquè non est admittendum contra præceptum *Concil. Tridentini Sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim.* ubi Denunciationes Matrimonio præmittendas esse deman- 20
dat, quia multò faciliùs ab his præhabitis inter Missarum solemnia diebus Festivis deteguntur impedimenta propter majorem Populi numerum, qui confluit in Templum, quique præcepti timore ad detegenda impedimenta excitatur, quàm si hujusmodi Denunciationes omittantur, tunc enim quilibet de impedimento informatus, vel ad effugiendas, ut sæpè accidit, inimicitias, vel quasi sua non interfit, à denunciando se retrahit *Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 1. n. 10.*

Præterea etsi validum, eatenùs tamen dicitur Clandestinum, quatenùs initum est *clàm* comparativè ad 21
Matrimonia, quæ *publicè* contrahuntur, cum ea nempè publicitate, quæ talis non dicitur ratione loci, & concursus personarum, etenim Matrimonium non semper in Ecclesia juxta præceptum *Can. Nostrates 30. quæst. 5. Concil. Tridentin. Sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim. Concil. Landin. ann. 1200. cap. 11, Concil. Hispalen. ann. 1512. cap. 20. Concil. Calaniens. ann. 1536. part. 7. cap. 11. Concil. August. ann. 1548. cap. 21. Concil. Moguntin. ann. 1549. cap. 33. Concil. Coloniens. ejusdem ann. Concil. Avenionens. ann. 1594. cap. 20. Concil. Narbon. ann. 1609. cap. 22. Concil. Mediolan. 2. tit. 1. Decret. 28. Synod. Fulginaten. ann. 1722. cap. 7. n. 10. Rot. cor. Caccin. dec. 1887. n. 37.* sed etiam inter domesticos parietes (rarò tamen, & ut plurimum inter Principes) cum expressa Episcopi licentia celebratur, & adhuc publicum dicitur, dummodò serventur Solemnitates, sed cum ea,

repe-

repetimus, publicitate, quæ præter præsentiam Parochi, & Testium, oritur ex præcedentibus Denunciationibus, seù Proclamationibus, quæ hac de causa etiam ipso vocabulo *Publicationum* distinguuntur; Qua spreta ab Ecclesia præscripta solemnitate, non desinit esse illicitum, *Clandestini* no-
22 mine notari meretur, & indignum est, ut in conspectu appareat Ecclesiæ, ab eaque approbetur *Hostien. In Summ. tit. de Clandest. Desponsat. num.* 1. aliique apud *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *disput.* 1. *num.* 1., eo modo, quo Matrimonium primæ, & secundæ speciei initum, ut diximus, coram Parocho sine Testibus, vel coram Testibus absente Parocho, licet *ante Concilium* validum esset, adhuc, ob omissas Ecclesiæ Solemnitates, sive id fieret in loco publico, sive privato, sive in Ecclesia, sive extra illam, sive clàm, sive publicè, non obstante validitate, pro vero Clandestino habebatur, utpotè quia non valet argumentum:
23 Matrimonium est validum, ergo publicum, seù non Clandestinum, dicitur enim id fieri *clàm*, quod omissis solemnitatibus à Jure in actu requisitis efficitur *Bartal. in l. fin. in princ. vers. Qualiter ff. de rit. Nupt.* = ibi = *Qualiter autem dicatur fieri clàm, dic quando id, quod debet fieri cum solemnitate, omittitur* = Cum ergo Ma-
24 trimonio de Jure præmitti debeant Denunciationes, iis omissis *Clandestini* naturam induere non est hæsitandum *glòss. in Cap. fin. verb. Clandestina*, ibique *Hostien. verb. Hujusmodi Clandestina de Clandest. Desponsat.*, & clariùs in *cap.* 2. *verb. Publicè, Qui Filii sint legitim. Roland. cons.* 93. *n.* 26. *vol.* 3. *Menoch. cons.* 69. *n.* 70. *vol.* 1.

Nullatenus attenta replicatione, quòd hujusmodi Matrimonium pro *Clandestino* considerari non debeat saltem quoad pœnas incurrendas, ad
25 hunc enim potiùs effectum prò *Clandestino* habetur *in dict. Cap. fin. de Clandest. Despons.* postquam enim ibi *Text.* præmittit Denunciationes ante Matrimonium esse faciendas, ex quo Matrimonia Clandestina detestetur Ecclesia, tùm §. *Si quis verò* subjungit = ibi = *Si quis verò hujusmodi Matrimonia Clandestina inire præsumpserit* = subjicitque pœnas, ubi ponderanda sunt illa verba = *hujusmodi Matrimonia Clandestina* = cum enim de Matrimonio, cui Denunciationes non præmittuntur, ibi loquatur, manifestè tale Matrimonium pœnis ibidem statutis tamquam *Clandestinum* puniendum esse decernit, & notat etiam ibi *gloss. verb. Clandestina* = ibi = *Videlicet non præmissa Denunciatione* = cumque per Tridentinum hoc Concilii Lateranensis sub Innoc. III. celebrati Decretum relatum *in dict. Cap. fin. de Clandestin. Desponsat.* correctum non fuerit, quin potiùs in *cap.* 1. *de reform. Matrim. Sess.* 24. ubi Clandestina annullat, per ea verba confirmatum appareat = ibi = *Sacri* CONCILII LATERANENSIS *&c.* VESTIGIIS INHÆRENDO, *præcipit, ut &c. antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio &c. Parocho denuncietur* = hinc ad evidentiam resultat per Tridentinum Concilii Lateranensis præceptum fuisse confirmatum, expressè quidem circa Denunciationes, tacitè verò, quoad pœnas, seù saltem circa easdem pœnas nihil expressè innovatum,
undè subintrat regula, quod à Jure 26
veteri recedere non debemus, quando illud non est per novum expressè correctum *leg. Præcipimus* 32. *in fin. Cod. de Appellat.*

Minus attendi merebantur Contrahentium querelæ adversus Episcopale Tribunal sæpissimè repetitæ, quod nempè contra eos nimis rigorosè procederet, quia agebatur de levi Delicto ex alacritate potiùs ingenii, quàm in spretum Ecclesiastici præcepti commisso, ideòque dissimulando, omissa prohibitione Contrahentibus inter se cohabitandi, & quocumque actu
judiciali neglecto juxta exemplum Su- 27
periorum, seù Judicum prædecessorum, sub quorum gubernio, seù censura tale delictum penitùs inultum evaserat, nullus fuerat processus instructus, nullaque inflicta pœna, sed cum simplici Episcopi super Contrahentes benedictione, absque ullo strepitu, & figura judicii Matrimonium in similibus casibus suum sortitum fuerat effectum.

Etenim nullo modo leve, sed
imo magni momenti existimandum
venit Delictum, quod in Foro tàm
interno, quàm externo gravissimis
28 subjacet pœnis. Siquidem adeò ne-
cessariæ sunt Denunciationes Matri-
monio præmittendæ ex præcepto Con-
cilii Lateranensis, ut habetur in *dict.
Cap. fin. de Claudestin. Desponsat.* per
Tridentinum in *Sess.24. cap.1. de re-
format. Matrim.* iis gravibus verbis
innovato, nimirum = *præcipit S. Sy-
nodus* =, ut Ordinarius, ad quem vi-
gore Tridentini illarum pertinet Dis-
pensatio tùm ut fiant post contractum
29 Matrimonium ante illius consumma-
tionem, tùm ut omninò omittantur
*P. Paul. Hieronym. à S. Helen. in
Medull. Theolog. PP. Salmaticen.
tract. 15. cap.3. num.50.* si absque le-
gitima causa ab illis dispenset, quia
abutitur potestate sibi concessa in ma-
teria gravi *Sanchez de Matrim. lib.3.
disput.8. num.2.* lethalis culpæ reus
30 efficiatur *P. Paul. Hieronym. à S.He-
len. loc. cit. num.50. Guttierez quæst.
Canonic. lib.1. cap.19. num.4. Barbos.
super Concil. Tridentin. Sess.24. cap.1.
de reformat. Matrimon. num.60.*

Itemque Parochus, qui sine ex-
pressa facultate Episcopi, vel ejus Vi-
31 carii Generalis Denunciationes culpa-
biliter omittit, graviter, & mortali-
ter peccat *Barbos. de Offic. & Potest.
Episc. alleg.32. num.2. Sanchez. de
Matrim. lib.3. disput.5. num. 6. Pax
Jordan. elucubrat. tom.1. lib.3. tit.7.
num.23., & 24. Monacell. in Formu-
lar. tom.3. tit.2. annot. ad formul.5.
num.1., & seq.*

Æquali mortali culpa se paritèr
32 obstringunt Testes, qui scienter Ma-
trimonio sine præcedentibus Denun-
ciationibus suam præstare præsentiam
audent *Pignatell. Consult.* 147. *n.*18.
*tom.*4., & una simùl quicumque fue-
33 rint ejusdem delicti complices *Bos. de
Matrim. disput.11. sect.10. conclus.2.
per tot. Schmier. in Jus Canonic., &
Civil. lib.4. tract.3. cap.5. sect.5. § 4.
num.204. & seq. tom.3.*

Multòque magis lethaliter pec-
cant Contrahentes, qui sunt principa-
34 les delicti auctores *Barbos. de offic. &
potest. Episc. allegat.32. num.2. San-
chez de Matrim. lib.3. disput.5. n.6.
& disput.39. num.12. Marta de Ju-
risdict. part.4. cent.1. cas.71. num.12.
Pax Jord. elucubrat. tom.1. lib. 3.
tit.7. num.23. & seq. Monacell. in
Formular. tom.3. tit.2. adnot. ad for-
mul.5. num.1. & seq. Rot. decis.375.
num.10. part.11. recen.*, quia omissio 35
Denunciationum, ut probavimus,
Matrimonium efficit Clandestinum,
illudque subjicit rigidissimis pœnis in-
feriùs recensendis, quæ profectò à
Sacris Canonibus in *Foro externo* non
fuissent inflictæ, si hoc præceptum in
Foro Conscientiæ ad lethale non obli-
garet, injustum enim esset veniale
crimen gravissimo plecti supplicio, ut 36
advertit *Sanchez de Matrim. lib.3.
disput.5. num.6. P. Paul. Hieronym.
à S. Helen. in Medull. Theol. PP. Sal-
maticen. tract.15. cap.3. num.49.* Qui-
nimò cum Parochus in Matrimonio 37
adhibeatur tamquam Testis magnæ
auctoritatis, non autem tamquam 38
Minister, quia Ministri sunt Contra-
hentes juxta eam, (quæ suos habet ma-
gni Nominis Contradictores) opinio-
nem, quàm unanimiter amplectun-
tur *Fagnan. In Cap. Quod nobis n.54.
de Clandest. Desponsat. & in Cap. Li-
teræ sub num. 23. de Matrim. contra-
hen. contr. Interdict. Eccles. Sabell. in
Summ. verb. Matrimonium num. 2.
vers. Quod possit probari Sanchez de
Matrim. lib.2. disput.6. num.2. Mo-
nacell. in Supplem. ad tom.2. Formu-
lar. tit.16. form.2. num.447. pag. mi-
hi 81. Rot. decis.375. num.8. part. 11.
recen.*, hinc sequitur, quod Contra-
hentes Matrimonium Clandestinum
sine Denunciationibus, & grave pec-
catum, & maximum sacrilegium com-
mittant, alterum nempè, quia sper-
nunt legem Concilii, & Ecclesiæ præ-
ceptum in re gravi, suscipiendo Sa-
cramentum sine Denunciationibus,
alterum, quia alter alteri occasionem
præbet illicitè suscipiendi Sacramen-
tum, & insuper sacrilegium, quate-
nus Sacramentum in mortali peccato
jam ob contemptum dicti præcepti
commisso ministrant per ea, quæ con- 39
siderat *S. Thom.3. par. quæst.64. ar-
tic.6.* quem sequuntur *Vasquez, Pe-
trus de Ledesma, Navarrus, Basilius*

Pon-

Poncius, *Gaſpar Hurtadus*, ipſiſque
citatis *Card. de Lugo de Sacram. in*
gener. diſput.8. ſect.9. num.150. Ca-
ſtropal. par.5. de Sponſal. diſput. 2.
punct.4. num.2. & 3. & late confir-
mant *Perez de Matrim. diſput. 19.*
ſect.8. num.3. & ſeqq., *Sanchez de*
Matrim. lib.2. diſput.6. n.3. P. Paul.
Hieronym. à S. Helen. in Medull.
Theolog. PP. Salmaticen. tract. 15.
cap.2. num.19. & conferunt quæ di-
ximus in *Vot.I. num.189. & ſeqq.*, &
Vot.II. num.127. & ſeqq.

Rigidiſſimæ quoque ſunt, ut di-
ximus, pœnæ; quibus hujuſmodi De-
linquentes *in foro externo* plectuntur,
quamvis enim *Tridentinum* nèc Paro-
cho, nèc Contrahentibus, omiſſis
Denunciationibus, pœnam imponat,
adhuc Parochum, tam ſi ſcienter in-
terſit, quam ſi ſciens talia matrimo-
nia non prohibuerit, vel dederit al-
teri licentiam aſſiſtendi, triennalem
ab officio ſuſpenſionem incurrere ex-
preſſum habemus in *præcit. Cap fin.*
40 *de Clandeſt. deſponſat.* non quidem
ipſo jure, ſed per Judicis ſubſequen-
tem ſententiam, ut ſonant ipſa verba
ejuſdem *textus* = ibi = *per triennium*
ab officio SUSPENDATUR = utque inter
alios monet *Barboſ. ſup. Concil. Tri-*
dent. ſeſſ.24. cap.1. de reform. Matrim.
num.146., a qua ſuſpenſione per Sen-
tentiam lata, ab Ordinario ſine S. Se-
41 dis Apoſtolicæ facultate abſolvi non
poteſt *Pirhing. in Jus Canonic. lib.4.*
tit.3. num.42. Pignatelli. conſult. 147.
num. 19. tom. 4. Sanchez de Matrim.
lib.3. diſput.52. num.2.

Dubitatur tamen a nonnullis Do-
ctoribus, an cum *Tridentinum ſeſſ.24.*
d. cap.1. de reform. Matrim. verſ. In-
ſuper Parochum decernat Parochum,
vel alium Sacerdotem, qui cum mino-
ri teſtium numero, quam duorum, Ma-
trimonio Clandeſtino interfuerit, eſſe
graviter arbitrio Ordinarii punien-
dum, per hanc diſpoſitionem ſuſpen-
ſio triennalis correcta remanſerit tàm
circa Matrimonia Clandeſtina primæ,
& ſecundę, quàm circa hęc etiam tertię
ſpeciei ex regula, quod lex nova po-
42 ſterior pœnam corrigit legis antiquæ
Boſſ. in prax. tit. de Offic. corrupt.
pecun. num.10.

Verum contra Parochum aſſiſten-
tem voluntariè *Clandeſtino primæ, &*
ſecundæ ſpeciei, quod poſt *Tridenti-*
num nullitatis vitio laborat, hęc utique
ſuſpenſio triennalis correcta fuit ab
ipſo *Concilio*, eamque Ordinarius ex
Jure novo pro arbitrio ſibi conceſſo
ad tempus quoque brevius reducere
poteſt, nam etſi hujuſmodi Matrimo-
nium Clandeſtinum inire ſit hodie gra- 43
vius delictum in ordine ad Deum tùm
ob ſimulationem Sacramenti, tùm ob
fornicationem, & concubinatum, re-
ſpectu tamen Eccleſiæ damni, & in-
convenientium (ad quæ vitanda *Sac.* 44
Concil. Tridentinum Clandeſtina irri-
tavit, ut videre eſt in ipſa *ſeſſ.24. cap.1.*
de refor. Matr. = ibi = *Gravia peccata*
perpendat, quæ ex Clandeſtinis Co- 45
njugiis ortum habent) êſt minus grave
delictum, cum ipſo jure ſit invali-
dum, nèc indigeat ulla declaratione, 46
ut diſſolvatur *Sanchez de Matrim. lib.3.*
quæſt. 48. num.4., quod namque eſt 47
nullum, nullum producit effectum
l.4. §. Condemnatum ff. de re judicat.,
Cap. Illud 8. Cap. Cum laici 10. Cap. 48
Suggeſtum 20. de Jurepatr. Idemque
arbitrium circa pœnam hodie pariter 49
Ordinario competere admittimus con-
tra Sacerdotem Regularem, aut Sæ-
cularem, qui ſine proprii Parochi li- 50
centia interſit Matrimonio, quia cum
Matrimonium ex defectu præſentiæ
proprii Parochi, vel contractum co-
ram altero Sacerdote ab eo facultatem
non habente æqualiter ſit invalidum,
ideò attenta hac ſimiliter invaliditate
Tridentinum ſeſſ.24. de reformat. Ma- 51
trim. dict. cap.1. verſ. Quod ſi Paro-
chus corrigens dictam pœnam trien-
nalis ſuſpenſionis præcisè in hoc par-
ticulari caſu diſponit, quod hujuſmodi
Sacerdos tamdiù ipſo jure ſit ſuſpen-
ſus, quamdiù ab Ordinario ejus Pa- 52
rochi, ad quem illud Matrimonium
ſpectabit, obtinere valeat abſolutio-
nem, prout notat quoque *Sanchez de*
Matrim. lib.3. diſput.48. num.6.

At quando agitur de Matrimo-
nio Clandeſtino tertiæ ſpeciei, ob
omiſſas nempè Denunciationes *culpa-*
biliter, hoc eſt *ſine licentia Ordinarii*,
prout explicat *Monacell. in Formular.*
tom.2. tit.16. adnot. ad formul.2. n.27.

cum

cum Concilium nihil in hoc innovaverit, quia nèc Parocho, nèc Contrahentibus expresè pœnam imponit, stan-
54 dum est pœnæ *dict.Cap.final.de Clandest.desponsat.*, hoc est *Concilii Lateranensis*, cujus vestigiis se velle inhærere *Sac. Concilium Tridentinum*, ut supra innuimus, expresè protestatur, & propterea Parochus suspendendus est ad triennium *Sanchez de Matrim.lib.3 disput.* 48. *num.*5. *Castropal.oper.moral. tom.6.tit. de Sponf.punct.*13.§.3. *n.*3., & §.*ult.n.*1. *Tamburin. Oper. Moral.*
55 *lib.8.de Matr.tract.6. cap.*3. §.2.*n.*14. & *seqq.* aliisque pœnis arbitrio Ordinarii puniendus ad tramites ejusdem *Cap. fin. de Clandest. desponsat.* =ibi= *Per triennium ab Officio suspendatur gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit*= & notant *De Justis de Dispensat. Matrimon. lib.2.cap.*19. *n.*341 *Pax Jord.elucubrat.tom.1.lib* 3. *tit.* 7. *num.* 24. *Barbos. de Offic.*, & *Potest. Episc. allegat.* 32. *num.* 7. & *seq.* Ex ea quoque ratione, quod, cum non simus in casu Matrimonii Clandestini *Invalidi*, ob quàm invaliditatem antiqua inconvenientia, & incommoda modo ampliùs ex eo non promanant, unde rigor pœnæ contra illud in statu validitatis inflictæ, hodie refrænandus videatur *ex Juribus desuper allatis*, sed versemur in casu Matrimonii Clandestini *validi*, ex qua validitate multa damna oriri non cessant, ne hujusmodi damna sequantur, pœnas contra Clandestina Matrimonia statutas ad hoc Matrimonium Clande-
56 stinum tertiæ speciei hodie potiùs restringendæ sunt, & contra illud exequendæ, ut præ cæteris quoque notat *Oliva de For.Eccles. part.*1. *quæst.*29. *a num.*49. *per plures seqq.* & signanter *num.*51. 52. & 53.

Contra Testes autem, qui scienter assistunt Matrimonio Clandestino
57 ob omissas Denunciationes, nulla certa pœna statuta fuit non solum a *Conc. Trid. in dict. cap.*1. *de reformat. Matrim. Sess.*24. sed nèc etiam antea a *Concilio Lateranensi in dict. Cap. fin. de Clandest. desponsat.*, at nihilominus, quia peccant auctoritatem præstantes Matrimonio ab Ecclesia interdicto, ejusque præcepta contemnen-
tes condigna sunt pœna mulctandi, ut 58
ex *gloss. in præcit. Cap.fin. verb. Pænitentia de Clandest. desponsat.* docent *Panormit. in eod. Cap. fin. num.*5.ibique *Hostien. vers. Sacerdos*, & *Ancharan. n.*14. arbitrio Ordinarii pro modo culpæ infligenda *Sanchez de* 59
*Matrim. lib.*3. *disput.* 46. *num.*8. *Pignatell. consult.* 147. *num.*18. *tom.*4. itaque declaravit *Sac.Congregat.Conc. sub die* 10. *Februar.* 1629. apud *Monacell. in Formul.tom.*2. *tit.*16. *annot. ad formul.*2. *num.*29.

Contrahentes demum ex eadem ratione, quia contrahunt contra Ecclesiæ interdictum, illiusque jussa contemnunt, condigna pariter pœna pu- 60
niri debent *gloss. in d. Cap. fin. verb. Pænitentia de Clandest. desponf.*, quæ cum ibi non sit in specie præscripta, ideò remanet Ordinario arbitraria ad 61
*text.in Cap. De causis de Officio Delegat. Pax Jord. elucubrat. tom.*1.*lib.*3. *tit.*7. *num.*27. quæque in Constitutionibus Synodalibus nonnullorum Epi- 62
scoporum est excommunicatio *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 46. *num.*9. *Raynald. in Supplem. ad Observat.criminal. tom.*4. *cap.*22. *supplet.*3. *num.*8. & 10. & §. 4. *sub num.* 19. *Bossi. de Matrim. cap.*8. §. 7. *num.* 18. *Pignatell. consult.*147. *num.* 16. *tom.*4. *Salzed. ad Diaz.cap.*83.§. *Sexto cum seq.*, *Feuret de abusu tom.* 2. *lib.*5. *cap.* 2. *num.* 10. & 21. inter quos felic. record. Illmus, & Rmus D.D. Bartholomæus Pucci Patritius Politianus, & Primus Episcopus Piscieniis, de quo mentionem fecimus in præcedenti *Vot. IX. sub num.* 108. *vers. Insuper* contra similes Delinquentes in *sua Synod. Piscien.anni* 1734.*par.*2.*cap.*9. §.8. disposuit = ibi = *Si quis aliquem sub aliquo prætextu Parochum vocaverit, & eo præsente, non tamen ad hunc effectum accurrente, coram Testibus Matrimonium contrahere ausus fuerit, ultra Excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam, aliis quoque pœnis arbitrio nostro mulctabitur; Quibus etiam subjacebunt Parentes, Consanguinei, vel alii quicumque, & etiam Testes, qui in hoc scienter consenserint, aut aliquo modo fuerint cooperati* = cui profectò pœnæ, dum Vi-

carii

63 carii Generalis fungebamur officio il-
lius præstantissimi Præsulis, ultra gra-
ves Processus expensas, succumbere
debuerunt tùm quidam Juvenis Pisto-
riensis ex Illustri Familia descendens,
& quædam Vidua Pisciensis, qui Ma-
trimonium Clandestinum, omissis De-
nunciationibus, inter se contraxerant,
tùm quidam Sacerdos, ob auxilium hu-
jusmodi illicito Matrimonio præstitum,
qui insuper non sine magno dispendio,
& incommodo in formalibus Carceri-
bus fuit permanere coactus, & dein-
de ab illis habilitatus assignatam sibi
domum suæ solitæ habitationis pro tu-
to, & securo Carcere per longum
tempus retinuit, donèc ab Excommu-
64 nicatione, & Irregularitate, quam
incurrerat, quia excommunicatus ce-
lebraverat, absolutionem, & respe-
ctivè dispensationem obtinere va-
leret. Hanc insuper Excommunicatio-
nis pœnam alias approbavit etiam
Sac. Congregat. Concil 10. *Febr.* 1629.
& in dict. Boven. 28. *Januar.* 1690.
apud *Monacell. in Formular. tom.* 3.
tit. 2. *adnot. ad formul.* 5. *num.* 3. *&
seq.* in qua respondit, quod Episcopus
contra eos, qui Matrimonio sine De-
nunciationibus contrahendo Parochum
dolosè compulsum adesse curarent,
potuisset in Synodo in subsidium pœ-
næ pecuniariæ imponere quoque pœ-
nam Excommunicationis juxta *quintum*
65 *Decretum Concil. Provincialis Medio-
lanensis*, quam etiam admittunt *Card.
de Luc. de Matrim. disc.* 2. *num.* 7. *vers.
Opponebatur Pignattell. Consult.* 147.
n. 17. *tom.* 4. ubi, quod prædicti Con-
66 trahentes puniri quoque possunt pœna
*interdicti Ecclesiæ, & nullo modo ab
illo, nisi publica pœnitentia peracta,
sunt absolvendi*.

Ex quibus gravissimis pœnis facilè
datur intelligi, an agatur de delicto le-
vi, sive potiùs enormi nullatenus ab Or-
nario dissimulando tamquam in Jure
adeò magni momenti existimato, ut
subjaceat in *foro interno* lethali culpæ,
& in *foro externo* pœnæ suspensionis,
pecuniariæ, & quod magis est tàm in
Foro interno, quam externo pœnæ
Excommunicationis, qua nulla major
est in Ecclesia, quia omnibus aliis
67 pœnis, & ipsa pœna capitali graviorem
esse testatur *Can. Nihil.* 11. ibique *Gloss.
& Can. Corripiantur* 24. *quæst.* 3. *Car-
din. de Luc. de Benefic. disc.* 60., *& in
Miscellan. disc.* 20. utrobique *num.* 7.

Multòque minus omittendus erat
Processus, non solum quia quodlibet
Delictum, prout est Matrimonium 68
initum sine Denunciationibus, non
Barbarorum more sine Processu est pu-
niendum, verum etiam quia in hypo-
thesi erat ita necessarius, ut sine illo
compertum haberi non posset, utrum
validum, seu invalidum illud declara-
ri debuisset, & an Contrahentes tantum,
sivè potius Œconomus simul, & Testes
essent in dolo, vel in aliqua culpa 69
juxta circumstantias ex Processu re-
sultantes examinanda, pro qua ipsi quo-
que juxta præcitata Jura mulctandi
forent.

Quod enim attinet ad Matrimo-
nii validitatem, clausis oculis fides
adhibenda non erat assertivæ Contra-
hentium, sed constare debebat initum 70
fuisse *per verba de præsenti*, & quidem
clara, nullisque ambiguitatibus sub-
jecta *Vanespen. in Jus Eccles. univers.
par.* 2. *tit.* 12. *cap.* 4. *num.* 9. = ibi = *Ut
certiùs de consensu constet, claram, &
nullis ambiguitatibus, aut æquivoca-
tionibus obnoxiam verborum formulam
in contractu Matrimoniali adhiben-
dam passim Ritualia præscribunt, à
qua nèc Parochi recedere, nèc ut alia
forma contrahatur permittere possunt* =
idque relevare oportebat ex claris, ac
concludentibus juratis depositionibus
Parochi, & Testium, qui fuerant actui
præsentes, quorum dicta non erant
extrajudicialiter oretenus, sed formi-
ter sub interrogatoriis in Judicio per-
necessè sumenda, ut si aliqua varietas 71
inter illorum depositiones reperta
fuisset, ad tramites Juris illa potuis-
set examinari ad concludendam vali-
ditatem Matrimonii, vel ipsius nulli-
tatem declarandam; Quam quidem
necessitatem in casu nostro non defuis-
se comprobavit eventus, nàm alter ex
Circumstantibus, ut præmisimus, mi-
nus verè deposuit Matrimonium per
verba de futuro fuisse contractum, cu-
jus affirmativa dubiam reddidisset Ma-
trimonii validitatem, nisi fuissent for-
miter examinati cæteri Testes, à qui-
bus

bus fuit de mendacio, seu de non recta mutui contrahentium consensus intelligentia convictus: Non defuerunt insuper alii jactitantes alterum exContrahentibus dixisse = *Sig. Curato si compiaccia di congiungerci in Matrimonio* = quæ verba saltem ambigua videbantur, utpotè apta ad demonstrandam contrahendi dispositionem, sed
72 non ad actum reducendam, donec Parochus illos actualiter conjunxisset per ea, quæ ad rem expendit *Guttierez quæst. Canonic. lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 2. *& seqq.*, neque hujusmodi dubietas sine Processu unquam sublata fuisset, quemadmodum eo mediante sublata fuit eo ipso, quod Testes, & Œconomus in eodem examinati unanimiter convenerunt, quod hujusmodi instantia simpliciter facta non fuerit, sed quod sivè antè, sivè post eamdem uterque Contrahens immediatè, ùt supra, voluntatem suam per verba de præsenti ita sine ulla ambiguitate declaravit = *Sig. Curato la Sig. N. N. è*
73 *mia Sposa* = & respectivè = *Il Sig. N. N. è mio Sposo* = quæ verba, ut patet, actualem consensum denotant, & voluntatem.

Hæc ulterius validitatis Matrimonii probatio, tamquam fundamentum Sententiæ per Judicem super eadem validitate ferendæ, constare de-
74 debat ex Processu, non solum quia qualibet Sententia justificari debet ex actis *Rot. coram Seraphin. decis.* 1261. *num.* 5. *tom.* 2. *& coram Celsi. dec.* 273. *num.* 13. verum etiam quia in casu ad concludendam prædictam validitatem
75 non sufficiunt leviores, & extrajudiciales conjecturæ, sed ea venit justificanda per probationes judicialiter faciendas, & quidem undequaque claras, & concludentes, quia Matrimonium Clandestinum tertiæ speciei,
76 nisi concludenter probetur, nullam habet pro se validitatis præsumptionem, regula etenim, quæ solet allegari, quod in dubio judicandum sit
77 pro Matrimonii validitate non militat, quando fuit clandestinè contractum contra Ecclesiæ præceptum, formamque traditam à Concilio, quia tunc
78 cum habeat pro se notabilem suspicionem *Adden. ad Pamphil. decis.* 246. *num.* 22. *&* 23. Judex contra illud 79
semper in dubio judicare tenetur *Capon. discept.* 23. *num.* 22. *& seq. Tamburin. ad Decalog. lib.* 8. *de Matrim. tract.* 6. *cap.* 2. §. 3. *num.* 15. = ibi = *Addit idem de Lugo licet Matrimonium esset dubium, & in dubio soleat præsumi in favorem validitatis Matrimonii, tamen quia in hoc Parochus fuit invitus, & non præcessere Denunciationes, undè hoc Matrimonium secundum Jura fuit clandestinum, illi non est favendum, quia, ut sic, causa est odiosa* = Indubitantius quia sæpè contingit, quod hi, qui habent impedimenta, ex quibus Matrimonium contrahere nequeunt (proùt habebat in hypothesi Masculus saltem ex defectu probationis suæ libertatis pro tempore, quo per diversas Orbis regiones vagatus fuerat) excogitant modum & 80
fugiendi Denunciationes, & Parochos fraude decipiendi hujusmodi clandestina Matrimonia ineuntes, ùt advertit *Monacell. in Formul. tom.* 2. *tit.* 16. *adnot. ad formul.* 2. *num.* 29.

Respectu vero Parochi, seu Œconomi illius innocentiam, vel reitatem nonnisi ex Processu relevari poterat, & omninò relevanda videbatur, ex quo non erat inverisimile cum ipsius complicitate Matrimonium fuisse contractum, quippè qui in actu ipsius Matrimonii nullum exhibuit signum sui dissensus, seu resistentiæ; proùt in similibus casibus inopinatis quilibet Parochus exhibere solet, & quantum 81
in se est positivè resistere, quemadmodum sancitum habemus in *dict. Cap. final. de Clandest. desponsat.* hoc est, deficientibus aliis modis, tentando fugam, aut oculos claudendo, auresque obturando, ita namque non malè 82
se gerit, sed præmium potiùs meretur, & laudem, ut luculenter probat *Ursaya discept. Eccles. tom.* 7. *par.* 2. *discept.* 2. *num.* 25. *& seqq.* Ad constituendum enim Parochum pœna dignum requiritur, quod ipse præstiterit voluntariam moralem præsentiam 83
absolutè necessariam in Matrimonii contractu cum intelligentia rei, quæ agitur, nec sufficit sola præsentia physica, non tantùm quia non dicitur factum præsente aliqua persona, quod 84
non

non fuit ab ea intellectum ad *text. in*
l. Coram Titio 209 *ff. de verbor. signi-*
ficat Donat. in prax. rer. Regular.
tom.3. tract. 7. quæst. 107. num.2. ve-
rum etiam quia dum Parochus non in-
85 telligit, nec advertit, non poteſt te-
ſtimonium Eccleſiæ reddere certum
de ejuſdem Matrimonii contractu *Ur-*
ſaya dict. diſcept. 2. num.33. & ſeqq.,
ubi *num.* 34. refert circa *biſcentum*
DD. Theologos, & Canoniſtas. Pa-
rochus enim, ut jam diximus, non ad-
hibetur, neque præſentiam præſtat uti
Sacramenti Miniſter (quod tamen
repetimus ſine controverſia non tran-
ſit) ſed tamquam Teſtis magnæ autho-
86 ritatis, de quo Eccleſia confidit, qui
proindè, ſi præſens ſit, & verba non
audiat, nèc alio modo conſenſus utri-
uſque Contrahentis expreſſionem in-
telligat, Matrimonium validum eſſe
nequit, nec contractum dicitur coram
Parocho, nec ab eo præſtitam fuiſſe
87 præſentiam *Barboſ. de offic. & poteſt.*
Epiſc. allegat.32. num.78. & ſeq. &
ſuper Concil. Trident. Seſs.24. cap. 1.
de reformat. Matrim. num.72. Ciarlin.
contr. 131. *num* 29. *Capon. diſcept.277.*
num.16. Sanchez de Matrim. lib.3. di-
ſput.39. num.6. Gobat. tract.9. de ab-
ſent. Paroch. dirim. Matrim. cap.18.
Sect.1. num.491. Pax Jord. elucubrat.
Canon. tom.1. lib.3. tit.7. num.99. &
ſeq. Ricc. in prax. for. Eccleſ. tom.3.
reſol.431. num.3. Pignattell. conſult.62.
num.1. tom.7. Panimoll. adnot. 1. ad
deciſ.19. num.7. cum aliis lato calamo
cumulatis ab *Urſaya loc. cit.* Quia dum
88 verè non audit, nec intelligit, Teſtis
eſſe non poteſt, alias ſequeretur ab-
ſurdum, quod etiam dormientes Pi-
lati Teſtes, qui videre non poterant,
89 nèc audire, attamen fuiſſent idonei;
Imò nèc ſufficit, quod Parochus verba
Contrahentium audire tantummodo
cœperit, quia neceſſe eſt, ut audiat
plenum utriuſque Conjugis conſenſum,
ad hoc enim, ut Matrimonium coram
Parocho dicatur contractum, ipſemet
Parochus teſtificari debet de voluntate
actuali Contrahentium perfecta, non
90 autem de inchoata, & virtuali, ſine
quo Parochi teſtimonio, Matrimo-
nium contractum fuiſſe deduci non li-
cet ex complexu conjecturarum ante-
cedentium, concomitantium, & ſub-
ſequentium, cum Concilii Decretum, 91
quod ſtatuit præcisè contrahendi for-
mam, per equipollens adimpleri ne-
queat *Pirbingh. in Jus Canonic. lib.4.*
tit.3. num.7. verſ. Denique aliique plu-
res per *Urſay.*, ut ſupra, allegati;
quæ ſententia eſt adeo vera, ut opi-
nio contraria, quod nimirum pro va-
liditate Matrimonii Parochi præſentia
ſimpliciter phyſica, ſeu materialis ſuf-
ficiat, fuerit jam à tota *Sac. Congre-*
gat. Concil. 21. Cardinalium in *Roma-* 92
na Dubiorum Matrimonii ſub die 7.
Martii 1700. plenis votis merito re-
probata. Ceſſantibus igitur in Œco-
nomo enunciatis ſignis illius reſi-
ſtentiæ, ex quibus colligi potuiſ-
ſet ipſius diſſenſus præſtandi ſuam vo-
luntariam, atque moralem Matrimo-
nio præſentiam, qui reſiſtentiæ defe-
ctus ab initio, ſecuto eodem Matri-
monio, ſtatim à publica voce, & fa-
ma, & ab ipſomet Œconomi examine 93
ſatis apparuit, non temerè, & ſine
juſta cauſa de illius complicitate du-
bitavimus, & ad reſolvendum du-
bium Proceſſum Informativum omit-
tere non potuimus.

Nèc ſolus Œconomus ſuſpicari
contigit, quod, ex prædicto defectu
reſiſtentiæ, in dolo fuiſſet, ſed etiam,
quod ambo Teſtes ſpecialiter adhibiti,
quorum alter Famulus præfatæ Fœmi-
næ, alter vero Sacerdos ad hujuſmo-
di Matrimonium clandeſtinè contra-
hendum conſpiraverint. Cum enim
Sponſus ante Matrimonium ad Spon-
ſæ Domum quotidiè per longum tem-
poris ſpatium acceſſiſſet, inveriſimile
videbatur, quod nèc Famulus illos
unquam de hujuſmodi contrahendo
Matrimonio inter ſe habere ſermones
audiverit, nèc ipſi Contrahentes Sa-
cerdoti, qui frequenter in eadem do- 94
mo colloquia cum eiſdem habuerat, de
tali Matrimonio, cui tamquam Teſtis
ſpecialiter vocatus aſſiſtere debebat,
ullum antea verbum confidenter fe-
ciſſent.

Augebatur inſuper contra utrum-
què ſuſpicio, ex quo Teſtis ejuſdem
Fœminæ Famulus ipſamet die 25. Ju-
lii ante initum Matrimonium plures,
anxiaſque diligentias adhibuit ad re-
peri-

periendum prædictum Testem Sacerdotem, eumque repertum duxit ad domum suæ Dominæ, cum qua se contulit ad Ecclesiam Parochialem, & in ea, præter solitum, Œconomi Missam audivit, ibique permansit, donec, ea absoluta, Matrimonium initum fuit coram ipso., & Famulo
95 tamquam Testibus in eodem actu à Sponso nominatis, & deindè Sponsam ad prædictam domum suæ solitæ habitationis redeuntem associavit.

Stantibus igitur his conjecturis ex præcedenti fama post Matrimonium exortis, quæ si non ad condem-
96 nandum absque prævio illarum examine, ad inquirendum tamen viam aperiebant, nemo est, qui non videat, quod instruendus erat Processus ad eruendam, quantum fieri poterat, veritatem, illarumque valorem examinandum, ad hoc, ut Œconomus,
97 atque Testes, quatenus Rei punirentur, & quidem per Sententiam, quemadmodum circa Parochum advertit *Barbos. sup. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 1. de refor. Matrim. dicto num. 146.* = ibi = *Hæc suspensio non incurritur ipso jure, sed per Sententiam Judicis cognitione præmissa de delicto, undè supponitur delictum deductum ad forum contentiosum* = & comprobant *Pignattel. consult. 147. num. 19. tom. 4. Schmier in Jus Canonic., & Civil. lib. 4. tract. 3. cap. 5. sect. 5. §. 4. numero 205. tom. 3.* = ibi = *Parochus triennalem suspensionem ab Officio* PER SENTENTIAM JUDICIS *incurrit* =(quæ sententia sine probationibus ex Processu resultantibus emanari non poterat) sin minùs absolverentur ut innocentes, aut in dubio cum aliqua cautela à Jure præscripta dimitterentur, quemadmodum Œconomum tamquam non repertum culpabilem, cum seria tamen monitione dimisimus sine pœna suspensionis à Divinis arbitrio Ordinarii in locum triennalis suspensionis ab Officio (ab hoc enim uti simplex Œconomus post breve tempus, etiam sine culpa, secuta nempè electione novi Parochi, statim removeri debebat) quia ultra resistentiæ defectum, per quem non
98 cautus, & in suo munere deficiens apparuit, nil aliud contra ipsum probatum fuit, ex quo certè illius dolus, & malitia resultaret.

Urgentior è contra præsumptio complicitatis militabat contra Testes, siquidem Famulus non uti Testis, sed Socius Criminis sub formali examine constitutus fassus fuit, se sub prædicta die, antequam iniretur Matrimonium, vocasse Sacerdotem, non ut eidem Matrimonio assisteret tamquam alter Testis, (quod esse ineundum nèc sibi ullo modo tunc notum fuisse supposuit) sed tantum de mandato prædictæ Fœminæ ejus Dominæ sub prætextu, quo ipsa illius Missam eo die audire vellet, & licet in hac assertiva semper constantissimè permansisset, adhùc in aliis responsionibus ad inter- 99
rogatoria sibi ipsi contrarius evasit, qua stante contrarietate, per quam reddebatur vehementissimè de mendacio suspectus, cum ipsius carceratione fuit experiendus, qua non obstante, a prædicta assertiva recedere nolentem excarcerari mandavimus, etsi pro suis inter se pugnantibus, ac iteratis, affectatisque responsionibus majorem in Carceribus detentionem promeruisset.

Sacerdos autem ut Socius Criminis pariter examinatus deposuit, quod, ut supra, à Famulo requisitus ad celebrandam Missam replicaverit, se illam eo die in quadam particulari Ecclesia esse celebraturum, & quamvis in hoc cum dicto Famuli conveniret, nihilominus dubitandi causam de illius ingenuitate præbuit varietas suæ depositionis ab ea Famuli circa nonnullas circumstantias, necnon ejus accessus ad domum Sponsæ, licet ad illius commodum Missam celebrare non posset; associatio Sponsæ ad Ecclesiam Parochialem; ipsius mora in eadem Ecclesia, & quantumvis alibi ad peragendum Sacrum expectaretur, eò nihilominus protracta, 100
usquequò Sacrosancto Missæ Sacrificio per Œconomum absoluto, coram eodem scandalosè prædictum Matrimonium contraheretur, quo contracto, non solum ullum dedit displicentiæ signum, quod ita fuerit à Sponsa deceptus, sed potiùs illam ad ejus domum summa pace reassociare non dubitavit. His tamen validissimis Conjecturis non obstantibus, ambos ex hactenus de-

ductis

ductis ab ulteriori retentione Civitatis
pro tuto carcere sibi assignatæ liberavimus, eosque seriò dumtaxat monendos esse duximus, quia deficientibus
101 concludentissimis probationibus, per
conjecturas tantummodo regulariter
Delicta non præsumuntur *l. Merito ff. Pro Soc.*

Quod si ad examinandum Matrimonii valorem, & ad innocentiam, seu
reitatem Œconomi, & Testium relevandam necessarius fuit Processus, multò magis omitti non potuit ad perpendendas quoque facti circumstantias pro
102 condigna pœna Contrahentibus imponenda, & quidem ultra lethale peccatum, inspecto die Festo, quo fuit
initum Matrimonium; publicitate loci, scilicet Ecclesiæ Parochialis; maximo scandalo propter ingentem, &
insuetum Populi numerum eo die ad
audiendum Sacrum in ipsa concursum;
pessimo exemplo, quo tàm Adstantes, quàm Absentes ab Ecclesia propter nimiam facti notorietatem ad similia facinora perpetranda, maximè
si impunita, vel leviter punita remaneant, alliciuntur; defectu petitionis
licentiæ pro omittendis Denunciationibus, quæ eis, probato statu libero
præcipuè per Masculum, pro tempore prædictæ illius vagationis per varias Orbis Regiones, & justificata
gravi, & legitima causa, minimè denegata fuisset, attentaque Personarum conditione, quæ omnia ex Processu resultant, in enunciatam pœnam
pecuniariam, locis, usibusque Piis
applicandam condemnandos esse censuimus, eoque magis, quia in *Placentina* superiùs *allegata*, licet minores concurrerent circumstantiæ pro
exasperanda pœna, nihilominus, cum
in Synodalibus Constitutionibus contra Matrimonium Contrahentes absque Denunciationibus imposita fuisset
pœna spiritualis, & pecuniaria, prout
in *Synod. Diœces. Benevent. par. 1. tit. 37. cap. 6.* Excommunicationis videlicet, ac una simul scutorum *centum*
pro unoquoque Conjuge, ac in utramque pœnam præfatum Bartholomæum
Malaspina, Rosamque de Corvis Epi-
103 scopus condemnasset, & Excommunicationem substineri respondit, & prædictam pœnam pecuniariam non improbavit *Sac. Congregat. Concil. sub die 3. Februar. 1725. ad II. Dub.*

Nec obstat, quod Fœmina (ut
examinata deposuit) tribus diebus
Matrimonium præcedentibus per Epistolam Illmo, & Rmo D. Episcopo
tunc valetudinis causa Ruri degenti
directam se ab eo audiri petierit, ac
responsum habuerit, non convenire
quod nèc illa, quæ morbo adhuc ve- 104
xatam se ulterius esse affirmabat, illuc
se conferret, nèc quod ipse tunc temporis à Rure discederet, ut ex dicto
quoque responso *diei 22. elapsi Mensis Julii* apertè colligitur.

In asserta siquidem Epistola per
verba generalia exarata ullam penitùs
causam hujusmodi suæ petitionis adduxerat, ullamque mentionem fecerat neque de Matrimonio ineundo,
neque de licentia pro præmittendis,
seu omittendis Denunciationibus, &
consequenter conqueri non potest,
quod illi fuisset ullo modo vel impeditum, vel retardatum Matrimonium,
& quatenùs de illo tractatum habere
exoptasset, quod prælaudatus Præsul
divinare non poterat, non illicò, &
immediatè, sed tempore decernendo
id agendum erat domi ejusdem Fœminæ, prout ipsa necessitatem adducens = *Di communicare a V.S. Illma, e Rma un particolare, ma premurosa bisogno* = in eadem Epistola expresserat = ibi = *Si degni accennarmi in qual tempo sia per favorirmi* = quamvis hoc
re vera non ad verecundiam, & modestiam Mulieris, sed ad Virum po- 105
tius pertinebat *Can. Honorantur 32. quæst. 2.* = ibi = *Non est enim virginalis pudoris eligere Maritum &c. & non solum Virgines, sed etiam si qua Mulier amisso citò Marito adolescentula in laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult nubere, nubat tantum in Domino, ita ut electionem Mariti Parentibus deferat &c. expetita enim magis debet videri a Viro, quam Virum ipsa expetisse* = cui tamen
ab hoc Sapientissimo Antistite qualibet ad hoc licentia concedi non potuisset, nisi docto, ut diximus, de gravi, & legitima causa, eorumque statu libero per Virum maximè ex prædicto

dicto motivo ſuæ vagationis ictu oculi, ſeù etiam tribus diebus, qui poſt dictam Epiſtolam, atque reſponſum præceſſere Matrimonium nedum diffi-
106 cillimè, ſed impoſſibiliter comprobando.

Minuſque refragatur, quod quomodocumque ſe res habeat, per alios Superiores ſimiles Delinquentes abſque ullo Proceſſu, ullaque pœna fuerint abſoluti, nam quidquid ſit de hujuſmodi aſſertiva, quæ certè veritati conſona non videtur, Nos ad tramites Juris noſtri regulas ab exemplis judicandi normam deſumere non deben-
107 tes *leg. Nemo Judex Cod. de Sentent. & interlocut. Barboſ. axiom.*86. *n.*3. *Gob. conſult.*116. *n.*56. *Palm.dec.*376. *n.*87. *Rot. dec.*484. *n.*21. *par.*4. *tom.*2. *rec.* præ oculis tantum habuimus *Sacri Concilii Tridentini* præceptum in *dicto cap.*1. *Seſſ.*24. *de reformat. Matrim.* ubi expresſè cavetur, quod clandeſtinè Contrahentes *graviter* Epiſcopi ar-
108 bitrio puniantur = ibi = *Nèc non ipſos Contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit* = tantoque magis illius mandatis perNos omninò parendum eſſe cenſuimus, quia adeo à Clandeſtinis Matrimoniis abhorret Eccleſia, ut ſi Judex Eccleſiaſticus non condignè puniat clàm Contrahentes, levique pœna puniti remaneant, poſſit eos Judex Laicus iterum punire, perindè ac ſi numquam puniti
109 fuiſſent *Sanch. de Motrim. lib.*3. *diſput.*54. *num.*7., & quod magis urget pœnam Contrahentibus remittere non debuimus, ne Nos quoquè cum ipſis apud Deum rei culpæ lethalis efficeremur, ex relatis namque *Tridentini*
110 verbis DD. inferunt *gravitèr peccare Ordinarium Clandeſtinè Contrahentes non punientem*, inter quos *Sanch. de Matrim. lib.*3. *diſput.*46. *num.*6. *& ſeqq.*

Nullatenus relevante, quod id procedere poſſit dumtaxàt contra tentantes inire Matrimonia Clandeſtina, quæ per Sac. Concilium jam declarata ſunt nulla; Potius enim cum agatur de Matrimonio Clandeſtino *valido*, & propterea de graviori delicto, quam ſit illud, quod ab iis committitur, qui Matrimonia Clandeſtina primæ, & ſecundæ ſpeciei jam per Tridentinum irritata contrahere præſumunt per ea, quæ diximus in ſuperiori §. *Rigidiſſimè, & ſeqq.*, gravius proinde Ma- 111
trimonia Clandeſtina tertiæ ſpeciei contrahentes ſunt puniendi, & gravius conſequenter Ordinarius peccat, quatenus illos impunitos relinquat; & optimo quidem Jure, nam hæc Ordinarii facilitas, ſeù potius oſcitantia, fomentum præberet eorum malitiæ, qui, ſi non horrore peccati, ſaltem formidine pœnæ ſe abſtinent à ſimilibus Matrimoniis penitus extirpandis, vel ſaltem totis viribus impediendis, quo- 112
niam ex iis maxima non ſolum oriuntur ſcandala, ſed ut plurimum odia, diſſenſiones, lites, aliaque ſimilia inter Conſanguineos Contrahentium, quorum ſæpe fœdantur Familiæ iiſdem vetitis Matrimoniis, quæ non ſemel 113
infelicem aſſequuntur eventum, quemadmodum advertit *Vaneſpen. in Jus Eccleſ. Univerſ. par.*2. *tit.*12. *cap.*6. *num.*2. = ibi = *Hi quidem Ritus &c. quia ab Eccleſia inſtituti ſunt, Matrimonio benedictionem accerſere ſolent, & eorum temeraria omiſſio, & prophanus contemptus maledictionem in ipſos Contrahentes, ipſumque Matrimonium non raro accerſere* =

Si ergo Ordinarius graviter peccat impunitos relinquens taliter Contrahentes, qui ſæpe nec Divinam ef- 114
fugere valent ultionem omittendo Proclamationes Matrimonio præmittendas tàm ex diſpoſitione *Text. in* 115
Cap. fin. de Clandeſtin. Deſponſat. & Sac. Concil. Trident. quàm ex antiquo more Eccleſiaſtico jam tempore *Ter-* 116
tulliani uſitato *Bohemer. in animadverſ. ad Fleury inſtit. Jur. Eccleſ. par.*2. *cap.*6. §.3. *lett.Z.*, nec non contemnendo ſubſequentem Sacerdotalem Benedictionem juxta vetuſtiſſimum Eccleſiæ inſtitutum, quod etiam 117
tempore Evaristi PP., qui vixit *Anno Chriſti* 97., ſervatum eſſe deſumitur ex *Can. Aliter.* 30. *Quæſt.*5. & ſervandum eſſe præcipiunt *Concil. Tridentin. Seſſ.*24. *cap.*1. *de reformat. Matrimon. Concil. Londinen. ann.*1175. *cap.*17. *Concil. Colonien. ann.* 1536. *par.*7. *cap.*44. Si ad Catholicorum confuſionem apud ipſos Hereticos, qui nèc

nèc Concilio Tridentino, nèc aliarum Synodorum decretis se subjectos esse contendunt, pro validis Nuptiæ minimè habentur, nisi trina proclamatio
118 præcedat, ut cum *Simon. Van Luvven I. C. Batavo in sua Cens. forens. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. *&* 2. testatur *Vanespen. in Jus Eccles. univers. par.* 2. *tit.* 12. *cap.* 3. *num.* 26. & contra conscientiam peccare tenent, qui negli-
119 gunt cæremoniam Sacerdotalis Benedictionis, ut videre est apud *Brunneman. de Jur. Eccles. lib.* 2. *cap.* 16. §. 6. *& in addit. ad eumd.* §. 6. nil mirum, si vigilantissimi Præsules pati minimè possint, quod impuniti hujusmodi Delinquentes evadant, quatenus *pro iis quoque rigorosissimam apud Supremum Judicem rationem sunt reddituri*, sed crescente Hominum quotidie malitia, ad hanc refrænandam expedire arbitrentur, ut pœna per ipsos potiùs augea-
120 tur, quemadmodum in proposito monet *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *disput.* 46. *num.* 9.

Perperam tandem conquerebantur, quod, inito Matrimonio, fuisset illis cohabitatio interdicta, & per longum tempus causa conficiendi Proces-
121 sum retardata; Hæc etenim prohibitio ad præscriptum Sac. Canonum in *Can. Sive* 33 *quæst.* 2. *Cap. Super eo de Cognat. Spiritual. Cap.* 2. *& Cap.* 3. *de Clandest. Desponsat. Cap. Cum locum de Spons. & Matrim.* nequaquam omitti potuit *Fagnan. In Cap. Literæ num.* 1. *de Matrim. contrah. contr. Interdic. Eccles.*, & quidem duratura saltem per Mensem *Ciarlin. controv. lib.* 2. *contr.* 131. §. *fin. Clericat. Ereotemat. Eccles. cap.* 144. *sub num.* 17. *Chartar. decis. Crimin.* 22. *n.* 16. maximè quia ante Matrimonii consumma-
122 tionem Denunciationes suppleri debebant, ut declarasse *Sac. Congregat. Concil.* affirmat *Marta de Jurisdict. part.* 4. *centur.* 1. *cas.* 71. *num.* 15. *Vanespen. in Jus Eccles. Univers. par.* 2. *tit.* 12. *cap.* 3. *num.* 18. itaut quoties sine præmissis malitiosè Denunciationibus cohabitassent, simulque habuissent usum Matrimonii, toties lethale peccatum commisissent *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *disput.* 11. *num.* 5. *Barbos. de offic.*, *& potest. Episc. allegat.* 32. *num.* 3. Idemque dicendum quando conceditur dispensatio dumtaxat ne Denunciationes ex justa causa præmittantur (non vero ad consumandum sine illis) quia Concilium eas demandat ad detegenda impedimenta, si quæ sint, & ad vitandam fornicationem, quatenus Matrimonium esset nullum, ob latens impedimentum, cumque agatur de materia gravissima, ac de lege prohibitiva sub mortali, ea semper obligat, quamvis in aliquo casu constaret nullum subesse impedimentum *Barbos. de offic. & potest. Episcop. allegat.* 32. *n.* 4., quia lex fundatur in periculi præsumptione, ut totidem ferè verbis tradit *P. Paul. Hieronym. à S. Helen. in Medull. Theol. PP. Salmaticen. tract.* 15. *cap.* 3. *n.* 50. Certòque certius in casu, in quo Masculus Romæ, Venetiis, Bononiæ, aliisque in locis tempore habili ad contrahendum Matrimonium moram traxerat, nullamque status liberi prò se probationem tunc exhibere potuerat, qui præterea probationis defectus, quam, inito clandestinè Matrimonio, per longum temporis spatium facere neglexit, quia paucis ab hinc diebus tantummodo à Sacra Suprema Inquisitione facultatem supplendi prædictæ probationi cum ejus Juramento reportavit, fuit una ex causis, cur illorum cohabitatio diutius suspensa remansit, non verò Processus infra 28. dies, hoc est die 22. elapsi Mensis Augusti absolutus cum assignatione eisdem facta consuetì termini ad suas faciendas defensiones, quas usque ad diem 24. præteriti Mensis Septembris eorum culpa, & contumacia dilatas alteram fuisse causam ulterioris moræ etiam visu carentibus satis apparet.

Et ita Promotore Fiscali, & Procuratore Sponsæ informantibus,

ADDITIONES

☞ *Ad magis, magisque confirmandas nonnullas Sententias in præmissis Votis jam stabilitas, sequentes Additiones duximus adnectendas.*

ADDIT. I.

An affectante Parocho non audire verba, vel non videre nutus Contrahentium, Matrimonium sit validum.

SUMMARIUM

128 *Nesciens ex quo noluit scire habendus est pro sciente.* *Declara* ut n. 168.

130 *Validum est Matrimonium contractum coram Parocho, licet invito, & reluctante.*

131 *Etiamsi Episcopus illi prohibuerit interesse Matrimoniis.*

132 *Parochus assistit Matrimonio jure proprio, non ex delegatione.*

137 *Præsentia Parochi in Matrimoniis est necessaria sub pœna nullitatis*, & n. 161.

138 *Nullum est Matrimonium, si ex quocumque motivo Parochus de eo testificari non possit.* *Declara* ut n. 172. §. Post hæc.

141 *Parochus tenetur prohibere, & quantum in se est positivè resistere Clandestinis Matrimoniis*, & n. 145. 152. 158. 170.

142 *Parochus non peccat, nèc male facit tentando fugam, claudendo oculos, & aures obturando ad impediendum Matrimonium Clandestinum*, & n. 146.

144 *Validum non est Matrimonium, si Parochus affectet non audire verba, nèc videre nutus Contrahentium, quatenus illa verè non audiat, neque hos videat*, & n. 148.

154 *Validum non est Matrimonium, si Parochus ex impotentia naturali, sive accidentali non audiat verba Contrahentium, seu non videat illorum nutus; Secus si verba audire, vel nutus videre nolis data opera.*

Imo quod in utroque casu invalidum sit Matrimonium ibid. n. 157., & seqq.

155 *Non est in potestate Parochi impedire celebrationem Matrimonii per affectatam non intelligentiam.*

Distingue ut n. 157.

156 *Parochi præsentia in Matrimoniis requiritur ad evitandam Clandestinitatem.*

159 *Clandestinè contrahentes Matrimonium mortale peccatum cum Sacramento conjungunt, ideo sunt impediendi.*

166 *Parochus non audiens verba Contrahentium, aut non videns illorum nutus nullum Testimonium ferre potest circa validitatem Matrimonii*, & n. seq.

171 *Duo Testes interessentes Matrimonio non faciunt plenam fidem sine testimonio Parochi*, & n. seq.

Recens Decretum Sac. Congregationis Concilii approbans Matrimonium contractum coram Parocho Fœminam videre nèc audire volente ibid. §. Post hæc.



Controversia est inter DD., an affectante Parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestinè (hoc est sine præcedentibus tribus Denunciationibus) contrahere Matrimonium, & verè illos non vidente, vel eorum verba non audiente, Matrimonium validum sit pronunciandum.

Sententiam affirmativam inter alios tuentur *Fagnan. in Cap. Quoniam* 13. *num.* 25. *de Constit. & in Cap. Quæsitum est* 7. *num.* 7. *de Pænit. & remiss.* ubi refert *Sacram Congregationem* declarasse *validum esse Matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & per vim adhibito, quam-* 128

quamvis nihil eorum, quæ agebantur, vidit, & intellexit, si affectavit non intelligere, ut in Parocho, qui obturavit aures suas, ne audiret = & pariter *Pontius de Matrim.lib.*1.*cap.*25. *sub num.*12. *Boss. eod. tract. cap.*3. *num.*22. *Leander.Oper. Moral. tom.*2. *tract.*9. *disput.*7. *quæst.*50. *Natal. ab Alex. in Theol. Dogmat. tom.*6. *regul.* 10. *in fin. fol.*494. quos refert, & sequitur *Rot. in Romana Matrimonii* 4. *Febr.*1697. *cor. Ursino*, ubi tenet, quod cum non intelligentia Parochi ab ipsius Parochi positivo facto procedat, ideo dum ipse causam dedit, quominus intelligeret, de jure habendus sit pro intelligente, quia nesciens ex quo noluit scire, vel affectavit nescire, habendus est pro sciente *ad Text. in Cap. Cum inhibitio* 3. §. *Si quis vero de Clandest. Desponsat.*, ibique eadem *Rota* subjungit, quod eo magis inclinarunt DD. in hanc Sententiam, ex quo ipsamet *Sac. Congregatio Concilii Tridentini interpres* tàm antiquis, quàm modernis temporibus eidem Sententiæ adhæsisse videtur, & signanter in responsis, quæ data fuerunt *Episcopo Giennensi anno* 1581. & relata habentur *lib.*3. *Decretor. pag.* 59. *& seq.* Episcopo namque prædicto Ecclesiæ suæ statum referenti, & nonnulla dubia discutienda proponenti, quorum hoc I. fuit = *Utrum prohibitione facta ab Ordinario, ne Parochus aliquos desponsaret, ita tollatur Jurisdictio ipsius Parochi, ut ad contrahendum Matrimonium contra talem prohibitionem non sit legitimus Parochus* = hæc fuit data responsio = *Valere Matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat* = II. = *Utrum Matrimonium, in quo intervenerit Vicarius Parochi non invitus, sed volens contra prohibitionem tantum Ordinarii, sit validum, vel potius invalidum, quia non intervenit Sacerdos habens Jurisdictionem, cum sit sublata ab Ordinario* = II. = *Esse validum* = III. = *Si invitus, & compulsus per vim adsit Sacerdos, dum contrahitur Matrimonium præcedente, vel non præcedente dicta prohibitione, utrum tale Matrimonium subsistat* = III. = *Subsistere* = IV. = *Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale Matrimonium validè contrahatur, vel potius, tamquam sine Sacerdote, nullius sit ponderis, & momenti* = IV. = *Non valere, si Sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere* = V. = *Si adsit Sacerdos, dum contrahitur Matrimonium, casu non cogitans se esse ad id vocatum, sed aliud agens, audit duos inter se contrahentes Matrimonium, utrum sit validum tale Matrimonium, in quo fuit præsens, non tamen certioratus, nèc ad id expressè vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto, vel facto, vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per Concilium requiratur, & non nuda, vel casualis præsentia* = V. = *Valere, etiamsi Parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum* = & similiter in una *Ulixbonen.* = ibi = *Congregatio censuit, si vera sunt, quæ narrantur, & Parochus affectaverit non intelligere, Matrimonium valere* = itemque in una *Sarzanen.* 16. *Febr.* 1645. in qua omissæ fuerant Denunciationes, & Parochus resistens audivit tantummodo verba consensus præstiti per Sponsum, dum Sponsam præ manibus habebat, & nihilominus = *Congregatio censuit Matrimonium sustineri, etiamsi Parochus non intellexerit verba Sponsæ, dum tamen de illius consensu ex aliis signis, juxta Juris Communis dispositionem legitimè constet* = & pariter *in Patavina* 16. *Maii* 1699. *& in Tolentina* 18. *Novembris* 1671. *& in Venetiarum, seù Vicentina* 11. *Martii* 1673., in quibus omnibus resolutum legitur Matrimonium valere, etiamsi Parochus verba alterius ex Contrahentibus non audierit, vel quia affectaverit non intelligere, vel quia ex quo terga vertit, non auscultaverit, vel quia propter iram, aut rumorem, vel quid simile audire non potuerit, ut videre est in præcitata *Rotæ decisione* impressa apud *Ursay. discept. Eccles. tom.* 1. *par.* 2. *discept.*2. *num.*11.12. *&* 13. in qua referuntur prælaudata Sac. Congregationis Decreta; idemque notat *P. Paulus*

Jus Hieronym. à S. Helena in Medull.
Theolog. PP. Salmaticen. tract. 15.
*cap.*3. *num.*48. & recentius firmavit
Rot. in Majoricen. Matrimonii 3. *Ju-*
lii 1748. *coram* R.P.D. Canilliac, ubi
quod si Parochus præsens sit, licet re-
pugnet, simulet non audire, fugiat,
increpet, faciat quod lubet, satis est
esse præsentem, & deinde accessit pro
validitate consimilis Matrimonii aliud
quoque Decretum *Sac. Congregatio-*
nis Concilii in Nicien. Matrimonii
27. *Martii* 1751.

Negativam autem sententiam,
quam & Nos in præcedenti *Vot. X.*
*num.*81. *& seqq.* libentèr amplexi su-
129 mus, verius sustinent innumeri classici
Doctores tùm Theologi, tùm Cano-
nistæ, & præcipuè *Pirhing. in Jus*
*Can. tom.*4. *tit.*3. §. 3. *num.*2. *Anaclet.*
*Reiffenstuel. ibid. num.*106. *Engel. ibid.*
sub num. 14. *Pignattell. consult.* 133.
*num.*35. *tom.*9. *Cabassut. Notit. Eccles.*
*Notit. ad Concil. Trident. num.*55. *&*
*in Prax. Jur. Canonic. lib.*3. *cap.* 26.
*sub num.*12. *Sanchez de Matrim. lib.*3.
*disput.*39. *sub num* 6. *Dicastill. de Ma-*
trim. tract. 10. *disput.* 19. *num.* 167.
*Tancred. de Matrim. lib.*3. *disput.*39.
*num.*2. *Marchant. in Tribunal. Sacra-*
ment. de Matrim. tract. 1. *tit.*7. *q.*5.
*conclus.*2. *vers. Dices, Rosignol: in prax.*
Theologic. legal. tit. de Matrim. 1. *præ-*
*not.*32. *sub num.*5. *Monacell. in For-*
*mular. tom.*3. *tit* 2. *annot. ad form.* 5.
*num.*6. *& seqq.*, *Panimoll. annot.*1. *ad*
decis. 19. *num.* 31. *vers. Vel ab Altari*
fugam arripiat, & alii quamplurimi
usque ad numerum *bis centum & ultra*
tàm Theologi, quàm Canonistæ relati
per *Ursayam Discept. Eccles. tom.* 1.
*par.*2. *discept.*1. *num.*129. *& seqq. &*
*discept.*2. *num.*34. *&* 106. *& seq.*, *&*
*tom.*3. *par.* 1. *discept.* 1. §. 4. *num.* 2,
& seqq.

Hanc autem sententiam Nos qui-
dem sequuti non sumus sub cœca fide
prælaudatorum Doctorum, sed quia
illam vivæ rationi innixam invenimus;
Etenim non impugnamus validum esse
130 Matrimonium contractum coram Paro-
cho etiam invito, & per vim adhibito
prout docet *Fagnan. in d. Cap. Quo-*
niam 13. *num.* 25. *de Constit. & in d.*
Cap. Quæsitum est 7. *n.*7. *de Pœnit. &*
remiss. Validum quoque esse fatemur
quamvis Episcopus eidem Parocho fa-
cultatem assistendi Matrimoniis inter-
dixerit, quia Parochus ex *Concilio* 131
Tridentino Sess. 24. *de reformat. Ma-*
*trim. cap.*1. jure proprio, & non ex
aliena facultate, seu delegatione hanc 132
assistentiam præbet argum. *l. More*
majorum 5. *ff. de Jurisdict. omn. Ju-*
dic. = ibi = *Qui eam jure suo, non alie-*
no beneficio habent = & hæc est com- 133
munis Doctorum opinio, ut testatur
*Reiffenstuel. in Jus Canonic. lib.*3. *tit.*3.
*num.*72. sed si assistentiam præstet, vel
assistere invitus cogatur, & utriusque
Contrahentis consensum verè non in- 134
telligat, Matrimonium validum de-
clarari non posse opinamur cum *Bar-*
*bos. sup. Conc. Trident. sess.*24. *cap.*1.
*num.*73. *& seqq.*, quique contrarium
sentiunt, vel æquivoco decipiuntur, 135
vel solam præsentiam materialem, si-
ve physicam Parochi sufficere malè
arbitrantur.

Decipiuntur æquivoco, qui non
intelligentiam veram cum non intelli-
gentia affectata, & ficta confundunt,
maxima namque intercedit differentia
inter eum, qui affectat, idest simulat
aliquid agere, quod verè non agit, 136
aut aliquid non agere, quod verè
agit, & eum, qui non simulat, ne-
que affectat, sed verè, & propriè, &
cum effectu agit, quod agit, vel non
agit, quod verè non agit, aut non
intelligit, quod verè non intelligit.
Primus enim fingit, & de eo, quod
fingit, pro veritate tuta conscien-
tia testificari potest, non autem
alter. Quoties igitur Parochus non
affectat, neque fingit obturare aures,
sed verè aures obturat in modum,
quod Sponsorum verba audire ne-
queat, & terga vertit, aut oculos clau-
dit, ut ne quidem Sponsos videre pos-
sit, nullo modo neque de verbis, ne-
que de nutibus Contrahentium testi-
ficari valet, ad quem effectum sub
pœna nullitatis illius præsentia præ- 137
scribitur a *Sac. Conc. Trident. d. cap.*1.
sess. 24. *de reformat. Matrim.*, undè
hujusmodi Matrimonium tamquam
deficiens in forma substantiali, in uno
scilicet ex tribus Testibus a Concilio
pro forma requisitis, nullum remanet

in radice; Quod verum est sive volun-
tariè, sive ex quocumque alio motivo
138 Parochus de contracto Matrimonio
testificari non possit *Ursaya discept.*
Eccles. tom.1. par.2. discept. 2. n.113.
& seqq.

Secus autem si Parochus affectat,
fingit, aut simulat claudere oculos, &
obturare aures, sed verè ad illas, aut
139 ad illos applicat manus, & impedimen-
tum, sed non obturat, ita ut videat
nihilominus nutus, & intelligat, ac
audiat verba Contrahentium, in quo
sensu intelligenda sunt allegata *Decre-*
ta Sacræ Congregationis, in quibus ea-
dem *Sac. Congregatio* censuit eatenus
esse valida Matrimonia contracta co-
ram Parochis affectantibus, contradi-
centibus, fugientibus, & oculos, vel
aures claudentibus, quatenus, his non
obstantibus, perfectissimè Contrahen-
tium voluntatem perceperunt, &
quamvis consultò, & data opera fin-
xissent non intelligere, ac percipere,
revera tamen intellexerunt, & perce-
perunt mutuum actualem Contrahen-
tium consensum, ut solidè, & clarè
probat *Ursaya discept. Eccles. tom.1.*
*par.2. d. discept. 2. num.*169.186.187.
189. 239. 240. 243. ubi refert verba
dictarum Resolutionum in *Giennen.*,
Ulixbonen., *Sarzanen.*, *Patavina*,
Tolentina, *& Venetiarum*, *seu Vi-*
centina, in quem eumdem sensum
varias *Sacræ Congregationis Concilii*
resolutiones allegat, & intelligit
Bonacc. Theol. Mor. tom. 1. de natur.
& propriet. Matrim.quæst.2. punct.8.
num. 23. idemque sentiunt *Ledesma*
in 3. par. D.Thomæ quæst.45. artic.5.
*pag.*201. *vers. Quo posito Gonzalez ad*
reg.8. Cancell.gloss.48. num.7. Pignat-
*tell. consult. 79. num.*19.*tom. 5. Jorius*
de Matrim. par.4. quæst.7. de Paroch.
*num.*8. *Rodriquez in Summ. cap.* 218.
num. 18. *De Justis de dispensat. Ma-*
*trim.lib.2.cap.*19. *num.*98. pluriesque
resolvit *Sac. Congregat. Concil.* & si-
gnanter *in Mediolanen.*15. *Decembr.*
1629. *& in Brugnat.*16. *Martii* 1630.
*& in Comen.*2.*Junii* 1674. *& in Ru-*
*remunden.*23. *Augusti* 1681. apud *Ur-*
sayam discept. Eccles. tom.1. par. 2.
*discept.2.num.*109. & hunc esse verum,
& germanum sensum resolutionum
Sac. Congregationis Concilii circa Pa-
rochi affectationem, & veram ejus
intelligentiam latè demonstrat idem
Ursaya tom.3. par.1.discept.1. § 14.*per*
tot., ubi plurimas allegat auctoritates,
& valida fundamenta deducit.

Laborant autem in falso supposi-
to, qui arbitrantur, quod in dictis
casibus Parochi verè non audientis
verba, vel verè non videntis nutus
Contrahentium, sufficiat sola ipsius
Parochi præsentia physica, seu mate-
rialis; Talis enim opinio, ut diximus
in præmisso *Vot.X. num.*92., reprobata
fuit *a Sac. Congregatione Concilii in* 140
Romana Dubiorum Matrimonii 6.
Martii 1700., cui cum fuerint de man-
dato S.M. INNOC.XII. *die* 10. *Januar.*
1699. proposita infrascripta Dubia =
I. *An Parochus teneatur prohibere, &*
quantum in se est positivè resistere
Clandestinis Matrimoniis, *& quate-* 141
nus affirmativè. II. *An ob inopina-*
tum casum, deficientibus aliis mediis
prohibendi, *& resistendi*, *peccet*, *vel*
malè faciat Parochus tentando fugam, 142
claudendo oculos, *& aures obturando.*
III. *An Parochi præsentia*, *de qua*
loquitur Sacrum Concilium in 2. par. 143
cap.1. Sess. 24. *de refor. Matrim. cum*
illis verbis; = *Qui aliter quam præ-*
sente Parocho &c.=debeat esse moralis
humano modo, *cum advertentia*, *ita*
ut possit esse testis Matrimonii actuali-
ter, *& de facto contracti*, *non vera*
voluntatis contrahendi, *vel sufficiat*
potius sola præsentia physica, *& ma-*
terialis. IV. *An affectante Parocho*
non audire verba, *vel non videre nu-*
tus attentantium clandestinè contra-
here Matrimonium, *& re vera illa* 144
non audiente, *vel istos non vidente*,
validum sit Matrimonium coram ipso
attentatum = re maturè discussa *Die*
6. *Martii* 1700. *Eadem Sac. Congrega-*
tio Concilii, *reprobata opinione*, *quod*
sufficiat præsentia Parochi purè physi-
ca, *seu materialis*, *censuit providen-*
dum esse in casibus particularibus =
quemadmodum refert prælaudatus
*Ursaya tom. 1. par.2.discept.2.num.*20.
*& seq. & num.*258. *& seq. & n.*279.
& seq. qui præterea *in eodem discept.*
*a num.*25. *ad* 29. primum ex quatuor
allatis Dubiis resolvendum esse existi-
mat

mat cum plurimis Doctoribus *Affirma-*
tivè per text. expressum *Generalis*
145 *Concilii Lateranensis* relat.in *Cap.Cum*
inhibitio 3. §. *Sanè de Clandest. de-*
sponsat. = ibi = *Sanè si Parochialis Sa-*
cerdos tales Conjunctiones PROHIBERE
CONTEMPSERIT *aut quilibet etiam Re-*
gularis,qui eisdem præsumpserit inte-
resse , per triennium ab officio suspen-
datur , gravius puniendus , si culpæ
qualitas postulaverit = quæ Concilia-
ris sanctio fuit expresè renovata per
*Concil. Trid. Sess.*24. *de reform. Ma-*
*trim. cap.*1. *post princ.* Ad secundum
verò Dubium *a num.*30.*ad* 32.respon-
dendum esse substiuet *Negativè* , quia
ut Parochus evitet pœnam , & morta-
le peccatum impediat , quocumque
possibili modo Clandestinis Matrimo-
niis resistere tenetur, undè aliis modis
deficientibus , bene facit , si fugam
146 tentet , oculos claudat , & obturet
aures , idque firmat allegando ferè
omnes classicos Doctores , necnon
*Rot. decis.*124. *num.*17. *par.* 7. *& de-*
*cis.*122. *num.*4. *par.* 8. *recen. & de.*
*cis.*431. *num.* 5. *coram Royas* atque
Sac. Congregationis Decretum in Co-
men. Matrim. 2. *Julii* 1675. *lib.* 28.
*Decret. pag.*312. Circa verò Tertium
dubium respondendum esse arbitratur
negativè quoad primam partem , *affir-*
mativè quoad secundam , ostendens
*a num.*33. *ad* 101. cum innumeris Do-
ctoribus , variisque Decisionibus , ac
Juribus , quod ad validitatem Matri-
monii requiritur præsentia Parochi
moralis humano modo , ejusque na-
turæ , & advertentiæ , ut testificari
possit de Matrimonio actuali de facto
coram ipso contracto , nullimodè suf-
147 ficiente ejus præsentia purè physica, seu
materiali , ut pluries censuit *Sac.Con-*
gregatio Concilii , & præcipuè in *Lau-*
den. Matrimonii 28. *Julii* 1678. in
qua nullum declaravit Matrimonium
coram Episcopo materialiter , & phy-
sicè præsente contractum , & novissi-
mè in *dicta Romana Dubiorum Matri-*
monii 6. *Martii* 1700. in qua ut vidi-
mus , *absolutè reprobavit opinionem,*
quod sufficiat præsentia Parochi purè
physica , & materialis . Tandem ad
quartum , seu ultimum Dubium, plu-
148 ribus adductis solidis rationibus , De-
cisionibus , & Auctoritatibus *negativè*
respondendum esse *a num.* 103. *usque*
ad finem constantissimè tenet .

Quin obstent duæ, quæ solent
allegari Resolutiones *Sac. Congrega-*
tionis Concilii , altera nempe *in Ro-*
mana Matrimonii 6. Augusti 1706.
& altera in Amerina Matrimonii
15. *Decembr.* 1714. *&* 12. *Januar.*
1715. quasi quod eadem *Sac. Congre-*
gatio recedendo a prioribus aliis reso-
lutionibus , & præcipuè a *d. Romana*
6. *Martii* 1700. tam in prædicta *sub-*
sequenti Romana , quam in alia *Ame-*
rina fuerit in sensu , ut sola materia-
lis præsentia Parochi pro Matrimonii
validitate sufficiat, non obstante facto
Parochi verba Contrahentium audire
nolentis . Eatenus enim *Sac. Congre-*
gatio in prædictis duobus casibus Ma-
trimonium esse validum declaravit,
quatenus Parochus finxit , & affecta-
vit non intelligere , nèc percipere, sed 149
re vera intellexit , atque percepit
mutuum , & actualem Contrahentium
consensum, ut observat præcit. *Ursaya*
*tom.*1. *par.*2.*d. discept.*2. *num.*145. *&*
seqq. Cæterum nunquam præsumen-
dum venit , quod *Sac. Congregatio*
recedere voluerit ab allegata Resolu-
tione in *Romana 6. Martii* 1700. in
qua præter solitum interfuere 21. Emi
Cardinales videlicet DD. Cardinales 150
Bullionus , Acciajolus , de Carpineo ,
Petruccius , Colloredus , Cantelmus,
De Judice , Morigia , Tanara , Cin-
cius , S. Clementis , Sacripantes Præ-
fectus , Noris , Pauluccius , Radolo-
nicus , Sperellius , Gabriellius , Bi-
chius , Franciscus Barberinus , de Al-
teriis , & S. Cæsarei . Firmum igitur
remanet, quod *Sacra Congregatio Con-*
cilii declaravit quidem valida Matri- 151
monia contracta coram Parochis affe-
ctantibus, seu fingentibus non audire
verba , vel non videre nutus Contra-
hentium , sed in rei veritate illa au-
dientibus , & nutus videntibus , quo
casu si Parochus præsens est , licet re-
pugnet , simulet non audire , fugiat ,
increpet , faciat, quod lubet , satis est
esse præsentem , quia nihilominus au-
dit , aut videt , & de verbis auditis,
vel de nutibus visis ferre potest cer-
tissimum testimonium , obturando nam
au-

aures, vel claudendo oculos finxit apponere oculis, auribusque impedimentum, sed vere, & realiter non ita apposuit, ut non audiret, vel non videret, & in hoc sensu intelligenda venit etiam *Rotæ decis. in d. Majoricen. Matrimonii 3. Julii 1748. cor. R.P.D. Canilliac.* & recens Decretum *Sacr. Congregat. Concil. in Nicien. Matrimonii 17. Martii 1751.* Nunquam vero pro validis habuit ea Matrimonia contracta coram Parochis ex virtuosa,
152 ac commendabili advertentia, & promptitudine in exequendo dispositionem *Generalis Concilii Lateranensis cap. 51.* relat. in *dict. Cap. Cum inhibitio 3. §. Sanè de Clandest. desponsat.* confirmatam *a Sac. Concil. Trident. Sess. 14. de reform. Matrim. cap. 1. post princ.* non affectantibus, seu fingentibus non audire verba, vel non videre nutus Contrahentium, sed talibus verè, &
153 realiter apponentibus impedimentis, ut eorum oculi reipsa nutus, aut signa non videant, ac eorum aures in rei veritate non audiant mutuum Contrahentium consensum.

Nullatenus attenta distinctione inter Parochum præsentem, & ex vi naturalis, vel accidentalis impotentiæ non audientem verba, aut signa mutui consensus non videntem, & Pa-
154 rochum præsentem quidem, sed nolentem, & studiosè, & voluntariè affectantem non audire eadem verba, aut signa videre; Primo enim casu admittitur, quod materialis, seu physica Parochi præsentia non sufficiat ad Matrimonii validitatem; secundo verò casu, quod materialis præsentia satis superque sit, ac sufficiat, quod audiverint, vel viderint alii duo Testes, si Parochus audire, aut videre noluit, cum posset, cum non sit in cujusque Parochi potestate Matrimoniorum celebrationem impedire per
155 suam voluntatem, & affectatam non intelligentiam, nam *Concilium Tridentinum* præsentiam Parochi requisivit ad tollendam Clandestinitatem
156 actus, ideòque sufficit, quod sit præsens, etiamsi verba audire, aut nutus videre recuset.

Etenim non impugnamus, quod Parochus per affectatam non intelligentiam impedire nequeat effectuationem Matrimonii, ejusque validitatem, ut jam præmisimus, sed tantummodò opinamur, quod illud nullum remaneat quoties non affectat, aut fingit non audire, vel non videre, sed verè, & realiter non videt, nèc audit non tantum ex impotentia naturali, seù ac- 157
cidentali, verum etiam ex facto proprio, quia obturet aures, vel oculos claudat, aut terga vertat. Nèc repugnat, quod si his modis adhibitis nullum redderet Matrimonium, in ejus potestate consequenter esset impedire Matrimonium clandestinè attentatum, tùm quia ad hoc illum impellit præce- 158
ptum sæpedicti *Concilii Lateranensis relat.* in *Cap. Cum inhibitio 3. §. Sane de Clandest. desponsat.* cujus verba *num. 145.* supra retulimus, tùm quia non in solius Parochi in vim mox præcitati *text. §. Sane*, sed in cujuslibet Catholici potestate est, quantum fieri potest impedire, ne uniatur mortale peccatum cum Sacramento, prout clandestinè Contrahentes mortale peccatum cum Sacramento Matrimonii conjungunt, tùm quia si Parochus 159
assistit Matrimonio non solum ad tollendam Clandestinitatem actus, verum etiam, juxta communem opinionem, uti Testis magnæ authoritatis ad hunc actum, ultra alios duos Testes, ex præcepto *Sac. Concil. Tridentini* 160
pro forma principaliter adhibendus *ut supra n. 37. & 86.*, & quamvis assistat, tamen non audiat, aut non videat, ad probandam deindè Matrimo- 161
nii validitatem haberi quidem poterit sola depositio aliorum duorum Testium, sed non Tertii per Sacrum Concilium Tridentinum præcisè voliti, ut principaliter assistat non ut surdus, vel cœcus, aut tamquam simulacrum, sed ut homo audiens, & videns, ac aptus, & idoneus ad testimonium ferendum. Is enim si deindè fuerit sub Juramento de attentato, & illicito Matrimonio interrogatus, & non audiverit 162
nisi consensum unius tantum ex Contrahentibus, de illo tantum ei fas erit deponere, & non de reciproco alterius consensu sive verbis, sive nutu manifestato, nèc ita de facili præsumen- 163
do, per ea, quæ supra diximus *n. 77. & seqq.*

Hh

& seqq. Præterea nonnunquam contigit in actu quoque Matrimonii coram Parocho præmissis denunciationibus ineundo, quod alter ex Contrahentibus per vim ad celebrandum Matrimonium inductus consensum præstare renuerit, quod contingere simul poterit in Clandestino, si Mulier per vim, aut metum a Viro fuerit ad Matrimonium ineundum traducta, ideòque si Parochi non audientis, aut non videntis testimonium deficiat, adhibenda non videtur plena fides duobus Testibus, qui Clandestino fuere præsentes, quia de sola illorum depositione *Sacrum Concilium* non confidit, maximè si sint suspecti, quia ad hunc illicitum actum requisiti scienter accesserint, si enim sua præsentia voluntaria, & peccatum committere, & peccato cooperari non dubitarunt, nèc etiam formiter examinati de utriusque Contrahentis reciproco consensu, licet absuerit, cum perjurio deponere formidabunt. Idemque absurdum sequi
164 posset si Parochus verba nèque viri, nèque Mulieris sive ex impotentia naturali, aut accidentali, sive voluntariè non intellexerit, aut nutus non viderit, cui proindè nequaquam sit a propria conscientia permissum asserere, an Contrahentes nutus, & signa dederint, aut verba protulerint, quæ sint apta ad contrahendum Matrimonium de præsenti, vel de futuro, si enim hoc quoque casu duorum Testium depositionibus dumtaxat credi deberet,
165 vel isti signorum, aut verborum prædictorum significationem ex ignorantia distinguere non valentes, de reciproco consensu deponerent, quando verè reciprocus consensus abesset, vel ea ex malitia alterare possent ad favendum Clandestino, ac uni ex Contrahentibus, qui eos requisivit, altero Contrahente forsan expresse non consentiente, aut etiam expressè dissentiente, unoque verbo attenderetur sola depositio duorum Testium, licet plenam fidem non faciant, quia Parochus nullum de validitate Matri-
166 monii testimonium ferrè posset, ut rectè considerat *Rosignol. in prax. Theol. legal. de Matrim. prænot.* 32. *sub num.* 5. = ibi = *Omninò improbabile est, quod Sac. Congregatio voluerit testimonium illius esse validum, qui nihil percipit eorum, quæ facta sunt; Quomodo enim testificari potest de Matrimonio, quod non cognovit?* & clarè evincitur de mente ipsiusmet *Sacræ Congregationis Concilii*, quæ in expedicta *Romana Dubiorum 6. Martii* 1700. non obscurè, sed patenter, & *absolutè reprobavit opinionem, quod sufficiat præsentia Parochi purè physica, seu materialis*, ea viva ratione, quod non censeatur Parochus præsens ad hoc, ut de Matrimonio testificari possit, nisi verè intelligat, aut percipiat 167
mutuum Contrahentium consensum argumento *text. in l. Coram Titio* 209. *ff. de Verb. signific.* = ibi = *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat &c.* = & advertit *Gutierez de Matr. cap.* 69. *num.* 1. = ibi = *Cum igitur Concilium Tridentinum ad valorem Matrimonii requirat præsentiam præcisè Parochi &c. intelligi debet juxta Juris Communis dispositionem, scilicet de præsentia more humano, hoc est cum intelligentia, & advertentia actus, qui celebratur* = præter adductos *per Ursay. tom.* 1. *par.* 2. *dict. discept.* 2. *per tot. & tom.* 3. *par.* 1. *discept.* 1. *per tot.* & signantèr §. 13. & 14.

Neutiquam refragante, quod qui noluit scire, haberi debeat pro sciente, hoc namque procedere pos- 168
set, si id cederet in damnum ipsius Parochi nescire volentis, qui sibi imputare debet, si quod scire poterat, scire noluit, sed in his terminis si Parochus habeatur pro sciente, id non cedit in illius damnum, sed in contemptum substantialis formæ per *Sac. Concil.* præscriptæ, quæ, non obstante facto Parochi, ad validitatem actus pernecessè adimpleri debet, ultra alias rationes adductas per *Ursay. Discept. Eccles. tom.* 1. *par.* 2. *d. discept.* 2. *a num.* 132.

Ulterius si *Sac. Concilium Trident.* requirit præsentiam Parochi ad tollendam Clandestinitatem, & quidem præsentiam illius non materialem, seu physicam tantum, sed moralem, adeout si Parochus non intelligat verba Contrahentium, Matrimo-

monium sit nullum,non ex alia quidem ratione, nisi quia *Concilium* ad illius
169 validitatem vult, quod Parochus intelligat, quisnam sanare poterit hanc nullitatem, si Parochus *nolit* intelligere, & de facto non intelligat, quoties *Concilium* ad validitatem omnimodè vult, quod Parochus intelligere debeat? Quomodo dici poterit va-
170 lidum Matrimonium, ex quo Parochus intelligere *noluit*, si illud omni possibili modo cogitur impedire per prælaudatum *text. in Cap. Cum inhibitio 3. §. Sanè de Clandest. desponsat.*?

171 Si tandem soli duo Testes ex mente *Sac. Concil.* apti non sunt, neque sufficientes ad ferendum plenum testimonium, & plenè probandam Matrimonii validitatem, nisi accedat præcipuum quoque testimonium proprii Parochi, de quo principaliter Ecclesia confidit, quod conceditur quotiescumque admittitur satis non esse præsentiam Parochi, qui audire ex impotentia naturali *non potuit*, undè nam illorum fides illud majus robur, quod non habet, assumit, ut eorumdem depositio sine Parochi testimonio plenam, atque perfectam fidem faciat, quando Parochus obsequendo *Canonicis sanctionibus* ad impediendum illicitum Matrimonium audire *noluit*, licèt in utroque casu iidem sint numero Testes, & Parochi deficiat intelligentia? Si *Sacrum Concilium* adeò duobus Testibus plenam fidem adimit, ut si
172 Parochus *ex impotentia naturali*, audire *non possit*, eorum depositio nullius sit efficaciæ, & Matrimonium nullum remaneat, quænam altera lex eorumdem testimonium irrefragabile reddit, & Matrimonium convalidat, aut valere decernit, si Parochus *audire nolit*, & de facto non audiat? Si idem Parochus requisitus impedire potest, imò tenetur hujusmodi Matrimonia denegando suam assistentiam, cur ex improviso adortus ea impedire non poterit denegando auditum?

Post hæc scripta, & non dum typis edita nobis innotuit in *Sacra Congregatione Concilii anno 1753.* fuisse agitatam Causam cui titulus *Carthagienen. Matrimonii* in qua agebatur de Matrimonio clandestinè contracto coram Parocho, qui fuerat in domo propria a Contrahentibus, & Testibus inopinatè deprehenso, quique Virum viderat, ejusque verba intellexerat, sed Fœminam nec viderat, nec audiverat, quia noluit, cumque Vota Emorum PP. scissa fuissent in duas partes san. me. BENEDICT. XIV. coram se *Congregationem* indixit, quæ sub *die 22. Septembr. 1753.* sub Dubio = *An constet de validitate Matrimonii in casu &c.* = Respondit = *Affirmativè pro validitate Matrimonii, attentis facti circumstantiis in casu, de quo agitur* = quia fortè in ea causa ultra Testes adhibitos ad illicitum, & sacrilegum actum, alii quoque Testes omni exceptione majores in dicta domo tunc casualiter reperiebantur, qui sua jurata depositione consensum ab utroque Contrahente fuisse præstitum confirmarunt, vel quia ex facti circumstantiis insurgebant probationes claræ, certæ, & indubitatæ concludentes mutuum utriusque Contrahentis consensum, de quo nullo modo Ecclesia dubitare potuerit, adeout similes probationes æquivalerent testimonio Parochi, de quo ad eruendam veritatem reciproci consensus Ecclesia confidit, vel ex alia rationabili causa, quam concurrisse declarant ea verba = *Attentis facti circumstantiis in casu, de quo agitur* =

ADDIT. II.

An in Galliis Denunciationes Matrimoniales requirantur sub pœna nullitatis Matrimonii.

SUMMARIUM

173 *In Galliis prædictæ Canonicæ Denunciationes requiruntur sub pœna nullitatis*,
Declara ut n. 175.
177 *Nonnulli Episcopi in suis Synodalibus Constitutionibus adversus Contrahentes Matrimonium omissis culpabiliter Denunciationibus imponunt pœnam Excommunicationis*,
178 *Nonnulli pœnas arbitrarias*.



IN Galliis prædictæ Canonicæ Denunciationes requiruntur sub pœna nullitatis in vim *Regiæ Constitutionis Blesis editæ* 173
anno 1579., non tamen sub pœna nullitatis Matrimonii, quia constans est tàm Sacræ Congregationis Concilii, quàm DD. Sententia, quod Denunciationes ad tramites ejusdem *Concilii Trident. cap.* 1. *Sess.*24. *de reformat. Matrim.* Matrimonio præmittendæ, necessariæ non sunt, ut dixi in præcedenti *Vot.X. num.*8, *& seqq.*, necessitate Sacramenti, sed tantummodò necessitate præcepti, ideòque 174
illarum omissio Matrimonii non causat nullitatem *Sac. Congregat. Concilii in Tullen.* 9. *Julii* 1618. *& in Mediolanen.* 12. *Septembr.*1629. *Fagnan. in Cap. Cum accessissent num.*29. *& seq. de Constit. & in Cap. Qui Presbyterum num.*94. *de pœnit. & remiss. Barbos.sup.Concil.Trid. cap.* 1. *Sess.*24. *n.*28. *de ref.Matr. De Justis de Dispensat. Matrimonial. lib.* 1. *cap.*6. *n.*450. *Natal. Alexand. Theol. Dogmat. Moral. tom.*2. *regul.*20. *juxta impress. Venet. anni* 1705. *Sanchez de Matrim. lib.*3. *disput.*5. *num.*6. *Clericat. eod. tract. decis.*34. *num.*3.

Et licet prælaudata Regia Constitutio *Blesis* edita *artic.* 4. decernat Matrimonia sine præcedentibus Denunciationibus validè contrahi non posse à Subditis cujuscumque gradus, status, & conditionis, id tamen in-

tel-

telligi debet, non quoad validitatem
Matrimonii, sed quoad effectus Ci-
175 viles, remanente intacto vinculo Sa-
cramenti *Feuret. lib.5. de Abus. cap.2.*
Compilator Probationum libertatum
Eccles. Gallican. tom. 2. pag. 967.
quemadmodum explicarunt etiam Re-
176 giorum Sigillorum Custos, & Consi-
storiani Comites *à Rege Ludovico XIII.*
deputati, qui quærimoniis, ac supplica-
tionibus Cleri Gallicani ad Regem
delatis occasione *artic.29.* Regiæ Con-
stitutionis *anno 1629.* emanatæ de-
clarantis Matrimonia inita contra te-
norem *Blesensis* Constitutionis inva-
lidè contracta censeri debere, *anno*
1630. Regis nomine responderunt id
esse quoad effectum tantummodo Ci-
viles intelligendum teste *Natal. Alex.*
Theol. Dogmat. Moral. tom. 5. lib.2.
de Sacrament. Matrim. artic.2. pro-
posit.3. regul.20. vers. Quod ergo.

Verum tamen hujusmodi Clan-
destina Matrimonia adeo ab Ecclesia
quoque improbantur, ut quamplures,
seu ferè omnes Episcopi in suis *Syno-*
dalibus Constitutionibus contra Delin-
quentes diversas statuerint pœnas,
nonnulli scilicet pœnam Excommuni-
177 cationis, ut dictum est supra in eodem
Vot. X. num.62.

Nonnulli pœnas arbitrarias pro
facultate sibi tributa tàm *à Sac. Conc.*
178 *Trident. Sess.24. cap.1. vers. Insuper*
de reformat. Matrim. = ibi = *Graviter*
arbitrio Ordinarii puniri præcipit =
quàm à *Sac. Congregatione ejusdem*
Concilii Interprete, & signanter in una
Taurinen. seu Nullius, in qua multis
propositis sibi dubiis, & præcipue =
II. An Contrahentes debeant puniri
aliqua pœna, & qua? III. An Testes,
qui interfuerunt cum præsentia Pa-
rochi possint, & debeant puniri?
V. Si pœnæ prædictæ essent arbitrariæ,
quomodo debeat ipse Ordinarius ferre
suum arbitrium, an scilicet debeat
imponere pœnam pecuniariam, vel sa-
lutarem? Eadem *Sac. Congregatio*
sub die 22. Maii 1610. respondit =
Nihil opus esse Congregationis respon-
so, sed adeundum esse loci Ordina-
rium = ut habetur in *Tom.3. Resolu-*
tionum ejusdem Sac. Congregationis
recollectarum à Card. Paulutio Sen.
ad Sess.24. de refor. Matr. pag.170. eas
etiam arbitrarias pœnas excrescente
Hominum malitia augentes in vim al- 179
terius *Decreti* ejusdem *Sac. Congre-*
gationis in Tullen. 9. Junii 1618., in
qua = *Censuit respondendum esse Epis-*
copo hujusmodi Matrimonia coram Pa-
rocho invito contracta, non esse qui-
dem irrita, sed Episcopum debere in
eos, qui sic contraxerint, eaque in re
ministerium aliquid præbuerint, gra-
viter animadvertere = prout in *d. Tom.*
3. pag.178. nèc non in vim alterius
pariter Decreti in *Calceaten.* relati in
eodem *Tom.3. pag.278.* = ibi = *Pœnas*
contra omittentes Denunciationes pos-
se per Episcopi Constitutionem augeri =
& similiter in altera *Mediolanen. 15.*
Septembr. 1629. rescripsit = *Ipsos Con-*
trahentes, qui non factis Denuncia-
tionibus, & Parocho alio prætextu
vocato, & renuente contraxerunt, &
ii, qui ea in re ministerium aliquod
præbuerunt, arbitrio Illmi Ordinarii
esse puniendos, ideoque ejusdem Illmi
partes esse dictam Franciscam depone-
re in loco tuto, & neutri Conjugi
suspecto = ut videre est *in præcit.*
Tom.3. pag.279. & seqq.

Alii vero adversus ita Matri-
monium cum peccato scandalosè Con-
trahentes statuerunt pœnam Interdi-
cti ab ingressu Ecclesiæ, a qua, non-
nisi peracta prius publica pœnitentia, 180
possent absolvi juxta aliud ipsius *Sa-*
cræ Congregationis Decretum in alle-
gato *Tom.3. D. Card. Paulutii* rela-
tum, de quo mentionem quoquè fa-
ciunt *Pignattell. consult.145. num.17.*
tom.4. Raynald. in supplem. ad cap.22.
observat. crim. supplet.2. num.5.

Tandem alii eos pœna pecunia-
ria mulctarunt inhærendo prælaudatæ
Sac. Congregationis Resolutioni diei
10. Januarii 1629. Hisce enim pro- 181
positis sibi Dubiis = *I. An Episcopus*
possit punire Contrahentes Matrimo-
nium contra ejus prohibitionem con-
tractum? II. An eos, qui contrahunt
coram Parocho ex causa justa diffen-
tiente? III. An eos, qui contrahunt
omissis Denunciationibus? IV. An possit
punire Testes intervenientes in supra-
dictis casibus? V. An possit in eisdem
casibus punire pœnis pecuniariis?

Ref-

Respondit = *Ad I. II. & III. Episcopum posse: Ad IV. posse, quatenus Testes sint in dolo: Ad V. posse* =

Hinc non tantum in prædictas pœnas incurrere statuerunt Contrahentes, contra quos easdem quoque auxerunt, quatenus deinde Matrimonium consummassent juxta dispositionem *Sac. Concil. Tridentini Sess.*24.
182 *cap.*5. *de reformat. Matrim.* = ibi = *Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit* = verum etiam Testes hisce Matrimoniis scienter assistentes, quia ipsi quoque *præstando auctoritatem*
183 *Matrimonio interdicto ab Ecclesia* mortaliter peccant, & puniri debent *Boss. de Matrim. cap.*6. §.20.*num.*71. & *cap.*8. §.7. *num.* 17. *Sanchez eodem tract. lib.*3. *disput.*46. *num.*8. *tom.* 1. *Guttierez* pariter *de Matrim. cap.*75. *num.*9. *Pignatell. dicta consult.* 145. *num.*18. *tom.*4. *De Justis de Dispensat. Matrim. lib.*2. *cap.*19. *num.*37. *Sac. Congregatio Concil. in Decret.* mox *allegat. diei* 10. *Januar.* 1629. *in respons. ad IV.*

Nec non Procuratorem, qui, non præmissis Denunciationibus, prò alio
184 Matrimonium contraheret, ut in *Synodo Card. Portocarreri Archiepiscopi Toletani anni* 1682. *Constit.* 54. §.2.

Et generaliter omnes *consilium, auxilium*, vel *favorem* præstantes, ut in *Synod. Neapolitan. anni* 1619. &
185 in *præcitat. Synodo Pisciensi anni* 1734. de qua in superiori *Vot. X. num.*62. utque prædicta *Sac. Congregat. Concilii in dicta Tullen.* & *Mediolanen.* faciendum esse declaravit.

Verum hæc remedia in praxi parum, seù nihil hactenus profuerunt, si etenim contra similes Delinquentes
186 statuta sit in *Synodis* pœna pecuniaria locis piis applicanda, aut sunt divites, & eam nihili faciunt, quia illam solventes non depauperantur, & si sint Filii sfamilias eorum Genitores ad solvendam hanc pœnam cogi non possunt; aut sunt pauperes, & ab illis vel ulla, vel saltem in statuta quantitate exigi nequit, quia nemo dat, quod non habet; Si vero imposita sit pœna salutaris, vel Spiritualis, sive sint divites, sive pauperes, quoties lethalia peccata, & sacrilegia non perhorrescunt, minus easdem pœnas existimant, & interea
similes Sponsi, ultra injuriam, quam 187
semper Sacramento, & præjudicium, quod sæpe simul inferunt decori Familiarum, post expletam libidinis ve- 188
hementiam, Conjuges suas malè tractant, vel deserunt, aut ad probandam nullitatem Matrimonii Judicium instituunt, neutrum ob injuriam facta Deo, sed solum ob commune temporale damnum peccati commissi pœnitet, aut si usque ad obitum ambo in hoc Matrimonio contenti permaneant, gaudent potius se peccasse, quia sine peccato intentum assecuti non essent, itaque ex hac vita migrant impœnitentes.

Hinc *Raynald. Observat. Crimin. in supplement. ad cap.* 22. *supplet.*2. *num.*7. & *seqq.*, oportere opinabatur, quod per Pontificiam Constitutionem pœnæ graviores impone- 189
rentur, & præsertim pœna Relegationis; Nonnulli vero zelantes Episcopi, qui mecum de hac re vel per Epistolas, vel verbaliter habuere sermonem, maximoperè exoptarent fa- 190
cultatem hujusmodi Clandestina Matrimonia *in suis Synodis* invalida declarandi, tùm quia semper potuit, & absque dubio potest Ecclesia Dei à Spiritu Sancto edocta constituere im- 191
pedimenta dirimentia Matrimonii, prout definitum fuit *à Sac. Concil. Tridentino Sess.*24. *Can.*4. & de facto eadem constituit.

Tùm quia si eadem Ecclesia hac utatur potestate, per eam non impeditur libertas Matrimonii, sed impeditur tantummodo turpis, scandalosus, & illicitus modus illud contrahendi, & ratio est, quia si tales Con- 192
trahentes juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matrimonium contrahere voluerint, dummodo nullum obstet impedimentum, nunquam eis ab Episcopis, præmissis Denunciationibus, vel illis etiam omissis, si causa justa, & rationabilis urgeat, ad id licentia denegabitur; Si verò Contrahentibus, exigente justitia, talis licentia con- 193
cedi non possit vel quia cum indigna, aut ex alia justa causa contradicenti-

bus

bus Parentibus, atque Propinquis nuptiàs contrahere cupiant, vel aliam Fœminam, & respectivè Virum, cum qua, quove prius inieruntSponsalia supplantare velint, vel aliud obstet canonicum impedimentum, non impeditur utique libertas ad Matrimonium, statumque Conjugalem, quia cum altera Fœmina, seu cum altero Viro æqualis conditionis inter omnes de Mundo Catholico eligendis licitè, sine scandalo, & absque peccato liberè Matrimonium, servatis servandis, contrahere valent, & respectivè si alteri fidem antea dederint, nèc ex aliqua justa causa excusentur, eamdem fidem servare cogantur, non impeditur illi Matrimonii libertas, sed inducuntur
194 ad adimplendum, quod antea in licitis Sponsalibus spontè, & liberè promiserunt.

Concurrente igitur in Ecclesia Catholica potestate, & una simul intacta remanente libertate ad Matri-
195 monium, statumque Conjugalem, licet irritum prædictum contrahendi modum Ecclesia declaret, nihil obstare supponebant, quominus Matrimonium, omissis culpabiliter denunciationibus, initum, penitus irritum, & invalidum effectivè declaretur. Idque confirmabant subjungentes, quod quemadmodum Ecclesia aut libertati Matrimonii nullum intulit præjudicium inducendo propter turpitudinem actus
196 impedimenta dirimentia *Raptus*, *Criminis*, *Cognationis naturalis*, *legalis*, *& spiritualis*, & præsertim illud *Publicæ Honestatis*, adeout Filius *contra publicam honestatem* desponsare nequeat Sororem suæ Sponsæ ante Matrimonium defunctæ, licet accedat
197 quoque consensus Parentum, & Propinquorum, nec odia, dissensiones, inimicitiæ, & mali exitus timeri possent, ita nullum eidem libertati præjudicium inferret, si urgentiori ratione ducta irritum æqualiter declararet Matrimonium prædicto damnabili, prohibito, turpique modo attentatum, cujus validitas præbet aditum tot, tantisque malis, atque peccatis, & sacrilegiis, quæ in omnibus Diœcesibus non semel, sed frequen-
198 tissimè a similibus Contrahentibus cum evidenti periculo damnationis absque ullo scrupulo temerè perpetrantur; Aut si Matrimonii libertas non obstitit, quin induceretur dictum impedimentum *publicæ honestatis* etiam in casu, quo nulla timerentur mala, fortius, non obstante libertate Matrimonii, nullitas Clandestini induci posse videtur, ex quo tot crimina subsequntur, illudque concomitantur.

Addebant insuper, quod quemadmodum *Sacrum Concilium Tridentinum* irritum declarare potuit, & de facto irritum, nullumque declaravit Matrimonium, quoties celebratum non fuerit sub certo modo, & forma demandata, hoc est cum Parochi, duorumque, vel trium Testium præsentia, quia ex Connubiis aliter contractis multa mala oriebantur, ita 199
nullum Summus Pontifex declarare, aut per Episcopos declarari permittere potest in iis Diœcesibus saltem, in quibus necessitas urget, quodcumque Matrimonium, quod, omissis culpabiliter Denunciationibus, fuerit attentatum, quia ex hoc pariter multa mala, & peccata oriuntur; Si etenim 100
id fieri potuit in primo casu absque læsione libertatis, seu læsione libertatis non obstante, ita & in secundo absque læsione libertatis, seu læsione libertatis non obstante fieri poterit.

Repetebant autem, quod nèc in primo, nèc in secundo casu Matrimonii libertas impediatur; Quemadmo- 101
dum enim in primo, si Matrimonium est honestum, ac licitum, nèc vetitum coram Parocho, & duobus testibus contrahi non prohibetur, si verò dirimens obstet impedimentum nèc adhibita prædicta forma, nèc ea omissa contrahi valet, data tamen Contrahentibus libertate in alio casu permisso, vel cum alia persona illud licitè contrahendi, ita & in secundo si Nuptiæ sint honestæ, & licitæ, non impeditur quominus contrahantur adhibita solemnitate Denunciationum; si verò sunt a Deo, vel ab Ecclesia prohibitæ, nullæ pariter, & irritæ declarari possunt maximè ad evitanda scandala, atque peccata, Contrahentibus plena libertate relicta ad alias Nuptias convolandi, quatenus nul-

nullum aliud obstet canonicum impedimentum.

Quæ si ad actum reducerentur, optimas parerent consequentias, cum enim jam notum sit, quod
102 invitis justè Parentibus Filiisfamilias Matrimonia inire non valeant, quodque ii quoquè, qui sui Juris sunt, contradicentibus eorum Propinquis, ad illorum instantiam impediri possunt, quominus cum eorumdem Propinquorum injuria, & ignominia indignas appetant Nuptias, si ex una parte Ordinarii ex hisce justissimis causis contrahendi similia Matrimonia illis licentiam denegarent, ex altera verò Contrahentes clausam haberent Januam ad ineundum cum ignominia Parentum, & Propinquorum, & cum injuria Sacramenti sine Denunciationibus clandestinè Matrimonium, vel Masculi Nuptias Mulierecularum amplius non quærerent, scientes ad illas assequendas obstare impedimenta prædicta, quemadmodum regulariter eas aliàs Nuptiis non quærunt, quas propter impedimenta dirimentia contrahere nequeunt, vel ipsæ Fœminæ imparis conditionis Nobilium Virorum amores respuerent, illos ad amandum non allicerent, illos non deciperent, nèc ab eis deciperentur, minusque se iis sub vera, vel simulata promissione Matrimonii deflorandas offerrent, non ignorantes, quod si eorumdem Virorum Parentes, eorumque Propinqui, attenta maxima disparitate Natalium, contradicerent, hac utique de causa locorum Ordinarii licentiam contrahendi Matrimonium non concederent, qua licentia deficiente, nèc illud amplius saltem clandestinè assequi possent, undè in futurum juxta illud: *si vis nubere, nube pari*: ad æquales tantummodo Nuptias mentem, animumque converterent, itaque tot exterminarentur peccata, tot impedirentur dissidia, honestarumque Familiarum deturpationes, & tranquilla pace Christiana Respublica ex hoc capite frueretur.

An autem hujusmodi rationes aliqua consideratione dignæ reputari debeant, id infallibili Sanctæ Sedis Judicio submittimus.

A D D I T. III.

An Ordinarii procedere possint contra Subditos potestate Œconomica, & ex informata conscientia.

S U M M A R I U M

203 *IN Causis Matrimoniorum Clandestinorum procedi debet servandis servandis.*

204 *Epicheja, seu Politica, sive Œconomica potestas Locorum Ordinariis generaliter, indistinctè, & absolutè non competit*, & numer.244.

207 *Sed tantum Supremo Principi Superiorem non recognoscenti cui dici non potest* = Cur ita facis? = & n.244.

208 *Hujus potestatis exercitium pro conscientia periculosissimum est.*

209 *Nèc Judices Principi illius usum ita facilè proponere debent.*

210 *Princeps non sæpè, seu frequenter, sed raro ea uti debet.*

211 *Et quidem moderatè, maxima cum discretione, cum Justitiæ zelo, singulari prudentia, rectitudine, ac Christiana pietate.*

212 *Dummodo ad aures habuerit eas probationes, quæ in Judicium deductæ delictum plenè concluderent.*

213 *Et adsit gravissima, & urgentissima causa, quodque aliud remedium per aliam viam haberi non possit*, & n.255.

214 *Epicheja uti remedium extraordinarium cessat, ubi habetur ordinarium.*

215 *Incepto Processu, convolari non potest ad Epichejam.*

216 *Sed tunc ipse supremus Princeps judicare debet secundum acta, & probata; Et si judicialiter probatum non remaneat delictum, debet relinqui impunitum*, & n.219.

217 *Electa una via, tollitur altera.*

218 *Electa via Judiciali, amittitur privilegium potestatis œconomicæ.*

220 *Œconomica potestate Princeps uti potest ad evitandum scandalum, & infamiam Rei, & etiam Tertii.*

221 *Abu-*

264 *Si procedat Episcopus ex informata conscientia ad evitandum scandalum contra subditum, qui pœnam sibi injunctam subire detrectet, quid agendum*, & numer. seqq.

265 *Si a prædicta pœna subditus appellet, appellatio est admittenda cum expeditione inhibitionis.*

267 *Si Superior Ecclesiasticus procedat ex informata conscientia pro levi defectu contra Subditum, huic competit appellatio.*

268 *Et est absolvendus cum victoria damnorum, & expensarum.*

270 *Quando Auctor processerit ex informata conscientia, & quomodo?*

271 *Bonus Judex gaudet de appellatione, quia appellatio non est remedium institutum ad defensionem iniquitatis.*



RÆMISSUM *Votum X.*
principaliter emanatum
fuit ad comprobandum,
quod in clandestinis Ma-
trimoniis semper proce-
203 di debeat servatis ser-
vandis, non autem tumultuariè, &
extrajudicialiter, ut nonnulli Judices
se facere posse opinantur eo tantum
fine, ne via aperiatur Appellationibus,
ad quas impediendas alii contra suos
Subditos *ex informata conscientia* sæ-
pè sæpius se procedere posse existi-
mant.

Hinc quidam Episcopus cætero-
quin zelantissimus diebus elapsis, præ-
missis Votis adhuc sub prælo existen-
tibus, mihi supposuit adesse in ejus
204 Diœcesi Mulierem non semel publica
scandala suscitantem, licèt honesti Vi-
ri Uxorem, quæ, juxta secretas no-
titias a duobus testibus fide dignis sibi
delatas, quærebat opportunitatem se
præsentandi ex improviso coram Pa-
rocho una cum Juvene, Puellaque
illius Parochianis, duobusque testibus
ad hoc, ut Matrimonium, omissis de-
nunciationibus, inter se contraherent
contra Parentum Juvenis voluntatem,
postquam mediante sua opera impu-
dicum amorem inter utrumque forti-
ter conciliaverat; Quæsivit itaque ex
me, an *ex informata conscientia* præ-
dictæ Mulieri, omni formali Processu
prætermisso, exilium a tota Diœcesi
injungere posset, ut sic illi remaneret
impedita appellatio, qua pendente
suam pravam intentionem forsan exe-
qui potuisset, quidque insuper circa
hanc Œconomicam potestatem *in genere*, qua nonnulli Ordinarii in di-
versis casibus uti solent, pro veritate
sentirem, & quamvis uti non semel
exercens ministerium Vicarii Genera-
lis interressatus esse deberem pro Ju-
risdictione Ecclesiastica, nihilominus
quia pro ea interessatus quidem sum
intra limites honestatis, & justitiæ, &
quia magis amica veritas, eidem ita
consultus respondi.

Illme, & Rme Domine = Ad ca-
sum mihi propositum, juxta mei inge-
nii imbecillitatem, ad inserviendum
tantummodò veritati respondeo, quod 205
cum possit ex formali examine duo-
rum testium haberi plena probatio de
prava Mulieris intentione, neutiquam
ex informata conscientia, sed serva-
tis servandis ad illius temeritatem in-
tra limites honestatis coercendam de-
veniendum esse censerem.

Quandoquidem sum in sensu,
quod Epicheja, quæ Politica, seu 206
Potestas Œconomica nuncupatur, Lo-
corum Ordinariis saltem generaliter,
indistinctè, & absolutè non competat,
nèc ab iis adhibita appellationem, seu
recursum impediat, sed tantummodò
supremo Principi sive Ecclesiastico, si-
ve Laico Superiorem non recogno- 207
scenti sit reservata, cui solum dici
non potest = *Cur ita facis?* = ut habe-
mus ex *Ecclesiaste cap.* 8. *vers.* 4. &
colligitur ex *text. in Cap. In memoriam distinct.* 19. ac advertunt *Gall. de fruct. disput.* 5. *artic.* 1. *num.* 30. & *artic.* 3. *num.* 17. *Giurb. cons.* 49. *sub num.* 2. *Boss. tit. de Principe num.* 70. *Grammat. cons.* 2. *sub num.* 39. post *decis. Cavalcan. de Brach. reg. par.* 1. *num.* 169.

Et quia ejusmodi potestatis exer-
citium pro conscientia periculosissi- 208
mum est, ideò Judices nèc ipsi Prin-
cipi illius usum ita facilè proponere
debent *Raynald. Observat. crimin. in* 209
Proœm. §. 6. *num.* 44.

Quo-

Quoties vero Princeps ea non
219 quidem sæpè, seu frequenter; *sed*
rarò uti velit, id facere non debet
nisi moderatè, maxima cum discre-
tione, cum Justitiæ zelo; singulari
211 prudentia, rectitudine, ac Christiana
pietate, & accedente eo primo, ac
præcipuò requisito, quod prius habue-
rit extrajudicialiter ad aures eas ipsas
probationes, quæ in Judicium dedu-
212 ctæ delictum plenè concluderent *De
Pont. de potest. Pro-Reg. tit. de pro-
vis. &c. fieri solitis num. 3. Cresp. de
Valdaur. observat. 3. num. 1. 6. & 7.
& seqq., Solorzan. de Jur. Indiar.
lib. 3. cap. 27. num. 1. tom. 2. Fregos.
de regim. Reipubl. Christ. introduct.
proœmial. num. 4. Matthæu. & Sanz de
re crimin. contr. 21. n. 53. & 54.* cum
aliis relatis per *Raynald. d. §. 6. n. 39.
& seqq.*

Secundo essentialiter requiritur
gravissima, & urgentissima causa, quod-
213 que aliud remedium per aliam viam
haberi non possit *Cresp. de Valdaur.
observ. 3. num. 39.* = ibi = *Ubi malo via
ordinaria mederi non possit* = & post
eum, aliosque desuper laudatos *Ray-
nald. d. §. 6. num. 48.* = ibi = *Conclu-
dendum igitur ex authoritate supradi-
ctorum Doctorum, quibus & alii pos-
sent addi, quod Princeps potest uti
dicta potestate, quando causa, tempus,
personæ, quies publica, & defectus
cujusvis alterius remedii suadeant* =
Nam Epicheja uti remedium extraor-
214 dinarium semper cessat, quando re-
medium ordinarium non deficit *l. In
causæ 17. ff. de Minor. l. Cum sine 11. ff.
de Carbon. Edict. Cresp. de Valdaur.
observ. 1. num. 323. Matthæu., & Sanz
de regim. Regn. Valent. cap 3. §. 1. sect. 2.
num. 87. & de re crimin. contr. 71.
num. 19. & contr. 74. num. 30. Fonta-
nell. de pact. nupt. tom. 1. claus. 4.
gloss. 18. par. 1. num. 100. cum seqq., &
decis. 113. num. 4. & 5. Leo decis. 166.
num. 3.*

Requiritur tertio, quod contra
215 Reum nullum fuerit incoeptum Juris
ordine servato Judicium, sive Pro-
cessus, quia tunc, illius continuatio-
ne posthabita, convolari non potest ad
Epichejam, sed ipse Supremus Prin-
ceps, continuato, & absoluto Proces-
su, judicare debet secundum acta, & 216
probata *l. Properandum §. Et siquidem
Cod. de Judic. l. Illicitas §. Veritas ff.
de Offic. Præsid. Ossusc. decis. 79. n. 44.
& seq.* electa etenim una via, tolli- 217
tur altera *l. Si Mulier 21. § fin. ff. de
eo, quod met. caus.* electaque via Ju-
diciali, privilegium dictæ potestatis 218
amittitur, ut declaravit *Sac. Congre-
gat. Concil.* apud *Raynald. in sup-
plem. ad cap. 32. observat. crimin. sup-
plet. 3. num. 152.* Nullatenus refragan-
te, quod absoluto Processu, in eo non
adsit, nèc in illo conficiendo acquiri
potuerit ea necessaria probatio deli-
cti, per quam debita poena Reus pu-
niri possit, licet aliundè Princeps eam-
dem probationem habeat, quia nihi-
lominus adversus talem Reum, incoe-
pto formali Processu, eoque dereli-
cto, deindè *ex informata conscientia*
procedere nequit ad poenam, sed
Reum impunitum relinquere debet
a Deo puniendum, cum sua non in- 219
tersit, quod hoc casu crimen sine poe-
na remaneat ex ea ratione, quam af-
fert Summus Pontifex ANACLET. in
Epist. 1. relata in *Can. Si omnia 6. q. 1.*
= ibi = *Si omnia in hoc sæculo vindi-
cata essent, locum Divina Judicia
non haberent* =

Demum Œconomica potestate
Princeps uti potest in casu, quo si res
deducatur ad forum contentiosum,
ex publicitate delicti diffamatio Rei
non solum in damnum ipsius Rei, sed
etiam Tertii cum magno scandalo ver- 220
gere possit *Cala de præeminent. M. C. V.
cap. 6. num. 4. circa fin.* = ibi = *Hæc
tamen ubi ordinaria via mederi non
potest, permissa sunt, sed rarissimè, &
in contingenti casu ad futura damna
vitanda* =

Non me latet, quod nonnulli Or-
dinarii hujusmodi liberam, ac monar-
chicam potestatem sibi quoquè compe-
tere autumant omni appellatione re-
mota, & quod magis est, ea *pro sui
libito frequentissimè, & indistinctè
in quocumque casu* uti solent, ac 221
ut plurimum quando aliquis Subditus
præsertim Parochus illorum mandatis
in Judicio Civili rationabiliter con-
tradicit, & ab eorum Sententiis, seu
Decretis appellat; Tunc enim, insti-

gantibus plerumque suis Ministris, vel
in sui muneris exercitio non satis in-
structis, vel non desiderio justè, re-
ctèque, atque paterna caritate guber-
nandi, sed sola dominandi cupidine
excitatis, non zelo Justitiæ, sed ad
vindictam, & ad eumdem Parochum
impediendum, seu vexationibus de-
terrendum, ne prosequatur appella-
tionem, & illorum mandata licet
injusta, seu disputabilia exequatur,
scrupolosè, ac diligenter inquirunt,
an raro, vel sæpe Ecclesiæ pavimen-
tum verrere fecerit, ac id peractum
fuerit per Masculum, sivè per Fœmi-
nam licet annosam, quod maximum
existimant esse scandalum, quamvis
hujus generis scandala absque ulla
difficultate permittant Sanctimoniali-
bus, quibus hoc servitium earum ex-
hibet Famula, seu Mandataria sive Ju-
venis, sive Vetula; an Lampas Vene-
rabilis semel ex accidenti reperta
fuerit extincta, etsi non ad Parochum,
sed ad Sacristam, seu ad aliam perso-
nam illius custodia pertineat; an lin-
teamina Altarium retenta sint plus-
quam munda, vel aliqua parva macu-
la Vini in cornu Epistolæ ferè invi-
sibili consperfa, quibus, aliisque si-
milibus sæpe etiam calumniosis frigi-
ditatibus cumulatis, quæ, si in Judi-
cium deductæ forent, cachinnis dignæ
viderentur, nulla habita ratione de bo-
222 no apud suum Populum Parochi no-
mine, nulla de illius misericordia in
pauperes, quos suis eleemosynis ale-
re, iisque ægrotantibus subvenire me-
dicinis semper studuit, nulla de do-
nis, ac largitionibus Ecclesiæ factis,
nulla de illius sedula assistentia Infir-
mis, ac assidua vigilantia, & atten-
tione in erudiendis in rebus Fidei suis
Populis, nulla demum de illius opti-
mis moribus, quibus diuturno sui re-
giminis tempore filialem amorem,
maximamque existimationem apud
suas Oves sibi meritò conciliavit, spre-
tis omninò monitis *Sac. Conc. Trident.
Sess.13. cap.1. tit. de Offic. Prælat. in
subdit. correct.* = ibi = *Illud primum
eos admonendos censet, ut se Pastores,*
223 *non Percussores esse meminerint, atque
ita præesse sibi Subditis oportere,* UT
NON IN EIS DOMINENTUR, *sed illos tam-
quam Filios, & Fratres diligant, ela-
borentque, ut hortando, & monendo
ab illicitis deterreant, ne ubi delique-
rint, debitis eos pœnis coercere cogan-
tur, quos tamen, si quid per huma-
nam fragilitatem peccare contigerit,
illa Apostoli est ab eis servanda præce-
ptio, ut illos arguant, obsecrent, in-
crepent in omni bonitate, & patien-
tia, cum sæpè plus erga corrigendos
agat benevolentia, quam austeritas,
plus exhortatio, quam comminatio, plus* 224
caritas, quam potestas = statim ad
ostentandam potestatem, quam non
habent, vanis hisce prætextibus mo-
re belli eos a Diœcesi ad Civitatem 225
sub gravibus comminatis pœnis acce-
dere cogunt, ubi *ex justis causis ani-
mum suum dignè moventibus, & ex
informata conscientia* cum præcepto
etiam *in scriptis* vel Civitatem, aut
domum, in quam se receperunt, pro
tuto, & securo Carcere illis assignant,
vel intimant Exercitia Spiritualia sub
pœna suspensionis a Divinis, aut ab
Officio; interim pro Curæ exercitio ex-
pensis Parochi Œconomum deputant;
& eidem Parocho petenti causam hu-
jusmodi repentini flagelli, se illam non
teneri pandere respondent, quando
procedunt *ex informata conscientia*, 226
quod est idem ac dicere, primo, quod
per hunc procedendi modum fas sit il-
lis penitus destruere Jus Divinum,
naturale, & humanum, quod cuique 227
propriam tribuit defensionem *Cap. Cum
inter de Except. Clementin. Pastoralis,*
ibique communiter scribentes *de Sen-
tent. & re judicat. l. Ut vim 3. ff. de
Just. & Jur. l. 1. ff. de vi, & vi ar-
mat. l. Unius 18. §. Cogniturum ff. de
Quæst. l. Defensionis facultas 7. Cod. de
Jur. Fisc. lib. 10. Farinacc. quæst. 125.
num.* 11. nullatenus per ipsum Papam, 228
Imperatorem, vel per aliud Princi-
cipem tollendam, imò nèc Diabolo
denegandam *Guazzin. ad defens. reor.
defens. 29. cap. 4. num.* 1. 2. & 3. ubi
concordantes, sed semper dandam,
quamvis a Reo non petatur *Boss. tit.* 229
de Confess. post *num. 6. vers. Contra-
rium* plurimisque adductis *Farinacc.
quæst. 39. num. 35.* imò etiamsi Reus
eidem defensioni renunciet *l. Non* 230
tantum 6. ibique *gloss. verb. Acquie-*

scat

seat ff. de appellat. & relat. gloss. in
l. Pactum inter hæredem 47. verb. Cum
liceat vers. Item pactum ne quis se
defendat ff. de pact. Bartol. in l. Custo-
dias in fin. ff. de Public. Judic. aliisque
congestis *Farinacc. d. quæst. 39. n. 51.*
Secundo, quod procedentes *ex infor-*
mata conscientia sive Subditus sit in-
nocens, sive verè Reus, non teneantur
illius audire disculpationem, ne in-
231 debita, injustaque pœna mulctetur,
sed omnino causam punitionis celare
debeant, & ipse indefensus pœnam si-
ve justam, sive injustam subire tenea-
tur, quando in casu etiam, quod eis
hæc potestas Œconomica generaliter, &
indistinctè competeret, occultatio
causæ tenderet in favorem Rei, ne
per ejusdem causæ publicationem ip-
sius Rei diffamatio oriretur, non au-
tem vergere deberet in damnum il-
lius, cui si detegatur arcanum, seque
verè *enormi delicto* innodatum agno-
232 scat, ad emendationem excitatur, il-
ludque apud ipsum secretum, occul-
tumque remanet, nèc apud Publicum
(nisi sit stultus, & mentecaptus, ideo-
233 que pro quocumque delicto non pu-
niendus) se diffamare tentabit, sed
obtemperans præcepto Superioris pœ-
nam sibi injunctam sub silentio subibit;
si è contra delictum, de quo imputa-
tur, eidem celetur, si sit reus, se
emendare non poterit, si vero inno-
cens, cum suam exculpationem alle-
gare, eamque probare impediatur,
234 multoties victima calumniæ, seu vin-
dictæ esse cogetur, subeundo pœnam
pro crimine ipsi penitus ignoto, quia
nunquam per eumdem patrato.

Nèc relevat, quod quando in-
junguntur Exercitia Spiritualia, injun-
gitur pium opus nedum Parochis, &
Sacerdotibus, sed quibuscumque Ca-
tholicis maximè utile, ac sæpissimè
235 necessarium ad reparandam mentium
puritatem, & ad nos emundandos ab
omni inquinamento carnis, ac spiri-
tus, hoc enim evenire potest quando
eadem Exercitia vel voluntariè, & ex
devotione peraguntur, vel justè no-
scuntur injuncta, non autem quando
236 quis ad ea peragenda *injustè, & in*
pœnam condemnatur, in hisce namque
circumstantiis honesti Hominis turba-
tur animus, & minus aptus efficitur
ad pium opus sibi injunctum cum fru-
ctu perficiendum, cum injunctum
fuerit uti pœna, quæ semper infa-
miam irrogat, bonumque nomen de-
turpat, quia delictum supponit, &
quidem eò majus enorme, quò magis
absconditur.

Et quod intollerabilius videtur
id est, quod si assertus Reus his an-
gustiis undique pressus in indebitæ
obedientiæ argumentum se paratum
offerat ad explenda intra aliud tem-
pus congruum animo pacato eadem
Spiritualia Exercitia *titulo devotionis*,
non autem *sub pœnæ nomine*, per 237
quam de crimine redditur saltem su-
spectus non solum de præsenti apud
vulgum, sed etiam in futurum apud
novos Successores Superiores, tunc
prædicti Ordinarii Œconomicam pote-
statem aut per fas, aut per nefas exer-
cere volentes, non cum zelo Patris-
familias, cujus potestas in Filios est 238
temperatissima, ad cujus tramites
Œconomica quoque potestas ab ipso
Supremo Principe in Subditos est
exercenda *Raynald. d. §. 6. num. 38.*
post. med., sed uti severi Judices in-
exorabiles magis ira accenduntur, &
excandescentes adversus eum uti te-
merarium, superbum, ac obedien-
tiæ jugum excutientem mandatum de
capiendo relaxare non dubitant non
sine incursu Censurarum propter ex-
cessum, & ex defectu justæ causæ, qua-
tenus mandstum suum indebitè for-
tiatur effectum argum. *text. in Cap. Si*
Clericos 15. de sentent. excommuni- 239
cat. in 6.

Quod, ut dixi, utique non pro-
venit ex facto Præsulum, & Episco-
porum, sed ex ira, odio, superbia,
vindicta, & omni mala voluntate eo-
rum Ministrorum, qui licet pluries ab
officio ejecti ob inhumanitates, ex-
torsiones, ac barbaras injustitias in
suo exercendo munere absque emen-
datione commissas, adhuc ab emeri-
tis pœnis immunes pro exercitio pa-
tientiæ innocentium Subditorum ite-
rum, iterumque se ad idem munus
obeundum exponunt, atque floccipen-
dentes illud = *Discite a me, quia mi-*
tis sum, & humilis corde = sibi sua-
dent

dent Ecclesiasticam Jurisdictionem consistere non in gubernando, & dirigendo verbo, & exemplo Populum ad viam salutis æternæ, sed in dominando, & opprimendo Laicos, Clericos, ac etiam Christos, seu Sacerdotes, prout si ipsis quoquè dictum non fuisset = *Nolite tangere Christos meos* = ac si præpositi fuissent non ut Pastores ad hortandos, & fraterna caritate diligendos, venerandosque Altissimi Ministros, sed ut Mercenarii ad custodiendos greges, Jumenta, & pecora Campi, erga quas bestias, ne illarum facerent jacturam, minus fortasse sævirent.

Si tandem Subditus maternis Ecclesiæ promissionibus innixus, de quibus in *Can. Ad Romanam Ecclesiam 7. cauf. 2. quæst. 6.* ab hujusmodi barbara violentia ad legale remedium appellationis recurrat, hujusmodi Ecclesiæ promissiones nullum habent effectum, quia non invenit aliquando Judicem,
240 qui ejus miseratus pellat angorem, sed vel servus humani respectus, vel ab ipsis Judicibus Ordinariis præventus, vel ab eorum Dignitate, & potentia deterritus, aut etiam errans in Jure, nullo adhibito examine, an in eo casu usus Œconomicæ potestatis ad summum tollerari valeat, spretis quibuscumque in facto, & in jure rationibus, clausis oculis, & obduratis auribus appellationem rejicit sub eo futili prætextu, quod contra pœnam ab Ordinario inflictam *ex informata conscientia* nulla detur unquam appellatio, sed Subditus illam indefensus
241 subire debeat, quasi quod ii ipsi, qui etiam servatis servandis, adhibitisque judicialibus probationibus, sæpè, sæpius vel in condemnando innocentes, vel in augendo, & exasperando indebitè pœnas decipiuntur, ideòque illorum Sententiæ in gradu appellationis non raro propter suorum Ministrorum malitiam, seu ignorantiam, & imperitiam vel reformantur, vel penitus revocantur, si tamen procedant *ex abrupto, tumultuariè, & ex informata extrajudicialiter conscientia*, imo quandoque nulla facti veritate inspecta, nèc decipi, nèc errare, nèc ullum gravamen inferre possent; prout si haberent in hoc casu ipsam Salomonis assistricem sapientiam, aut induerent ipsam Angelorum naturam, ita, ut illibatè, nèc odio, vel superbia, nèc iracundia, vel vindicta, aut ignorantia, nèc absque alia quacumque animi affectione a dextris, aut a sinistris pendere possent.

Interea verò (proh dolor!) Justus opprimitur, & non est qui adjuvet, quemadmodum Egomet ipse maximo cum horrore in quibusdam casibus immerito servatum vidi adversus aliquos innocentes Parochos, inter quos potissimum unus satis doctrina præditus, in exercitio Curæ sollicitus, bonisque moribus imbutus, non obstantibus suarum Ovium clamoribus ejus probitatem, caritatem, & vigilantiam testantium, suique amantissimi Pastoris injustissimas vexationes amarè dolentium, quia in Causa Civili a mandato sui Superioris appellationem interposuerat, & attento bono jure, quod fovebat, nonnisi favorabilem Sententiam reportare poterat, gravissimam passus est persecutionem usquè ad mortem. Etenim expiscatis calumniosis frigiditatibus non dissimilibus illis, de quibus supra *num. 221.* & *ex informata conscientia* injustissimè ex illarum causa vexatus, ob longam moram in Civitate traductam, maximo expensarum, & damnorum pondere pressus, ab extraordinariis, insolitis, ingentibusque salariis a Superiore taxatis pro appositis per eumdem Superiorem Œconomo, novisque Ministris in Parochia minimè necessariis summoperè defatigatus, ab Officio suspensus, & ultra hanc Suspensionem, ob tentatam illius injustam carcerationem in existimatione maximoperè læsus, in gradu appellationis, & recursus ab hisce gravaminibus, quia *ex informata conscientia illatis*, nullatenus auditus, & Exercitiorum Spiritualium pœna diffamatus, licet sanus, atque robustus, adhuc quia caro nostra ænea non est, tot incommoda sine causa, totque damna, expensas, injurias, bonæque famæ amissionem patienter amplius substinere non valens, vix expletis Exercitiis Spiritualibus lethali morbo

bo correptus, mœrens, afflictus, & innocens vitam tandem cum morte commutavit, non alia de causa, quàm propter abusum Œconomicæ potestatis adhibitæ, ut plurimum, ab inflato, ac tumenti Ministrorum animo, & ex ira,
242 atque vindicta sub affectati zeli prætextu palliata, necnon propter indebitam appellationis rejectionem, adeout cum *Ecclesiaste Cap.4. vers.1. & seqq.* in sensu veritatis exclamaverim, & exclamare possim = *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos; Et laudavi magis mortuos quam viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui nedum natus est, nèc vidit mala, quæ sub sole fiunt* =

Quisnam igitur in hisce circumstantiis excusare poterit Ordinarios mandantes, ac Judicem appellationis
243 eum appellationis rejectione eorum injusta mandata foventem a lethali noxa, & ab obligatione reficiendi tot damna, & expensas, quæ per innocentem circa interesse, bonamque famam, & quandoque, ut vidimus, cum discrimine quoquè propriæ salutis, & vitæ patiuntur, eosque absolvere, ut sine tali refectione ad Cœlestem Patriam perducantur?

Ex jam dictis apud Illmum D. meum satis comprobatum primum existimo, quod Œconomica potestas
244 Supremo Principi dumtaxat sit reservata, qui suarum Resolutionum soli Deo rationem reddere debet, non autem quibuscumque locorum Ordinariis, qui habent Judicem Superiorem Oppressorum vindicem, cujus examini, censuræ, & judicio eorum Resolutiones subjiciuntur, aliàs si Ordinariis quoquè hæc suprema Œconomica potestas absque remedio recursus, seu appellationis ad Superiorem competeret, esset utique ab illis inventus modus impunè occidendi, ut supra, Subditos sine gladio, & incurrendi in foro saltem interno irregularitatem. Deindè, quod illorum animus ab hujusmodi violentiis debet esse omnino alienus, utque Oves sibi
245 commissas rectè judicare valeant, & discernere inter bonum, & malum, supplices a Deo petere quotidiè debent Cor a Salomone petitum *lib. 3. Reg. cap.3. vers.9.* = ibi = *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum, & malum* = quasi quod ille, qui cor docile non habet, nec aptus sit ad ferendum justum judicium, nec inter bonum, & malum discernere valeat. Demum, quod si quis Ordinarius aliquando tentet hanc aggredi viam, competat Subdito recursus, seu appellatio ad Superiorem, a quo sit omnino audiendus *Can. Placuit 8. caus.2. quæst.6.* = ibi = *Placuit, ut a quibuscumque Ecclesiasticis Judicibus ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est major authoritas, provocatum fuerit, audientia non negetur* = ne injustè indebitam pœnam cum sui boni nominis, vitæque detrimento subire cogatur, & interim inhibendum, ne inferior ad ulteriora procedat, donec 246
examinetur an adsit gravamen, quod per definitivam reparari non possit, & an fuerit in casu excessus ab eodem Ordinario commissus, sine quo examine id assequi minimè potest, & sine inhibitione frustraneum esset examen.

De hoc autem excessu satis, superque constaret, quoties Ordinarius vel incœpto formali Processu, ad Œconomicam potestatem deindè convolasset, vel non pro illa vice tantum, 247
sed frequenter ea uti solitus esset, vel si remedio ordinario, quod non deficiebat, neglecto, hoc extraordinario, & subsidiario procedere ausus fuisset, vel si probaretur hoc extraordinario modo processisse ad opprimendum Parochum, aliumve Subditum ex levibus defectibus paterna tantum monitione emendandis, non autem *ex gravissima, & urgentissima causa*, ex qua olim hæc Œconomica potestas Ordinario competebat in actu, & tempore Pastoralis Visitationis ad 248
morum correctionem, ut declaravit *Sac. Congregatio Concil.* apud *Valasc. allegat.70.* relat. per *Raynald. observat. crimin. in supplet. ad cap.32. supplet. 3. num.136.* quamvis hodiè ad evitandas frequentes oppressiones usu receptum sit, quod nèc etiam in Sac Visitatio-

tatione Ordinarii Visitatores absque ulla figura Judicii procedere valeant, sed Processus cum terminis licet brevioribus conficere teneantur *Raynald. loc. cit. num.*152. *sub vers. Hodie*. 249

Et quamvis a Decretis emanatis in actu sive ordinariæ, sive delegatæ
250 Visitationis non detur regulariter appellatio suspensiva tàm de Jure communi argumento *text. in Cap. Ad nostram* 3. *de Appellat.* quàm ex dispositione *Sac. Concil. Tridentini Cap.* 1. *Sess.*13. *& Cap.*10. *Sess.*24. utrobique *de reformat.*, nihilominus, si inferunt gravamen, quod per definitivam reparari non possit, aut in morum cor-
251 rectione reperiatur excessus, appellatio suspensiva non denegatur *Cap. De priore* 31. ibique *Gloss. de appellat. Scacc. de appellat. quæst.*17. *limit.*26. *num.*12. *Cochyer in Constit. Concil. Lateranens.* impress. post *tract. de Jurisd. in exempt. par.* 1. §. 7. *sub nam.* 44. *Gratian. decis.*188. *num.* 2. *& seqq.*; *Adden. ad Pamphil. dec.*149. *num.* 12. idque firmavit *Rot. decis.*21. *num.* 21. apud *Novar. in Summ. Bullarii* atque decrevit *Sac. Congregatio Concilii*, necnon *Sac. Congregatio Episc. & Regular.* ex vivæ vocis oraculo S. M. Clementis VIII. ut testatur *Adden. ad dict. decis.*149. *num.*12. *cor. Pamphil. Fagnan. in Cap. Irrefragabili* 13. *num.*6. *de Offic. Judic. Ordinar. & in Cap. Ad nostram a num.* 11. *de appellat.* ac insuper clara sunt verba ejusdem *Tridentinæ Synodus d. cap.* 1. *circa fin. Sess.* 13. *de reformat.* = ibi = *In Causis Visitationis, & correctionis &c. ante definitivam Sententiam ab Interlocutoria, seu alio quocumque gravamine non appelletur &c. nisi gravamen hujusmodi per definitivam Sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit* =

Quin hisce Sacrarum Congregationum Decretis, Doctorum opinioni, & huic Conciliari dispositioni obstare
252 possit posterior *Constit. S. M.* Benedict. *XIV. de appellat*; *& inhibit. conced. vel negand.* incipien. = *Ad militantis Ecclesiæ* = emanata *tertio Kal. April.*1742. Hæc etenim nihil de novo disponit, & circa hanc materiam tam *Concilium*, quam earumdem *Sac. Congregationum* Decreta, ac Doctorum sententias absque ulla reformatione, seu mutatione, aut correctione relinquit, solumque exposcit, ut antequam Inhibitio concedatur, ab Appellante summariè probetur, quod in suo casu locum habeant Jura præmissa, ut prælaudatus Summus Pontifex in §. *Quoniam vero* præcitatæ *Constitutionis* expresse declarat = ibi = *Quoniam vero in hisce &c. Causis, in quibus Inhibitiones &c. concedi non debent, dari possunt casus, qui* per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, *vel juxta ejus mentem* per Apostolicas Constitutiones, *&* Sacrarum Congregationum declarationes, *aut* communem Doctorum sententiam *a præfata generali regula de non concedendis Inhibitionibus &c. excipiuntur &c. Hinc Nos &c. statuimus, & mandamus, quod in dictis Causis &c. Metropolitani, Patriarchæ &c. literas Citatorias, vel Monitoria cum Inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius &c. eisdem summariè apparuerit* casum illum esse de exceptis, *& propterea Episcopo, vel Ordinario loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat* = & inferius §. *Omnia, & singula* = ibi *Omnia, & singula hactenus a Nobis disposita ad rectam Judiciorum methodum restituendam eò impensius ab omnibus exactè custodiri, & observari mandamus, quò clarius constat hac nostra Constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges providè, sapienterque institutas* =

Quamobrem si agatur de præmissis levibus defectibus, quibus etiam in visitatione, seu tempore visitationis Ordinarius occurrere noluerit cum paterna monitione, qua tantum uti deberet, sed vel Carceratione, vel Exercitiis Spiritualibus *in pœnam* cum damno, & diffamatione Subditi voluerit procedere, tunc quia gravamen injustæ pœnæ jam passæ, vel imminentis per definitivam Sententiam reparari non potest, suspensa executione cujuslibet pœnæ contra prætensum Reum appellantem, vel comminatæ, 253
vel jam inflictæ, Causa remanere deberet in Tribunali Appellationis, aut si Ju-

si Judex Appellationis in hoc casu morem gerere vellet Ordinario, qualibet pœna suspensa, Causam eidem remittere posset, ut resectis omnino damnis, & expensis, salutaribus monitis eumdem Appellantem ad se a levibus illis defectibus corrigendum adhortetur, & quidem per actum publicum, expedit enim, ut prædictæ levissimæ causæ, ne dicam ineptiæ, pro quibus ad enunciatas pœnas personalis sequestri, seu formalis Carceris, aut Spiritualium Exercitiorum Parochus fuerat condemnatus, effician-
254 tur publicæ, occultæ namque sub prætextu Œconomicæ potestatis occasionem præberent Populo magnæ murmurationis, quisque enim suspicari posset, non quod puniretur pro dictis levibus, & forsan calumniosis defectibus, seu negligentiis, nam pro istis, quia nullatenus bonos mores deturpant, nec culpam gravem attingunt, monitionem tantummodò, non autem pœnam, eamque adeò violentam promeruisset, sed quod esset reus alicujus criminis ita gravis, & enormis, ut, ad ejus famæ parcendum, illud celari, & Œconomica potestate compesci debuisset, itaque propriæ Oves illum, non ut antea, venerarentur, seque non amplius bonum, morigeratumque Pastorem, sed rapacem habere Lupum existimarent.

Non nego tamen, quod juxta, quæ supra dixi *numero* 213. ad tramites *Cap. Licet* 12. *de Offic. Judic. Or-*
255 *dinar.* = ibi = *qui multa*, *& gravia crimina committere proponunt &c.* = in aliquibus urgentibus casibus *pro enormibus*, *gravibusque criminibus*, illisque obtegendis, ad evitandum scandalum absque ullo strepitu, & figura Judicii Episcopi in suos Subditos animadvertere possint juxta dispositionem *Sac. Concil. Trident. cap.* 1. *Sess.* 14. *de reformat.* ideòque non reprehensione, sed laude potius eos prudentissimos Præsules judico, qui non propter quoslibet defectus, seu negligentiam, aut veniale, & quandoque etiam mortale peccatum, omissis paternis saltem pro prima vice monitionibus, statim ex abrupto, absque ullo processu, & *ex informata conscientia* pœnarum rigore Subditos puniunt, sed ob gravitatem, & atrocitatem alicujus *occulti* delicti, plenè tamen cogniti, quod gravissima Suspensionis Censura puniri valeat, quodque si publicum redderetur, magnum scandalum maximè in dedecus nostri characteris oriri posset, in vim facultatis sibi tributæ *a Sac. Concil. Trident. loc. mox citat.* extrajudicialiter vel Clerico prohibent ascensum ad Superiores Ordi- 256
nes, vel eidem suscepti jam Ordinis exercitium interdicunt, prout utrumque facere posse respondit *Sac. Congregat. Concil. in Alerien.* 24. *Novembris* 1657. *lib.* 21. *Decret. pag.* 134. *& in Capritana* 16. *Decembr.* 1730. *& in Oritana*, *seu Faventina* 20. *Augusti* 1735.

At in hoc casu quoque hæc extraordinaria Episcopi Jurisdictio non est adeò illimitata, prout est illa Supremi Principis, ut nullum Subdito competat remedium, nam si ipse ita mul- 257
ctatus ad Apostolicam Sedem recursum habeat, utique est omnino audiendus, ejusque indemnitati consulendum, quatenus vel Episcopus recuset pandere causam, vel de Subditi gravamine constet, quemadmodum eadem *Sac.* 258
Congregatio D. Card. Antonio Barberini Archiepiscopo Rhemensi Apostolica Limina visitanti, quoad Clericum a susceptione ulteriorum Ordinum rejectum *sub die* 21. *Apr.* 1668. respondit videlicet = *Cum nullus ordinari debeat, quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicaverit, Congregatio non semel declaravit ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum dumtaxat ad Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam per Gregor. XIII. felic. record. approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemcumque ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eorum Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusatum ordinare. Itaque si qui ex Diœcesanis Episcoporum Eminentiæ Vestræ Provincialium Sedem Apostolicam adiverint, juxta prænarratam formulam, eorum querimo-*

niis consuletur, cui formulæ, ut unum
in præsens addatur, censuerunt expe-
dire Emi Patres videlicet, ut Metro-
politanus, aut Vicinior Episcopus,
antequam commissas sibi partes exequi
aggrediantur, paternè curent, ut il-
li denuò apud suos Episcopos per tres
vices suppliciter petant = ut videre est
in lib. 16. Literar. Visitationis Sacr.
Limin. pag. 401. latè *san. mem. Be-*
nedict. XIV. in tract. de Synod. Diœ-
ces. lib. 12. *cap.* 8. *num.* 3. *& seqq.*

Si verò delictum non adeò sit
grave, ejusque naturæ, ut vigore alle-
259 gatæ Conciliaris dispositionis dictam
rejectionem a susceptione Superiorum
Ordinum, seu gravissimam Suspensio-
nis pœnam mereatur, cessat omninò
eadem dispositio *Tridentinæ Synodus*
in præcit. cap. 1. *Sess.* 14. *de reformat.*,
quæ Ordinario prædictam tribuit fa-
cultatem exercendam ex quacumque
quidem causa, sed hujusmodi causa,
sive Subditorum excessus talis esse
debet, ut eis justè vel collatio supe-
riorum Ordinum denegari, vel susce-
260 ptorum exercitium suspendi possit,
cum qualibet gravissima pœna gravis-
simo sit commensuranda delicto.

Sed si tamen Subditus deliquerit,
& quamvis pro eo crimine dicta *Con-*
ciliaris dispositio locum habere non
possit, adhuc opus sit virga, aut alio
261 remedio, & delictum, quatenus pu-
blicetur, non parum bonæ Subditi fa-
mæ illius notorietas detrahere possit,
veluti si Sacerdos Sæcularis, aut etiam
vigore *Constitutionis san. mem.* Cle-
ment. X. *diei* 21. *Junii* 1670. incipien.
Superna §. *Et eos* Sacerdos Regularis
ab Episcopo ad audiendas Confessio-
nes approbatus ex supervenienti justa
causa ab hoc officio sit suspendendus,
rectè idem Episcopus illi talem facul-
tatem suspendere potest secretò ta-
men, & ex informata conscientia, ita
namque parcit illius famæ, bonoque
nomini, quia apud Publicum oriri po-
test opinio, quod non coactè, sed
sponte ab audiendis in futurum Con-
fessionibus abstineat, prout in facto
multos vel paulo post incœptum tale
opus ab eo deterritos, vel longo tem-
pore ab eo defatigatos, vel ex alia
honesta causa se voluntariè ab illo ab-
stinere videmus; quæ universalis opi-
nio non posset oriri, si res ad forum
contentiosum deducta foret, ubi cau-
sa Suspensionis per acta publica proba-
ri deberet; Item si Parochus, vel
Sacerdos alicujus suspectæ Fœminæ
clàm domum nocturno tempore ita
cautè frequentet, ut nonnisi per duos
secretos Testes fide dignos id ad noti-
tiam Episcopi pervenerit, & sæpe pa-
ternè monitus, vel negando facti ve-
ritatem, vel sub prætextu honestatis
Mulieris parere distulerit, hoc etiam
casu piissimi Antistites, qui cordi ha-
bent existimationem, & decus Sacer- 262
dotis, seu Parochi puniendi, qui si
bonam famam semel amittant, ad in-
star Puellarum, eam recuperare diffi-
cilè possunt, juxta monitum *Sac. Con-*
cil. Trident. cap. 1. *Sess.* 13. *de reform.*
cum mansuetudine rigorem, cum mi-
sericordia judicium, & severitatem
cum lenitate temperantes, absque ul-
lo peccaminoso stimulo vel vindictæ,
vel persecutionis, sed uti Patres, at-
que Pastores, habitis in Pastorali visi-
tatione, seu etiam extra illam dictis
secretis extrajudicialibus probationi-
bus judicialibus æquivalentibus, se-
cretò, & *ex informata conscientia*
eam illi pœnam injungunt, quam
Populus, penetrare nequeat, velu- 263
ti si secretam pecuniariam mulctam
persolvat, aut ad longum, seu breve
tempus ad peragenda spiritualia Exer-
citia ita obligetur, ut ea spontè, &
ex devotione, non autem in pœnam
peragere Populus credere valeat.

Verumtamen hoc etiam servari
tantummodo poterit, quoties ipse 264
Subditus prædictam pœnam, aliamve
similem subire consenserit, ne suum
delictum in præjudicium suæ bonæ fa-
mæ publicetur, sed si hujusmodi con-
sensum præstare noluerit, aut Ordi-
narius tunc abstinere debet ab infli-
genda pœna *ex informata conscientia*,
& procedere servatis servandis judi-
cialiter, aut si nihilominùs pœnam in-
flixerit, & mulctatus appellationem
interposuerit, quia Ordinarius reco-
gnoscit Superiorem, appellans a Ju-
dice appellationis cum expeditione 265
inhibitionis erit audiendus, sed co-
gnita justitia pœnæ, causam remittet
ad

ad Ordinarium, qui tunc, attenta publicitate delicti suborta mediante appellatione, procedere debet Juris ordine servato, sibique imputet Reus, qui conscius proprii occulti criminis, tamen illud eadem appellatione mediante publicum reddere voluit.

In casu vero, quo de illius in-
266 famia Tertius etiam cum magno scandalo participare posset, prædicti Præsules, qui solum Deum, & Justitiam ante oculos habent, ad Judicem appellationis secretò deferunt Subditi crimen Populo ignotum, non per simplicem relationem, quam ipsi quoquè semper esse debere suspectam agnoscunt, cum quilibet Ordinarius id referre censeatur, quod sibi, non quod Subdito favet, sed per extrajudiciales probationes judicialibus æquipollentes, non post interpositam appellationem ad opportunitatem expiscatas, seu auctoritate, quam habent, ferè per vim extortas, sed ante illam apud se existentes, ac tempore non suspecto acquisitas, & Judex appellationis, iis benè consideratis, atque de earum veritate satis instructus, absque illarum in actis publicis productione, & ex informsta conscientia inhibitionem moderari in hoc casu omnino tenetur.

Nequaquam e contra commendandos esse puto Ordinarios, qui Œconomicam potestatem usurpantes, eamque sibi liberam, & absolutam, non autem, ut supra, subordinatam competere supponentes, non rarò, nèc in præmissis urgentibus tantummodò casibus, aliisque similibus cum omni prudentia, prædictisque cautelis ea uti solent, *sed in quocumque casu, & pro quocumque Subditorum levi defectu, seu negligentia* illa abutuntur, eamque deservire faciunt potius ad injustè vexandum, & publicè infamandum innocentem, quam ad Rei famæ cum occultatione delicti parcendum, non secretò, sed in vim Decreti per publicumBajulum, seu Nuncium Subdito intimati, pœnam eidem *ex informata conscientia* injungentes, vel sequestrationis in domo, seu Civitate, vel Exercitiorum spiritualium, vel etiam gravissimam pœnam Suspensionis a Divinis, seu abOfficio, ubi nulla pœna, vel talis pœna non cadit, qui proindè innegabilem excessum committunt tam circa modum, quam circa pœnam.

Circa modum, quia quando imponitur pœna pro delictis occultis *ex informata conscientia*, ea intimari non debet per publicum Nuncium, dimissa copia Decreti in manibus Subditi mulctati, sed ejus intimatio fieri debet per ipsius mulctati subscriptionem, acceptando Decretum in mansionibus Judicis, ne evadat publicum, ad evitandam ejusdem Subditi diffamationem, ut ex *Raynald. in supplement. ad Cap.8.observat. Crimin. supplet.1.num.*30. docet *Monacell. in formular. tom.3.tit.2.annot. ad formul.6. num.* 20.

Circa pœnam, nam si agatur de Exercitiis spiritualibus, ea *in pœnam* sine justissima, & gravi causa imponi nequeunt, licèt enim peragere spiritualia Exercitia ex devotione sit pium opus maximè laudabile, si tamen peragantur *in pœnam*, per illa *uti pœnalia* Subditus ita mulctatus infamatur, ut supra probavi *num.* 236., eo modo, quo Monasterium voluntariè ingrediens ad peragendam pœnitentiam, semper fuit laude dignus existimatus, sed illud ingrediens coactè *in pœnam* vigore dispositionis antiquorum Canonum, habitus semper fuit uti criminosus, & nonnisi in illud detrusus, quam ad peragendam perpetrati criminis pœnitentiam. Præterquamquod inspiciendum non est, an opus, ad quod quis condemnatur, sit opus per se bonum, sed tantum an condemnatio sit justa, vel injusta, & an liceat sine peccato pro sola satisfactione Superioris cogere Subditum ad luendam indebitam pœnam damnum, vel in ære, vel in corpore, vel in fama, & bono nomine Irrogantem, ad quod reficiendnm tenetur tàm Ordinarius, qui illud injustè intulit, quàm Judex appellationis, qui illud impedire neglexit, alias sine hujusmodi restitutione peccati veniam obtinere non possunt.

Si vero agatur de pœna Carceris (& Carceratus dicitur non solum in Carceribus formalibus detentus, sed

etiam qui retinet domum, vel Civitatem pro Carcere *Monacell. in formular. tom. 1. tit. 5. annot. ad formul. 9. num. 29.*) quia Carcer injuriam irrogat, famam onerat, & irreparabile gravamen infert, ut ex *Ricc. decis. 128. num. 7. par. 2. Cyriac. controv. 172. num. 51. & seqq.*, tradit idem *Monacell. in formular. tom. 1. tit. 5. annot. ad dict. formul. 9. n. 16. & tom. 3. tit. 2. annot. ad form. 45. num. 14.* multo minus pro quocumque crimine infligi potest, sed tantummodò pro delictis famosis, & scandalosis *Monacell. in formular. tom. 1. tit. 5. dict. annot. ad formul. 9. num. 27.* = ibi = *Rarò igitur, & in delictis famosis, & casibus, qui scandalum gignunt, ad capturam procedatur* =

Si agatur demum *de pœna Suspensionis a Divinis, vel ab Officio*, hæc profectò non est herba Betonica in omnibus emplastris adhibenda, prout nonnulli Ordinarii opinantur, qui in omnibus casibus, & pro quacumque causa Censuris abutuntur, easque, licèt maximoperè formidandas, propter frequentem usum, seu verius abusum reddunt contemptibiles, ac ferè ridiculas, sed nonnisi ob culpam lethalem Ordinarius illam comminari, seu fulminare potest *Monacell. in formular. tom. 3 in prælud. num. 99.* = ibi = *Verum tamen est, quod hæc Censura &c. non incurritur, nisi ob propriam culpam*, EAMQUE MORTALEM, *prout communitèr imponi solet etiam ab Homine &c. quia cum pœna debeat esse commensurata delicto, seu culpæ, &* SUSPENSIONES AB OFFICIO, BENEFICIO, ORDINE *&c.* SINT GRAVES, *ideò requirunt culpam gravem* = & in casu, quo quis suspendatur ad longum tempus, ad hoc non sufficit quæcumque lethalis culpa, sed ea lethalis culpa adesse debet, QUÆ NON GRAVIBUS, SED GRAVIORIBUS ACCENSEATUR, ut inter alios monet *san. mem.* BENEDICT. *XIV. in suo tract. de Synod. Diœces. lib. 10. cap. 1. §. 3.* hisce præcisis verbis „ Quæ porrò de excommu„ nicatione dicta sunt, intelligi etiam „ debent *de Suspensione*, & interdi„ cto: quamquam enim pauci quidam „ Doctores, inter quos *Cajetan. in* „ *Summ. verb. Suspensio, & Medina in* „ *Summ. lib. 1. cap. 11. §. 8.* affirment „ Suspensionem ob levem culpam fer„ ri posse, idemque de Interdicto sen„ tiant *Emmanuel Sà verb. Interdi„ ctum n. 7. & Gaspar Hurtado tract.* „ *de Interdict. difficult. 13.* rectius ta„ men *Suarez de Censur. disput. 4.* „ *sect. 4. n. 7. & disput. 36. sect. 3. n. 2.* „ *Vasquez in 1. 2. disput. 158. n. 49. Lay„ man. lib. 1. Theol. Mor. tract. 5. par.* „ *3. cap. 3. n. 2. & par 4. n. 4.* docent „ *Suspensionem a Divinis, seu ab Offi„ cio, & Beneficio* ad longum tempus, „ atque interdictum etiam personale, „ nisi partiale sit, sed integrum, & to„ tale, NEC VALIDE propter culpam „ levem, NEC PRUDENTER propter le„ thalem, *quæ gravioribus non accen„ seatur*, irrogari. Quamvis igitur „ Episcopus ordinariam potestatem „ habeat ferendi Censuras, easque „ in suarumConstitutionum transgres„ sores decernendi, non tamen expe„ dit, ut hunc suæ potestatis gla„ dium exerat, *nisi ad coercenda gra„ viora crimina.* Scimus profectò ne„ cesse non esse, ut ante Superioris le„ gem, qua aliquid sub censura prohi„ betur, illud jam esset lethaliter ma„ lum, sed quandoque contingere, „ tunc primum graviter malum fieri, „ cum a Superiore prohibetur sub „ pœna censuræ quæ certè ejusdem „ intentionem ostendit obligandi sub „ mortali; at non decere, dicimus, ab „ Episcopo aliquid sub gravi præcipi, „ vel prohiberi, statuta in transgresso„ res censura, nisi materia præcepti „ sive ratione sui, sive ratione circum„ stantiarum talis, & tanta sit, ut hanc „ pœnam exposcat. De Prælatis hæc „ ait *Gerson tract. de vit. spiritual.* „ *animæ lect. 4. coroll. 7. tom. 3. Oper.* „ *col. 42.* loquens de excommunicatio„ bus latæ sententiæ: *Qui pro solis* „ *incommodis temporalibus evitan„ dis, aut commodis politicis conser„ vandis æternam vult infligere mor„ tem, cui quæso similis erit? illi ni„ mirum, qui volens abigere muscam* „ *a fronte vicini, eam securi percu„ tiens, vicinum stultus excerebravit;* „ *aut ei parem dixerim, qui studens* „ *curationem modici vulneris in pede*

„ *Equi*

„ *Equi sui, pedem confestim abrupit,* „ *& scidit, Equumque peremit* „ ; Et subindè idem Summus Pontifex Sacrorum Canonum peritissimus, & in exercendo Pastorali munere etiam antequam ad Summum Pontificatum evectus fuisset, apprimè versatus §. 5. subjungit „ Quod si omnium Doctorum „ consensu GRAVE, ET ENORME CRIMEN requiritur ad irrogandam Censuram, etiam quam vocant COMMINATORIAM, ET FERENDÆ SENTENTIÆ, multu sanè GRAVIUS, ET EXECRABILIUS esse oportet delictum, ob „ quod infligitur Censura latæ sententiæ „ .

267 Quoties igitur adest sive circa modum, sive circa pœnam excessus, utique ad utrumque effectum admittenda est appellatio *Gloss. in Cap. De priore 31. verb. Contempsit de appellat.* = ibi = *Ex hoc patet, quod si Prælatus modum excedat in correctione, quod benè admittitur appellatio a tali correctione* = & concordat *text. in Cap. Licèt 12. de Offic. Judic. Ordinar.*

Et quia cavendum est semper, nè innocens opprimatur, neque Ministrorum culpa datam fidem scandalosè frangat Ecclesia, quæ doli penitus incapax oppressos excitat, & ferè obligat ad interponendam apud se appellationem, iis benignè offert sua justitiæ, ac pietatis ubera, quibus nutriantur, suamque supremam auctoritatem, ut a præpotentia defendantur, & a suis oppressionibus releventur, nèc uti Noverca obturat aures, sed eas, tamquam piissima Mater, ad querimonias, & clamores sui amantissimi Filii sollicita misericorditèr aperit, illi non terga vertit, nèc ullo modo patitur, quod inauditus, indefensus, & a se derelictus aliquam luat pœnam, nisi prius de ejusdem pœnæ justitia ipsa cognoverit, quia tollerare non potest, quod suum Filium injustè vexetur, & puniatur; neque ut vera Mater oblivisci potest, quod appellans sit Filius suus, unoque verbo, ne reddatur turpiter elusorius maximè apud pusillos *Can. Ad Apostolicam 7. caus. 2. quæst. 6.* = ibi = *Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maximè tamen ab oppressis est appellandum, & concurrendum quasi ad Matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a suis oppressionibus releventur,* QUIA NON POTEST, NEC DEBET MATER OBLIVISCI FILIUM SUUM =

Ideò appellatio in suspensivo quoquè admitti debet, seu saltem inhiberi donec, & quousque de excessu cognitum fuerit, etiamsi dubitetur utrum adsit excessus; & ratio incontrovertibilis est, quia si in dubio admitteretur in devolutivo tantum, & in progressu Causæ appareret, quod sive pœna Exercitiorum spiritualium, sive Carcerationis, aut qualibet alia similis pœna irretractabilis imponi non potuisset, appellans non esset ab oppressione defensus, neque tot promissionum, & amoris, justitiæ, atque pietatis Sanctæ Matris Ecclesiæ experiretur effectus, sed potius remaneret oppressus, quia damna, & incommoda ab ipso in individuo sui Corporis passa cum discrimine propriæ salutis, & præjudicio longioris vitæ, ut supra vidimus) in definitiva reparari nequeunt; quidquid secus forsan dicendum esset, si pœna foret tantummodo pecuniaria, ad quam restituendam Curia in definitiva potest condemnari una cum refectione damnorum, & expensarum, ideòque damnum est reparabile.

In quocumque autem casu, si in gradu appellationis appareat Subditum mulctatum nullum commisisse Crimen, quod injunctam, seu nullam pœnam mereatur, seu deficere requisita desuper enumerata, sine quibus nèc etiam supremus Princeps Œconomica potestate tuta conscientia uti valet, absque ullo dubio Judex appellationis, omni humano respectu deposito, assertum Reum, seu verius innocentem absolvere debet una cum 268 victoria omnium damnorum, & expensarum, tùm ad claudendam hanc Januam aliquorum Ministrorum Curiarum Episcopalium tyrannidi, per quam honesti quoque Sacerdotes, & Parochi gratis vel infamantur, vel depauperantur, vel amissioni aut salutis, aut vitæ subjiciuntur, & quidem cum Populi scandalo justitiam in mani-

quatenus Mulier præcepto non pareat formalem Processum conficere, ac probata transgressione eamdem saltem in pœnam exilii condemnare absque ullo
271 metu successivæ appellationis, nam bonus Judex gaudet de appellatione, quia etiam Judex appellationis nonnisi pro Justitia stare debet ex ea ratione allata per text. in *Cap.Cum speciali* 51. §. *Porrò de appellat.* =ibi= *Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum* =

Et ita tàm quoad propositum mihi casum, quàm quoad usum Œconomicæ potestatis Juris esse censeo, salvo &c.

ADDIT. IV.

Refertur per extensum Edictum a cl. mem. Emo, & Rmo D. Card. Guadagni Urbis Vicario jussu S.M. Clementis XII. emanato super delicto Stupri.

SUMMARIUM

272 *Auctor fuit Vicarius Generalis cl.mem.Emi, & Rmi D.Card.Guadagni Vicarii Urbis, Subdecani Sac. Collegii, & Episcopi Portuensis, & S. Rufinæ.*

273 *Virtutes præfati dignissimi Purpurati recensentur, & laudantur.*

274 *Ejus ultima Infirmitas.*

275 *Ejus mors, & misericordia in Pauperes.*

276 *Totam ejus hæreditatem Conservatorio Pauperum Puellarum Sancti Paschalis reliquit.*

277 *Obiit cum fama Sanctitatis:*

278 *Sunt qui ejus intercessione gratias a Deo se obtinuisse testantur.*

279 *Edictum ab ipso emanatum jussu san. mem. Clementis XII. adversus Stupri Reos.*

280 *Causa emanandi simile Edictum.*

281 *Vi cujus Deflorator condemnari debet in pœnam Corporis afflictivam extendendam usque ad triremes quoad Laicos, & ad Ergastulum quoad Clericos, ultra pœnas à Sacris Canonibus constitutas, & refectionem damnorum, & interesse.*

282 *Et Deflorata condemnari debet in pœnam Carceris, attentis tamen facti circumstantiis.*

283 *Si passa fuerit Stuprum sub promissione Matrimonii, idem Matrimonium assequi non potest, nisi eadem promissione concludenter probata.*

284 *Et etiamsi probetur, adhuc ea adimpleri non debet, si ob disparitatem conditionis Contrahentium, prævideatur ex Matrimonio scandala, & ignominiam Consanguineorum consequi posse.*

285 *Tenetur tamen Deflorator ad reintegrationem damnorum, & interesse.*

286 *Parentes, Fratres, aliique, ad quos spectat custodia Puellæ Defloratæ, si Deflorationi cooperati fuerint vel lenocinio, vel conniventia, amittunt Jus ad petendam Dotem nomine Defloratæ.*

287 *Tenetur tamen Deflorator ad interesse, & damna in pios usus eroganda.*

288 *Parentes, Fratres &c. si convicti fuerint, ut supra, de lenocinio, condemnandi sunt per decennium ad triremes, & respectivè in pœnam carceris.*

289 *Si vero convicti fuerint de sola conniventia, condemnari debent, in eamdem pœnam ad septemnium.*

290 *Et in eamdem pœnam ad septemnium condemnandi sunt Famuli, Famulæque &c. qui Deflorationi suo Lenocinio auxiliam præstiterint.*

291 *Qui vero non essent servitio Defloratæ addicti, & Lenocinio pariter auxilium præstiterint Deflorationi, condemnari debent in eamdem pœnam ad quinquennium.*

292 *Omnes prædicti antequam ad triremes transmittantur, vel in Carcerem detrudantur, debent circumire loca solita Civitatis cum infami galea, infamoque libello.*

293 *Confirmantur Constitutiones Pauli IV.*

li IV. & Xisti V. contra Lenas, atque Lenones.



EFERRE quoquè opportunum existimavi per extensum Edictum per Me allegatum in præcedenti *Vot. VII. sub n.* 1. 217.251.258.260. publicatum à cl. mem. Emi, & Rmi D. D. Joannis Antonii Card. Guadagni dignissimi Urbis Vicarii, & Subdecani Sacri Collegii, qui, Tusculana Ecclesia dimissa, & altera Portuensi, & Sanctæ Rufinæ per optionem assumpta, illicò, meis nullis suffragantibus meritis, idem piissimus Purpuratus Me in regimine hujus insignis Episcopatus in sui adjutorium elegit, suique Vicarii
272 Generalis honore decoravit. Id meæ singulari Sorti quidem adscripsi, ut eximias præstantissimi hujus Ecclesiastici Principis Virtutes propius admirari possem, qui plurium lustrorum spatio Summi Pontificis vices geren-
273 do, in retinenda disciplinæ observantia, Religionisque puritate constantiam; in præbendo omnibus benignas aures tàm matutinis, quàm vespertinis horis, & usquè ad horam secundam, & sæpe tertiam noctis hilari semper vultu patientiam; compositam in tanta Dignitate naturam; bonitatem cum gravitate conjunctam; integritatem, prudentiam, fidem, vigilantiam, & zelum nullo non tempore exhibuerat, illumque nèc avita generosa Nobilitas, nèc sublimitas Episcopatus, dum Ecclesiæ Arretinæ præesset, nèc deindè, eo reluctante, promerita Purpura, ac Gradus, & alti muneris excellentia à sua ingenita modestiæ virtute, animoque religiosissimo ab ineunte ætatè acquisito, & successivè sedulo studio inter Carmelitas Discalceatos sui Ordinis confirmato dimovere potuerant. Veruntamen dum ad pertractanda Episcopatus negocia tàm in Diœcesi, ad quam sine Me nunquam accedere consuevit, quàm Romæ, ubi in illius Palatio commodas, ac benè compositas habebam Mansiones, ejus quotidiana jucundissima
274 consuetudine gauderem, levi primum, & deindè gravi morbo correptum in ætate annorum 84. & mensium 4. constitum, summa animi remissione ægritudinis incommoda passum, summaque suorum Familiarium, ac totius Urbis ædificatione omnibus Ecclesiæ Sacramentis ab eo enixè petitis devotè refectum, sub *die* 15. *Januar.* 1759. *hor.* 15. *minut.* 51. Altissimus, qui Justis præmia meritorum elargitur, ad
Cœlestem Patriam evocavit. Cum au- 275
tem dum in humanis ageret, omnium in se admirationem, benevolentiam, atque venerationem commovisset, ferè totius Romæ luctus ejus funus associavit, & maximè copiosissimæ Pauperum lacrymæ sui amantissimi Patris jacturam amarè dolentium. Siquidem in eorum quotidianum levamen, demptis propriis, iisque parcis alimentis, suæque Familiæ Salariis, singulis annis pingues suos redditus totaliter erogaverat, quas eleemosynas per Mensem etiam post suum felicem obitum continuari præcepit. Conservatorio autem pauperum Puellarum S. Paschalis, quibus (ne amisso eorum Fundatore, ac Benefactore jam defuncto, ex eo Castitatis asylo cogerentur exire) usquè ad ultimum vitæ spiritum in singulos Menses scuta 42. subministraverat (nullò modo suis sanguine Conjunctis in ultimo suæ volun-
tatis elogio, quoad bona ex Ecclesia- 276
sticis redditibus acquisita, contemplatis) totam suam hæreditatem reliquit. Hinc hujusmodi præstantissimum Virum etiam viventem ob ejus singulares Virtutes tàm intrà, quàm extra Urbem plenissimè notum, & ab omnibus eme-
ritis laudibus commendatum, multò 277
magis post mortem Populus usquè ad sydera extollere, & quia post aurum non abiit, nèc speravit in pecunia, & thesauris, modò Beatum, modò Sanctum appellare non dubitavit, idque alta voce, tenerisque gemitibus, dum ejus Cadaver ad Ecclesiam S. Mariæ, ut dicunt, *della Scala* nocturno tempore tumulandum deferebatur, repetere non cessabat ea turba Virorum, atque Mulierum, quibus Viæ, domorumque fenestræ replebantur, quique impediti particulas Vestimentorum illius Cadaveris, ut alii, abradere non potuerant, ne illud nempè nudum relin-

relinquerent, easdem deindè à suis
familiaribus enixè petitas, ac devotè
receptas, uti pretiosissima tanti Viri
pignora sunt venerati, & ipsius patro-
cinium invocantes Gratias à Deo sup-
278 pliciter exorati se obtinuisse testantur,
& usque in hunc diem ad eumdem ef-
fectum cujuscumque generis Homines,
præsertim Pauperes, ejus Sepulchrum
frequentare non desinunt.

Quanta autem fuerit hujus ze-
lantissimi Purpurati vigilantia, & sol-
licitudo in profligandis vitiis, illudque
maximè, per quod major etiam Chri-
stifidelium numerus immensum æternæ
felicitatis bonum amittit, tum in sui re-
giminis ministerio semper ostendit, tùm
etiam manifestavit in suadendo nèc ni-
mis sæpe, nèc nimis valdè laudato s. m.
Clemente XII. Pontifice Optimo Ma-
ximo ejus Avunculo, ut adversus Stu-
pra committentes, illisque auxilium
præstantes pœnas in præcitato Edicto
relatas statueret, cujus tenor est, prout
sequitur.

,, Fr. Gio: Antonio *del Titolo*
,, *di San Martino de' Monti, della*
,, *S.R.C. Prete Card. Guadagni, della*
,, *Santità di Nostro Signore Vicario*
,, *Generale &c.* Non v' essendo cosa,
,, che maggiormente stia a cuore al-
,, la suprema vigilanza del Principe,
,, quanto la Vita, e l'Onore de' propj
,, Sudditi, dal buon regolamento de
,, quali principalmente dipende l'o-
,, nor di Dio, e la pubblica, e priva-
,, ta quiete: ed essendosi alla sicu-
,, rezza dell'una dato conveniente
,, riparo dalla Santità di Nostro Si-
,, gnore colla salutevole Costituzio-
279 ,, ne contro gli Omicidj; volendosi
,, dal suo indefesso Paterno zelo
,, provedere alla sicurezza ancora
,, dell'altro; giacchè per la corrut-
,, tela de' nostri tempi s'è introdotta
,, una troppo invereconda libertà di
,, costume, d'onde specialmente de-
,, riva l'intacco dell' onore di tante
,, Famiglie per la frequenza de' Stu-
,, pri volontarj, che alla giornata si
,, commettono in Roma, e per tutto
,, lo Stato.

,, Quindi è, che la medesima
,, Santità di Nostro Signore, riflet-
,, tendo essere la sorgente di tanto
,, male non solo la malizia degli Uo-
,, mini nel tender insidie all' onestà
,, delle Giovani, e la troppa facilità
,, di queste nel lasciarsi sedurre sulla
,, speranza del conseguimento della
,, Dote, o del Matrimonio; ma spe-
,, cialmente la negligenza de Parenti 280
,, nel custodirle, e forse talora, così
,, a Dio non piaccia, la loro infame
,, connivenza; e doppo avere al lu-
,, me dell'Apostolico suo Zelo consi-
,, derato non potersi conseguire il
,, fine di togliere la frequenza de'de-
,, litti, se non coll' indurre maggior
,, severità nelle Leggi a proporzione
,, della maggior malizia degli Uomi-
,, ni, come per esperienza s'è vedu-
,, to nel buon' effetto prodotto dal
,, rigore della mentovata Costituzio-
,, ne contro gli Omicidj: hà creduto
,, parte indispensabile della sua Pa-
,, storale sollecitudine d' apprestare
,, ancora in questo genere opportuno
,, rimedio con nuove salutevoli pro-
,, visioni, acciò dal timor della pena
,, si rendano in avvenire meno audaci
,, gl' Uomini nell' insidiar l' onestà
,, delle Zitelle: queste all' incontro
,, più caute nel conservarla illibata,
,, e nello stesso tempo sieno maggior-
,, mente astretti i Parenti alla dili-
,, gente custodia delle medesime.

,, Pertanto doppo matura deli-
,, berazione avutasene dalla Congre-
,, gazione particolare a ciò deputata,
,, a tenore delle risoluzioni della
,, medesima, la Santità di Nostro
,, Signore coll' oracolo della sua viva
,, voce espressamente ci hà incaricato
,, di pubblicar' il presente Editto, da
,, inviolabilmente osservarsi in tutti
,, i Tribunali di Roma, ed eseguirsi
,, sotto le pene in esso contenute,
,, ed espresse.

,, In esecuzione dunque della
,, sovrana determinazione, e volontà
,, Pontificia primieramente, per to-
,, gliere all' Uuomo la facilità di dar
,, compenso al proprio delitto collo
,, sborso semplice della Dote, o coll'
,, effettuazione del Matrimonio, la
,, qual facilità di redimersi da' Reati
,, hà resa sempre più agevole la stra-
,, da a commettergli, e per esser con-
,, veniente, che dal Reo si dia la do-

„ vuta soddisfazione al Fisco, come
„ negli altri Delitti si suol praticare:
„ si ordina, che il Deflorante, oltre
„ le pene stabilite da Sagri Caoni,
„ la disposizione de'quali si lascia nel
„ suo pieno vigore, ed osservanza,
281 „ in avvenire sia soggetto ancora alla
„ pena afflittiva del corpo, da esten-
„ dersi fino alla Galera, e rispetto
„ a' Chierici fino all' Ergastolo, o sia
„ Relegazione ad arbitrio del Giu-
„ dice secondo le diverse circostanze
„ de' casi, grado, e condizione, e
„ specialmente secondo la maggiore,
„ o minor seduzione usata dal mede-
„ simo Deflorante, oltre la refezione
„ de danni, ed loteresse a favor del-
„ le Parti, la quale si lascia sotto
„ la disposizioo di ragione.
„ In secondo luogo, siccome
„ l' esperienza hà fatto conoscere,
„ che la sicurezza dell' Impunità go-
„ duta dalle Giovani Deflorate, e
„ la speranza all' incontro, che da
„ loro si hà, di poter' a costo dell'
„ onore conseguir la Dote, e l'effet-
„ tuazione del Matrimonio, non so-
„ lo rende le medesime meno accor-
„ te nel custodir la propria pudicizia,
„ ma forse talora serve d' incentivo
„ alla loro prostituzione; sembrando
„ per altra parte dritto della Giusti-
„ zia distributiva, che dalle Deflo-
„ rate eziandio, come Corree del
„ Delitto, venga data, ad esempio
„ dell' Uomo, una qualche soddisfa-
„ zione al Fisco: così viene espressa-
„ mente stabilito, ed ordinato, che
„ in avvenire le Deflorate sieno puni-
282 „ te ancor' Esse colla pena del corpo
„ afflittiva, da estendersi fino alla
„ Carcere ad arbitrio del Giudice,
„ secondo le diverse circostanze de'
„ casi, grado, e condizione, come
„ sopra, e specialmente secondo la
„ maggiore, o minor seduzione pa-
„ tita, o respettivamente usata dal-
„ la medesima Deflorata.
„ Volendo in oltre, che in caso
„ di Stupro sotto promessa di Matri-
„ monio non possa la Deflorata aver
„ azione all'adempimento del mede-
„ simo in vigore della promessa, qual'
„ ora non faccia costare in giudizio
283 „ per mezzo di pruove legittime,
„ ed affatto concludenti l' obligazio-
„ ne con somigliante promessa con-
„ tratta, restando però ferma ogni
„ altra azione, che di ragione gli
„ potesse competere.
„ Dichiarando ancora, che non
„ ostante una tale concludente, e le-
„ gittima pruova, non sia tenuto, nè
„ possa esser astretto il Deflorante
„ all' adempimento della promessa,
„ quante volte sieno i Contraenti di
„ tal disparità di condizione, che 284
„ dall' effettuazione del Matrimonio
„ ne fosse per seguir grave scandalo,
„ e derivarne ignominia alle Paren-
„ tele.
„ In tal caso però non s'intenda
„ il Deflorante immune, ed esente
„ dall' obbligo, che gli corre per la 285
„ reintegrazione de' danni, ed' in-
„ teresse a favor delle Parti, com'è
„ di ragione.
„ In terzo luogo considerando-
„ si, che in vano si sarebbono stabili-
„ te le sin qui espresse ordinazioni,
„ se non si venisse ad impedir la sor-
„ gente del male, che principalmen-
„ te deriva dalla cattiva educazione
„ de' Parenti, Congiunti, ò d'altri,
„ a' quali dalla natura, o dalle Leg-
„ gi è stata commessa la custodia del-
„ le Zitelle, e che scordevoli ben
„ spesso del timor di Dio, e dell'onor
„ del Mondo danno a quelle occasio-
„ ne di male colla loro trascuraggine
„ nel custodirle, e qualche volta à
„ bello studio il permettono colla
„ loro connivenza, se non ancora
„ il cagionano tal' ora con lenocinio
„ effettivo, per puro motivo d' in-
„ teresse, o di vantaggio di condi-
„ zione sulla speranza delle future
„ Nozze; perciò si dichiara, che
„ i Padri, Madri, Fratelli, o al-
„ tri, a' quali spetti de Jure d' in-
„ vigilare, come sopra, alla cura
„ delle Zitelle, e per conseguenza
„ appartenga la querela, ed accusa
„ dello Stupro, quante volte si tro-
„ vassero rei, o di lenocinio, o di 286
„ connivenza, perdano del tutto
„ l' azione di poter domandare la
„ Dote a nome della Deflorata, (re-
„ stando però illese le ragioni, che
„ à questo competono) ed altra qua-
lun-

,, lunque azione, che a loro fa-
,, vore potesse intentarsi in ordine
,, a' danni, ed interesse, volendosi
,, in tal caso, che l' importo de'
,, detti danni, ed interesse dovuti
,, dal Delinquente, da tassarsi ad
287 ,, arbitrio del Giudice secondo le
,, diverse circostanze, come sopra,
,, debba esigersi dal Fisco, e da
,, questi erogarsi in usi Pij ad arbi-
,, trio.

,, Mà perchè la pena della per-
,, dita dell' interesse non sarebbe
,, proporzionata alla colpa, se non
,, si costituisse in oltre una positiva
,, condegna punigione, perciò vie-
,, ne contro de' medesimi prescritta
,, parimente, à misura della diversa
,, gravità del reato, la pena afflittiva
,, da inviolabilmente osservarsi, co-
,, me siegue.

,, I Padri, le Madri, Fratelli,
,, e gli altri tutti dell' uno, e dell'
,, altro Se o, a' quali de Jure spet-
,, ta la custodia delle Zitelle nel ca-
288 ,, so, che sieno rei d' aperto leno-
,, cinio, incorrano irremissibil-
,, mente la pena di dieci anni di
,, Galera, o di dieci anni di Car-
,, cere secondo la diversità del Ses-
,, so.

,, Se saranno colpevoli non d' a-
,, perto lenocinio, mà di sola conni-
,, venza, debbano condannarsi alla
,, Galera, o respettivamente alla
289 ,, Carcere per sette anni, lasciandosi
,, all' arbitrio del Giudice da rego-
,, larsi secondo la diversità de' casi,
,, e delle Persone, di punire la sem-
,, plice negligenza.

,, Li Servidori, Serve, ed altri
,, famigliari Salariati, e Mercenarj, col
,, mezzo, ajuto, e consiglio de' qua-
,, li sia seguito lo Stupro, vengano
290 ,, condannati alla Galera per sett'an-
,, ni, o respettivamente alla Carce-
,, re come sopra.

,, Tutti gli altri poi generale-
,, mente, i quali, benchè non fos-
,, sero all'attual servigio della Casa
,, della Deflorata, si trovassero però
291 ,, rei di lenocinio, sieno sogetti alla
,, pena della Galera per cinque anni,
,, o della Carcere, come sopra, la-
,, sciando però all' arbitrio del Giu-
,, dice di poter estendere ancor' a
,, maggior tempo una tal pena secon-
,, do le diverse circostanze de ca-
,, si &c.

,, In tutti poi, e singoli casi so-
,, pra espressi di connivenza, o di
,, lenocinio, i Delinquenti prima d'
,, esser mandati alla Galera, ed alle
,, carceri, si debbano condurre intor-
,, no per la Città ne' soliti luoghi 292
,, nelle forme consuete con Mitra, e
,, Cartello d' infamia, ove stia scrit-
,, ta la specie del Delitto.

,, Con dichiarazione però, che
,, le pene sin qui espresse s' intendano
,, unicamente contro i Rei di sempli-
,, ce Lenocinio, poichè nel resto
,, debba aver luogo la pena dell' ul- 293
,, timo supplizio ne' casi individuati
,, dalle Costituzioni delle fel. me. di
,, Paolo IV., e Sisto V., le quali la
,, Santità di N. Sig. ordina, e vuole
,, rimangano nel loro pieno vigore,
,, ed in caso di bisogno espressamente
,, l' innuova, e ne inculca à Giudici
,, la puntuale, ed esatta osservanza.

,, Avvertano dunque tutti colo-
,, ro, à quali si hà relazione nel
,, presente Editto, di non commettere
,, veruno degli accennati delitti, per-
,, chè contro li Delinquenti, e col-
,, pevoli si procederà irremissibilmen-
,, te alle pene di sopra stabilite.

,, Volendo, ed ordinando in
,, oltre, che il presente Editto affis-
,, so, e publicato ne' luoghi soliti di
,, questa Città di Roma, astringa
,, ciascuno alla precisa osservanza di
,, quanto in esso si contiene, come se
,, à ciascuno fosse stato personalmen-
,, te intimato.

,, Dato in Roma dalla nostra
,, solita Residenza questo dì 13. Set-
,, tembre 1736. = Fr. G. A. Card.
,, Guadagni, e Capo della Congre-
,, gazione = Ferdinando Maria de
,, Rossi Segr. della Congr.

,, *Die, Mense, & Anno, qui-*
,, *bus supra, supradictum Edictum,*
,, *affixum, & publicatum fuit ad*
,, *Valvas Curiæ Innocentianæ, ac in*
,, *Acie Campi Floræ, ac in aliis lo-*
,, *cis solitis; & consuetis Urbis per*
,, *me Franciscum Rotam Eminentiss.*
,, *Vicarii Mandatarior. Decanum.*

Ex inviolabili hujusmodi Edicti summoperè laudandi observantia maxima Reipublicæ Christianæ utilitas oriretur.

Inprimis enim si Parentes, Fratres Stupratæ, omnesque alii in eodem Edicto nominati pro Lenocinio, & respective prò Conniventia statutis, ut supra, pœnis punirentur, nèc in contemptum aliarum quoquè legum tàm Civilium, quàm Ecclesiasticarum impuniti penitus remanerent, ipsorum proculdubio ea esset indefessa sollicitudo, & attentio, ut non solum non conversari juxta detestabilem libertatem effrenatam jàm introductam, sed nèc loqui quidem suas Filias cum Viris maximè Juvenibus cujuscumque conditionis permitterent.

Juvenes autem videntes eorum exempla, qui ob Stuprum statutam Triremium luerent pœnam juxta gradum, & conditionem delinquentium à prudenti Judice arbitrandam, non ita facilè talia crimina perpetrarent, scientes non sola dotatione Stupratæ hujusmodi plagam esse sanandam, sed etiam pœna Corporis afflictiva, quemadmodum eos, ultra debitum Dotis, pœnam insuper debere subire Ego quoque firmavi *in præcedenti Vot. VII. num.* 40. quidquid secus dicendum esset quando Stuprator eligeret desponsare Stupratam, tunc enim, ne, Matrimonio contracto, ad longum tempus Conjuges inter se separentur, Deflorator non est ad triremes condemnandus, sed Judex potest illum alia pęna mulctare juxta arbitrium, ut supra sibi tributum.

Si vero Deflorata pariter, uti socia criminis, pęna quoquè Corporis afflictiva puniatur usquè ad Carcerem extendenda arbitrio Judicis, prout puniendam esse in eodem Edicto præscribitur, & habemus *text.* expressum *in l. Fœdissimam* 20. *Cod. Ad legem Jul. de Adulter.* = ibi = *Fœdissimam earum nequitiam, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt &c. leges ulcissuntur* =, absque ulla hæsitatione non ita frequenter Stupra committerentur, ut considerat etiam *Laur. Matthæus de re Crimin. contr.* 51. n. 38. = ibi = *Si aliqua pœna coercerentur Puellæ, neque tantæ deceptæ sub frustranea spe Nuptiarum deriderentur, neque tot Adolescentulos, quorum Matrimonia ambiunt, ad amplexus invitarent* =

Nèc etiam ita facilè Puella sub promissione futuri Conjugii consentiret in Stuprum non ignorans, quod si Stuprator sit æqualis conditionis, adhuc ad illam desponsandam cogi non potest, nisi per legitimas, ac concludentes probationes de tali promissione apertissimè constet ad tramites præcitati Edicti, & juxta deducta in allegato *præcedenti Vot. VII. num.* 60. *& seqq.*; Si vero Stuprator illam in conditione præcellat, etiamsi probetur Stuprum sub promissione futuri Conjugii fuisse commissum, nihilominus Matrimonium assequi non posset, si ex eo grave aliquod scandalum esset oriturum, aut ipsum Matrimonium vergeret in ignominiam Parentum, Consanguineorum, & Affinium Deflorantis, quæ sanè prælaudati Edicti dispositio est Juri, & communi Doctorum opinioni conformis, ut latè probavi *in præcedentibus Votis*.

Neq; solum Matrimonium assequi non posset, sed in utroque casu etiam Dotem ex dispositione ejusdem Edicti facilè amitteret, quatenus nempè constaret de Lenocinio, seù Conniventia suorum Parentum, aut Fratrum, aut aliorum, ad quos spectabat Defloratæ custodia, quæ saltem Conniventia sæpissimè intervenit, præcipuè si agatur de Genitoribus pauperibus, qui per hanc viam Filias in Matrimonium collocare student, seu saltem Dotem assequi posse sperant, per ea per me deducta signanter *in Vot. VI. num.* 15. *& seq.*, *& Vot. VII. num.* 3. *& seqq.*

Nec opponendum venit, quod Defloratæ à comminata pœna Corporis afflictiva deterritæ forsan in futurum Stupra celantes, abortus quoquè, seù infanticidia committerent, nam distinguendum est inter Stupratas cum prægnantia, & alias, quæ mediante copula gravidæ nullatenus efficiuntur.

Si Stuprata igitur effecta fuerit gravida, pandere potest suum crimen, & infamiam absque timore carcerationis,

nis, quia, attenta prægnantia, prudens Judex, ad removendam quamcumque causam abortus, facto eidem præcepto de conservando fœtu &c., illam in Carcerem detrudere omittet, unde nèc ipsa procurandi abortum, aut committendi infanticidium occasionem habebit.

Si vero prægnans non fuerit, nèc agatur de Fœmina, quæ copulam admittit ad explendam tantummodo libidinem, vel quæstus causa, vel quia est Concubina, seù occulta Meretrix, cujus generis Fœminæ non in vim hujus Edicti, at aliis pœnis a legibus statutis plecti debent, sed agatur de Puella, quæ vel Stupro consensit, vel Virum seduxit ad effectum inveniendi Maritum, seù Dotem acquirendi, prout Puellæ præsertim humilis conditionis facere solent, quæ dotem, vel Maritum inæstimabili pretio suæ famæ, honoris, & animæ emere tentant; Aut quemadmodùm hæc pro acquirenda Dote seù Matrimonio, mediante Stupro, se infamare non dubitavit, multo minus pro eodem Matrimonio, seù Dote non amittendis, Carcerem ad aliquod proportionatum tempus ad obtinendum intentum perhorrescet.

Aut si post Stuprum subireCarcerem difficultet, ideòque Stuprum abscondat, ex hoc nullum oritur malum, sed potius bonum, quia sic provisum remanet publico scandalo, quod emergit ex ipsiusStupri publicatione; nam aliæ Puellæ ejusdem conditionis hoc exemplo discunt ita sibi vel dotem comparare, vel comparare Maritum, neque malitiam ex tali retardata publicatione Pueri, & Puellæ innocentes percipiunt, nèc horum delictorum publicitas (ut sæpè accidere solet) Sacrarum quoque Virginum aures offendit.

ADDIT. V.

Referuntur Literæ in forma Brevis sa. me. Benedicti XIV. circa Matrimonia Conscientiæ.

SUMMARIUM

294 *Referuntur Literæ Benedicti XIV. datæ in forma Brevis circa Matrimonia Conscientiæ.*

295 *Matrimonium publicè contrahi debet præmissis tribus Denunciationibus.*

296 *Parochus debet habere librum, in quo describantur Matrimonia.*

297 *Abusus in contrahendis Matrimoniis Conscientiæ.*

298 *Peccata, & pessimæ consequentiæ, quæ ex his Matrimoniis oriuntur*, & n. seq.

300 *Nec non ex Matrimoniis Filiorumfamilias contractis contra Patris justè dissentientis voluntatem.*

301 *Ordinarius non ita facilè dispensare debet super Denunciationibus Matrimonialibus.*

302 *Si prævideatur Matrimonium malitiosè posse impediri, una tantum denunciatio fieri potest.*

303 *Vel Matrimonio coram Parocho, & duobus testibus celebrato, ante consummationem tres Denunciationes fieri debent.*

304 *Ordinarius sine justa causa super Denunciationibus dispensare non potest.*

305 *Remissis Denunciationibus, Matrimonium celebrari non debet coram Parocho, duobusque testibus confidentibus, ne habeatur illius notitia.*

306 *Ut Matrimonium secretò celebrari possit, requiritur causa gravis, urgens, & urgentissima.*

307 *Dispensatio super Denunciationibus concedi debet ad exemplum Sac. Pœnitentiariæ iis, qui licèt publicè appareant Vir, & Uxor, vivunt tamen in Concubinatu, & in aliis similibus Casibus.*

308 *Inquisitiones faciendæ per Ordinarios antequam concedant licentiam*

tiam celebrandi Matrimonium Conscientiæ.

309 *Et præsertim si Contrahentes sint Filiifamilias, eorumque Nuptiæ Patri sint invisæ, quibus Ordinarius præbere non debet inobedientiæ occasionem.*

310 *Et an constet de statu libero utriusque Contrahentis ex indubiis, clarisque probationibus.*

311 *Benedict. XIV. vocat Ministrum Matrimonii Parochum.*

312 *Ad celebrandum Matrimonium Conscientiæ debet deputari Parochus alterius ex Contrahentibus.*

313 *Et in casu necessitatis alius Sacerdos probitate, doctrina, & peritia præditus.*

314 *Monitiones faciendæ per Parochum, seu Sacerdotem Contrahentibus, antequam Matrimonium celebretur*, & n. 321.

315 *Celebrato Matrimonio, statim per dictum Parochum, seu Sacerdotem notitia Ordinario deferri debet, & quomodo?* & n. 318.

316 *Hæc Matrimonia describi debent in Libro distincto ab altero, in quo Matrimonia publicè contracta adnotantur.*

317 *Quomodò, & ubi dictus liber custodiendus, & quando, & quibusque cauteliis aperiendus.*

319 *Quid servandum in baptizzanda prole ex tali Matrimonio nascitura, in quo libro id adnotandum, & quomodo, & ubi liber custodiendus.*

320 *Si intra triginta dies notitia susceptæ prolis Ordinario non deferatur, Matrimonium Conscientiæ est evulgandum.*

322 *Dicti libri Matrimoniorum Conscientiæ, & Baptismi prolis ex iis susceptæ probant prout alii libri Matrimoniorum, & Baptizatorum.*

323 *Aliis etiam remediis Ordinarii uti possunt juxta illorum prudentiam adhibendis.*

In Superiori *Vot. IX. num.* 74. allegatæ fuerunt Literæ BENEDICT. XIV. datæ in forma Brevis, in quibus agitur de Matrimoniis Conscientiæ, & monentur Ordinarii, ne occasionem inobedientiæ præbeant Filiis dicta Matrimonia, dissentiente rationabilitèr Patre, inire volentibus, ideòque ad majorem Episcoporum, cæterorumque Ordinariorum, & Parochorum commoditatem, illas hic per extensum referre opportunum existimavi.

,, Venerabilibus Fratribus Patriar-
,, chis, Primatibus, Archiepi- 294
,, scopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

,, *Venerabiles Fratres, salutem, &*
,, *Apostolicam benedictionem.*



,, SAtis Vobis compertum esse non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam,
,, ut Sacramentum Matrimonii, *Ma-*
,, *gnum* ab Apostolo nuncupatum,
,, publicè, & palàm a Fidelibus ce- 295
,, lebretur. Quod quidem ut dili-
,, gentius, quàm antea factum fue-
,, rat, inposterum ab omnibus ob-
,, servaretur, Sancta Tridentina Sy-
,, nodus, Lateranensis Concilii sub IN-
,, NOCENTIO III. celebrati vestigiis
,, inhærendo, præcepit, ut inpo-
,, sterum, antequam Matrimonium
,, contrahatur, ter a proprio Con-
,, trahentium Parocho tribus conti-
,, nuis diebus festivis in Ecclesia inter
,, Missarum solemnia publicè denun-
,, cietur, deindèque, nullo legiti-
,, mo concurrente impedimento, ad
,, illius celebrationem in facie Eccle-
,, siæ coram Parocho, vel alio Sa-
,, cerdote de ipsius Parochi, seu Or-
,, dinarii licentia, & duobus, vel
,, tribus Testibus præsentibus, ritè
,, procedatur. Voluit etiam eadem
,, Sancta Synodus, apud Parochum
,, diligenter Librum custodiri, in quo 296
,, Conjugum, & Testium nomina,
,, diesque, & locus Matrimonii de-
,, scribantur.

,, Providæ tamen hujusmodi le-
,, ges, tantà authoritate saluberri-
,, mè institutæ, prava horum tempo-
,, rum

,, rum conditione sensim prolabi visæ
,, sunt, & enerves propemodum red-
,, di, ob Matrimonia usu nimis re-
,, cepta, quæ occultè adeò celebran-
,, tur, ut illorum notitia, quantum
,, fieri potest, obliteretur, & in
,, tenebris ignorantiæ perpetuò ja-
297 ,, ceat consepulta. In more etenim
,, positum est, illa celebrari, nullis
,, præviis factis Denunciationibus, co-
,, ram solo Parocho, vel alio Sacer-
,, dote de ejus licentia, adhibita
,, præsentia tantùm duorum Testium
,, appositè a Contrahentibus advoca-
,, torum, quorum fides nemini illo-
,, rum est suspecta, remque peragi
,, sæpe extra Ecclesiam, quandoque
,, etiam intra illam, janüis tamen
,, occlusis, vel eo temporis momen-
,, to, quo semota alterius cujusvis
,, præsentia, scientia initi Matrimo-
,, nii, præter Parochi, Contrahen-
,, tium, Testiumque personas, alios
,, penitus effugiat.

,, Quantum a Sacramenti digni-
,, tate, & ab Ecclesiasticarum legum
,, præscripto occulta hæcMatrimonia
,, *Conscientiæ* vulgò nuncupata, ut
,, plurimùm abhorreant, satis super-
,, que conjicere quis poterit, qui men-
,, tis aciem ad exitiosos illorum effe-
,, ctus convertat. Hinc enim gravia
,, ortum habent peccata, præsertim
,, verò eorum, qui Divini Judicii in-
,, terminatione posthabita, priore Uxo-
298 ,, re, cum qua clàm contraxerunt,
,, relicta, cum alia spe futuri Matri-
,, monii decepta, & in turpem se-
,, cum vivendi licentiam abducta, pa-
,, lam contrahere promittunt. Quo-
,, rumdam verò mentem ita pravæ cu-
,, piditates excœcant, ut novum con-
,, trahere secretum Matrimonium au-
,, deant post alterum secretò itidem
,, contractum, & nondum prioris
,, Conjugis morte solutum, seseque
,, magno scelere polygamos reddant.
,, Alii etiam eò impudentiæ devene-
,, re, ut in hujus Magni Sacramenti
,, contemptum, post primas secretò
,, initas, alteras aut publicè, aut pri-
,, vatim Nuptias contrahendo, sese
,, audaciùs polygamia pariter inno-
,, dare non perhorrescant. Age ve-
,, rò quàm gravia, quàm nullo pacto
,, ferenda ex his Matrimoniis mala
,, oriantur. Si enim ad quamcumque
,, Matrimonii suspicionem summo-
,, vendam, Virum seorsim a Mulie-
,, re vivere contingat, sublata est
,, illicò individua vitæ consuetudo,
,, & contemptum est verbum Domi-
,, ni = *Adhærebit Homo Uxori suæ, &*
,, *erunt duo in carne una* = Sin hæc
,, vitæ consuetudo servetur, nemo
,, est, qui illam criminis non arguat,
,, & utpotè detestabilem, in scanda-
,, li materiam non traducat. Neque
,, illata per scandalum dispendia re-
,, pendit subsecuta celebratio occulti
,, Matrimonii, quod in tenebris de-
,, litescit, & ab omnibus ignoratur.

,, Leviora quoque damna non
,, sunt, quæ susceptæ Proli irrogan-
,, tur. Sæpè enim contigit, illam a
,, Parentibus, & a Matre præsertim
,, amotam, nec piè, nec liberaliter
,, institui, sed incertis fortunæ casi-
,, bus objectam relinqui, nisi etiam
,, Parentes ipsi contra naturæ leges, 299
,, ausu nefario illius vitæ insidientur.
,, Ubi verò tam immane facinus Pa-
,, rentes deterreat, illosque ad so-
,, bolem alendam, instituendamque
,, humanitas ipsa compellat, alia im-
,, minet Liberis susceptis ex occulto
,, Matrimonio lugenda Avitarum fa-
,, cultatum, & Bonorum jactura,
,, pro quorum possessione assequenda,
,, quamvis clament jura sanguinis, il-
,, lis tamen carent necesse est pro-
,, pter occulta Parentum Matrimonia,
,, & ademptam legitimitatis, & Filia- 300
,, tionis probationem. Huic etiam
,, malorum origini sunt referenda
,, ipsa quoque secreta Matrimonia
,, contracta a Filiisfamilias contra Pa-
,, tris justè dissentientis voluntatem,
,, ex quibus quàm gravia incommoda
,, exoriri soleant, neminem latet.
,, Quid plura? Adeò invaluit malitia,
,, ut quandoque in Minoribus Ordi-
,, nibus constituti Pensiones, & Be-
,, neficia, ad Divinum Cultum, &
,, Ecclesiastica munia instituta, etiam
,, post initum clàm Matrimonium re-
,, tinuerint, sibique de mammona
,, iniquitatis loculos miserrimè com-
,, paraverint.

,, Deflenda hæc igitur potius
,, ube-

,, nii ; polygamiæ periculum.
311 ,, Quod attinet ad Ministrum
,, secreti Matrimonii, volumus ad id
,, munus deputari Parochum alterius
,, ex Contrahentibus , quem notitia
,, Personarum , experientia , & diu-
312 ,, turnus rerum usus quovis Sacerdo-
,, te extraneo peritiorem effecisse
,, præsumuntur . Si quæ tamen Vobis
,, occurrant circumstantiæ, quæ alium
,, Sacerdotem loco Parochi exposce-
,, re videantur ; gravi impellente
,, causâ , is Sacerdos a Vobis eliga-
,, tur , qui probitate , & doctrinâ, &
313 ,, obeundi muneris peritiâ commen-
,, detur . Uni tamen , aut alteri Sa-
,, cramenti Ministro a Vobis deputan-
,, do districtè præcipiatur , ne Matri-
,, monio intersit , nisi prius paterna
,, charitate Conjuges in Domino mo-
,, nuerit , Sobolem procreandam re-
,, generari quamprimum oportere
,, Sacro Baptismatis lavacro;ac Chri-
,, sto Judici districtam reddituros esse
,, rationem , nisi Filios ut legitimos
314 ,, agnoverint , eosque pietate, bonis-
,, que moribus imbuerint, & frui pa-
,, tientur Bonis temporalibus a Ma-
,, joribus in supremis tabulis relictis ,
,, vel providâ legum auctoritate de-
,, latis .

,, Celebrato autem Matrimonio,
,, indilatè a Parocho , vel alio Sacer-
,, dote , coram quo initum est , exhi-
315 ,, beatur Episcopo illius scriptum do-
,, cumentum, cum nota loci, & tem-
,, poris , Testiumque , qui celebra-
,, tioni interfuerunt . Vestrum erit
,, postea diligenter incumbere , quod
,, ad perennem gestæ rei memoriam
,, præfatum documentum fideliter
,, transcribatur in Libro prorsus di-
,, stincto ab altero , in quo Matrimo-
316 ,, nia publicè contracta de more ad-
,, notantur . Hujusmodi Liber pro
,, Matrimoniis secretis appositè com-
,, pactus , clausus , & Sigillis obsi-
,, gnatus , in vestra Episcopali Can-
,, cellaria cautè erit custodiendus:Et
,, eo tantùm casu resignari , & aperi-
,, ri vestrâ accedente licentiâ patie-
,, mini , quo alia id genus Matrimo-
,, nia describi oporteat , vel id sibi
,, vindicet justitiæ administrandæ ne-
,, cessitas , vel demum aliquod docu-
,, mentum ab eo exposcant verum in-
,, teresse habentes , quibus probatio-
,, num aliundè petendarum non sup-
,, petit copia: Sedulò tamen animad-
,, vertentes , quod , re absolutâ , de- 317
,, nuò claudatur , & Sigillis , ut an-
,, tea , obsignetur . Fides , seu Atte-
,, stationes clàm celebrati Matrimo-
,, nii a Parocho , vel Sacerdote, qui
,, vices Parochi gessit, exarandæ, Vo-
,, bisque exhibendæ , transcribantur
,, in dicto Libro , prout jacent de
,, verbo ad verbum a Persona a Vo-
,, bis deputanda , quæ apud omnes 318
,, integritatis , probatique nominis
,, luculentum habeat testimonium .
,, Fides verò , & Attestationes ipsæ
,, in secretiori loco sartæ, tectæque
,, a Vobis serventur .

,, Quod si ex occulto hujusmodi
,, Matrimonio Prolem nasci contin-
,, gat, eadem mundetur salutari Aquâ
,, Baptismi in Ecclesia , in qua aliis 319
,, Infantibus hoc Sacramentum indi-
,, stinctè confertur . Et quia ad ope-
,, riendum clàm initum Matrimonium,
,, facilè est in Libro Baptizatorum
,, nullam fieri mentionem Parentum ,
,, & eorum Nomina consultò reticeri:
,, Volumus , ac expressè mandamus ,
,, quod a Patre baptizati , eoque de-
,, functo, ab illius Matre suscepta Pro-
,, les vobis denuncietur ; dictaque
,, Denunciatio fiat vel immediate per
,, Parentes ipsos , vel per literas eo-
,, rum charactere exaratas , vel per
,, fide dignam Personam ab ipsis Pa-
,, rentibus designatam ; ut certò , &
,, clarè Vobis constet , quod Proles
,, tali loco, & tempore , vel reticitis,
,, vel falsò expressis nominibus Pa-
,, rentum baptizata, est legitima , li-
,, cet occulti Matrimonii fœdere pro-
,, creata . Quæ sanè omnia cum Vobis
,, innotuerint , ne illorum excidat
,, memoria , in Libro fideliter descri-
,, bentur ab eo , cui facta a Vobis est
,, potestas adnotandi Matrimonia oc-
,, culte celebrata . Liber , in quem
,, Baptizatorum , ac utriusque Paren-
,, tis nomina referentur , quamvis di-
,, stingui debeat ab altero Matrimo-
,, niorum ; Eàdem tamen diligentiâ ,
,, iisdemque cautelis in Cancellaria
,, Episcopali clausus , & sigillis obsi-

,, gnatus, erit custodiendus, prout
,, Librum Matrimoniorum cautè cu-
,, stodiri supra mandavimus.
,, Quia verò nonnulli deesse non
,, possunt, qui propriæ conscientiæ
,, vocibus obsurdescant, & nostris
,, hisce mandatis parere negligant;
,, debità pœnarum districtione pro
,, modo culpæ à Vobis puniantur.
,, Quinimmò cum satis Nobis expe-
,, rientià compertum sit, in hujusmo-
,, di negociis Homines in terram
,, oculos declinantes, ob humanos
,, respectus tardiores effici, & a re-
,, ctè agendi semita revocari: Manda-
,, mus idcircò, Matrimonia occulta
,, a Vobis evulgari, & nota fieri, si
,, certò Vobis constiterit, ex aliquo
,, Matrimonio occulto procreatam
,, fuisse Sobolem, & baptizatam sup-
320 ,, pressis Parentum nominibus, nullà
,, præstità Vobis notitià, ut par erat,
,, ab illius Parentibus intra triginta
,, dies a nativitate numerandos.
,, Ne autem Contumaces, &
,, Inobedientes violatæ fidei, prodi-
321 ,, tique Secreti Pastores suos insimu-
,, lent; sedulò a Vobis curandum est,
,, ut a Parocho, vel alio Sacerdote
,, pro secreta celebratione Matrimo-
,, nii a Vobis deputando, Conjuges
,, clarè, & apertè moneantur, eâ
,, lege, & pacto illis permitti Secre-
,, ti Matrimonii celebrationem, ut
,, Soboles indè procreanda non solum
,, regeneretur Sacro Baptismate, sed
,, post Baptisma denuncietur Episco-
,, po cum nota loci, & temporis ad-
,, ministrati Sacramenti, ac sincera
,, indicatione Parentum, a quibus
,, ortum habuit, quemadmodum su-
,, pra præmissum est: Alioquin Ma-
,, trimonium licet contractum datà
,, per Episcopum Secreti fide, in
,, lucem proferetur in gratiam Filio-
,, rum, & ad propulsandam ab illis
,, gravem, nulloque pacto ferendam
,, jacturam. Volumus deniquè, ac
,, mandamus, Fides, seu Attestatio-
,, nes Matrimonii clàm initi, & So-
,, bolis ex eo procreatæ, excerptas
,, ex dictis Libris, modo, quo di-
322 ,, ctum est, apud Vos cautè custodien-
,, dis tantam promereri fidem, quan-
,, tam sibi alii Libri Parochiales Ba-
,, ptismatis, & Matrimonii vindicare
,, consueverunt.
,, Hæc a Vobis, Ven. Fratres,
,, in hac temporum calamitate obser-
,, vari enixè præcipimus ad commu-
,, nem Animarum salutem, & ad præ-
,, sidium Ecclesiasticæ disciplinæ, pro-
,, pter invalescentem Hominum mali-
,, tiam, nova semper detrimenta vel
,, patientis, vel reformidantis. Cæ-
,, terum nostris hisce literis sublata
,, nolumus ea validiora remedia, quæ
,, huic malo in diem ingruenti, con-
,, sona dignoscet prudentia vestra, ad
,, Pastorale officium cumulatè obeun-
,, dum. Vobis interea paternæ cha-
,, ritatis, & benevolentiæ testem
,, Apostolicam Benedictionem im-
,, pertimur.
,, Datum Romæ apud Sanctam
,, Mariam Majorem die 17. Novem-
,, bris 1741. Pontificatus Nostri An-
,, no Secundo.

ADDIT. VI.

Refertur Constitutio EJUSDEM SUMMI PONTIFICIS circa Processus conficiendos super validitate, vel invaliditate Matrimoniorum.

SUMMARIUM

324 *Filiifamilias, contracto Matrimonio insciis, vel invitis justè Parentibus, & expleto libidinis ardore, nonnunquam tentare solent Matrimonii nullitatem.*

325 *Constitutio Benedicti XIV., qua præscribitur ordo, & forma in Judiciis Causarum Matrimonialium super Matrimoniorum validitate, vel nullitate declaranda servandus.*

326 *Causa emanandi dictam Constitutionem*, & n. 328. & seqq.

327 *Matrimonium debet esse perpetuum, & indissolubile.*

328 *Abusus Judicum in declarandis nullis Matrimoniis*, & n. seq.

330 *Causa prædicti abusus.*

331 *Quibus Judicibus extra Curiam Romanam committi debeant hujusmodi Causæ Matrimoniales.*

332 Or-

332 *Ordinarii prò hujusmodi Causis eligere debent Defensorem Matrimoniorum, ejusque qualitates.*

333 *Ejusdem Defensoris munus, & officium*, & n. 337.

334 *Semper eligendus est in prædictis Causis sub pœna nullitatis Judicii*, & n. 336.

335 *Juramenta per ipsum præstanda.*

338 *Si fuerit judicatum prò nullitate Matrimonii debet interponere appellationem.*

339 *Conjuges transeuntes ad alias Nuptias post primam Sententiam emanatam prò invaliditate Matrimonii, nequeunt simul cohabitare, & puniuntur pœnis contra Poligamos Statutis.*

340 *In gradu appellationis servari debet, quod servandum est in prima instantia.*

341 *Si Judex fuerit Metropolitanus, vèl Nuncius, aut vicinior Episcopus, ad eum spectat deputare Defensorem, secus si fuerit Judex Commissarius, quia tunc spectat ad Ordinarium.*

343 *Post duas conformes prò nullitate, Conjuges liberi remanent, nisi prædictus Defensor novæ appellationi locum esse putaverit.*

344 *Nunquam secunda Sententia transit in rem judicatam, sed Causa semper reassumi potest.*

345 *Etiam in tertia, & quarta instantia servari debet, quod servandum est in prima, & secunda.*

346 *Quænam sit merces Defensoris.*

347 *Romæ in prima instantia hujusmodi Causæ agitari debent coram Eminentissimo Vicario, & omnia prædicta sunt servanda, & Defensor Matrimoniorum eodem deputatur.*

348 *Si de consensu Partium agitentur Romæ in prima instantia, vel in secunda per appellationem, vel in tertia, judicari debent à Sac. Congregat. Concilii, vel à Sac. Rota Romana.*

349 *Nisi Papa ad id Congregationem particularem Cardinalium, vel Prælatorum deputaverit.*

350 *Defensor Matrimoniorum si Causa agitetur in Sac. Congregat. Concilii deputari debet à Cardin. Præfecto ejusdem Congregat.*

351 *Si in Sac. Rota, deputatur ab ejusdem Rotæ Decano.*

352 *Si coram Congregatione Particulari, ab ejusdem Congregationis Digniore.*

353 *Per unicam Sententiam dictorum Judicum prò nullitate pronuntiatam, non possunt Conjuges alias contrahere Nuptias.*

354 *Sed si in Congregat. Concilii introducta fuerit, iterum in eadem ad instantiam dicti Defensoris reproponi debet.*

355 *Si fuerit commissa Congregationi Particulari, post dictam Sententiam ad instantiam ejusdem Defensoris alia Congregatio Particularis est deputanda.*

356 *Si judicata fuerit in Sac. Rota, ab eodem Defensore appellatio debet interponi, & ab aliis Auditoribus juxta turnum definiri, & si universo Tribunali Rotæ prius commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus iterum examinari.*

357 *Matrimonii vinculum solutum nunquam censeri debet, nisi emanaverint duo judicata, vel resolutiones, aut Sententiæ penitùs similes, & conformes, à quibus neque Pars, neque Defensor Matrimoniorum appellandum esse putaverint.*

358 *Quomodo se gerere debeat, qui petit Apostolicam Dispensationem super Matrimonio rato, & non consummato.*

359 *Prædicta in posterum debent in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari.*

360 *Et quidem per quoscumque Judices quavis præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis aliter judicandi, & interpretandi facultate.*

Quoniam nonnunquam accidit quòd Filiifamilias cœco amore ducti, ut contra justum Paternum dissensum Nuptias contrahant, Clandestina Matrimonia cum peccato inire præsumant, & deindè expleto libidinis ardore, pœ-

pœnitentia ducti, ex infernalis hostis astutia aliud facinus perpetrare tentant, promovendo instantiam prò nullitate Matrimonii autumantes aut ex ficta impotentia, aut ex alio prætextu favorabilem obtinere Sententiam, vel quia Parti validitatem substinenti deficit necessaria pecunia prò sumptibus litis, vel quia ambo Conjuges ob dissidia, discordias, & continuas simultates inter eos ortas amplius una simul cohabitare detrectantes, quamvis inter se discordes quoad Matrimonii validitatem appareant, re vera tamen sunt inter se concordes,& invicem colludentes contractum Matrimonium dissolvi cupiunt, ideò hic referre non videtur incongruum ad commodum Ordinariorum sequentem f.m. BENEDICTI XIV. Constitutionem, qua præscribitur Ordo, & forma quæ in Judiciis Causarum Matrimonialium super Matrimoniorum validitate, vel nullitate declaranda servari debent.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

,, DEI miseratione, cujus
,, judicia incompre-
,, hensibilia sunt, &
,, viæ investigabiles,
,, in suprema Ecclesiæ
,, specula immerentes
,, constituti, ut super universum
326 ,, Dominicum gregem excubias se-
,, dulò agamus, ad commissum Pa-
,, storalis officii munus pertinere
,, dignoscimus, subnascentes ex in-
,, fernalis hostis astutia, & Hominum
,, malitia abusus, quibus & anima-
,, rum saluti pernicies, & Sacramen-
,, tis Ecclesiæ injuria infertur, radi-
,, citus evellere, & potestatis Nobis
,, desuper traditæ operam interpone-
,, re, ut & humana cohibeatur teme-
,, ritas, & veneranda Divinæ Legis
,, servetur authoritas.
,, Siquidem Matrimonii fœdus a
,, Deo institutum, quod & quatenus
,, naturæ officium est, prò educandæ
,, prolis studio, aliisque Matrimonii
,, bonis servandis, perpetuum, & in-
,, dissolubile esse convenit; & quate-
,, nus est Catholicæ Ecclesiæ Sacra-
,, mentum, humana præsumptione
,, dissolvi non posse, Salvator ipse ore
,, suo pronunciavit dicens: *Quod Deus*
,, *conjunxit, Homo non separet*: ad
,, aures Apostolatus nostri pervenit, 327
,, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis
,, inconsulta nimis Judicum facilitate
,, infringi, & temerè, atque inconside-
,, ratè de eorumdem Matrimoniorum
,, nullitate latis sententiis, potesta-
,, tem Conjugibus fieri transeundi ad
,, alia vota. Quos sanè improvidos
,, Judices humanæ naturæ conditione,
,, & voce ipsa quodammodo admone-
,, ri oportebat, ne tam præcipiti au- 328
,, dacia Sanctum Matrimonii Nexum
,, frangerent, quem perpetuum at-
,, que indissolubilem primus humani
,, generis Parens prænonuit inquiens:
,, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & ca-*
,, *ro de carne mea*: Et illud additum
,, est: *Quamobrem relinquet Homo*
,, *Patrem suum, & Matrem, &*
,, *adhærebit Uxori suæ, & erunt duo*
,, *in carne una*.
,, Hujusmodi autem abolendæ
,, pravitatis notitia diversis ex Parti-
,, bus Nobis delata est, atque etiam
,, Indicata sunt exempla nonnullorum
,, Virorum, qui post primam, & se- 329
,, cundam, ac tertiam, quam duxe-
,, rant, Uxorem, ob nimiam Judicum
,, præcipitantiam in nullitate Matri-
,, moniorum declaranda, adhuc illis
,, primis Uxoribus superstitibus, ad
,, quartas contrahendas Nuptias de-
,, venerant, & similiter Fœminarum,
,, quæ post primum, secundum, &
,, tertium Maritum, quarto etiam,
,, illis quoque viventibus, se junxe-
,, rant, non sine pusillorum scandalo,
,, & Bonorum omnium detestatione,
,, qui sacra Matrimonii vincula ita
,, contemni, & temerè perfringi do-
,, lebant. Nos autem, his intelle-
,, ctis, gravi affecti dolore intimo
,, animo ingemuimus, & non præter-
,, misimus Apostolicæ nostræ sollicitu-
,, dinis partes in Domino adimplere.
,, Siquidem primo Pontificatus Nostri
,, anno ad Episcopos illarum Partium,

in

,, in quibus prædicta acciderant, ple-
,, nissimis datis literis, graviter con-
,, questi sumus de hujusmodi pravita-
,, te, quæ in Ecclesia Dei toleraba-
,, tur, & ad eam abolendam eorum
,, animos erigere, & Pastoralem ze-
,, lum accendere curavimus: quod
,, etiam egimus cum aliis aliarum Re-
,, gionum Episcopis, ubi hujusmodi
,, pravum dirimendorum Matrimonio-
,, rum usum irrepsisse, cognovimus.

,, Verùm Nobis responsum est,
,, id sæpe contingere partim ex culpa
,, illorum Judicum, quibus vel in pri-
,, ma instantia, cum Causa coram Ju-
,, dice Ordinario ex aliqua legitima
,, causa cognosci nequit, vel in se-
,, cunda, cum in partibus nullus adest
330 ,, Judex, ad cujus Tribunal Causa
,, in gradu appellationis devolvatur,
,, vel si adest, justa de causa coram
,, eo disceptari nequit, causæ Ma-
,, trimoniales hujusmodi a Sede Apo-
,, stolica committuntur, qui vel ob
,, inscitiam, vel ob malam volunta-
,, tem proclives sunt ad Matrimonia
,, dissolvenda, atque eadem Matri-
,, monia, levi, vel etiam nullo habito
,, examine, irrita, ac invalida decla-
,, rant; partim etiam ex facto Co-
,, njugum super nullitate suorum Ma-
,, trimoniorum litigantium, cum fre-
,, quenter unus tantùm eorum, qui
,, dissolutionem Matrimonii postulat,
,, in judicio compareat, & Sententia,
,, nullo contradicente, secundum sua
,, vota obtenta, ad alias nuptias con-
,, volat; vel ambobus Conjugibus in
,, Judicium venientibus, alter, qui
,, pro Matrimonio, alter verò, qui
,, contra agit, Sententia de nullitate
,, Matrimonii prolata, nullus est, qui
,, ad superiorem Judicem appellatio-
,, nem interponat, vel quia litigan-
,, tes in specie quidem discordes, re
,, vera inter se concordes sunt, & in-
,, vicem colludentes contractum Ma-
,, trimonium dissolvi cupiunt; vel
,, quia Pars, quæ pro validitate Ma-
,, trimonii stabat, ejusque nullitatem
,, acriter contra adversarium impu-
,, gnabat, lata a Judice Sententia
,, contra Matrimonium, mutat volun-
,, tatem, vel pecunia sibi ad sumptus
,, litis non suppetente, vel aliis defi-
,, cientibus auxiliis ad litigandum ne-
,, cessariis, & inceptum opus, ac
,, Causam post primam Sententiam
,, deserit: Quo fit, ut deinde ambo
,, Conjuges, vel unus eorum ad aliud
,, contrahendum Matrimonium se
,, conferat.

,, Quod autem ad Judices per-
,, tinet, quibus extra Romanam Cu-
,, riam pro Litigantium commodo
,, causæ Matrimoniales committun-
,, tur, paterna illa vigilantia, qua de
,, justitia unicuique integrè, sapien-
,, terque administranda solliciti esse
,, debemus, encyclicis literis ad Ve-
,, nerabiles Fratres Patriarchas, Pri-
,, mates, Archiepiscopos, & Episco-
,, pos scriptis vigesima sexta Augusti
,, anno secundo Pontificatus nostri,
,, providere curavimus, in quibus ea 331
,, præscripsimus, quæ Sacris Canoni-
,, bus, & Concilii Tridentini decre-
,, tis consona, si diligenter, ut spe-
,, ramus, serventur, in posterum Cau-
,, sæ nonnisi personis congrua juris
,, peritia, & necessario probitatis,
,, spectatæque fidei munitis præsidio
,, committentur. Insuper ad ea, quæ
,, in iisdem encyclicis literis constitu-
,, ta sunt, id etiam in præsenti adjun-
,, gimus: Quod, quamvis Concilii
,, Tridentini decretum, quo causæ
,, Matrimoniales subtractæ fuerunt,
,, Decani, Archidiaconi, & aliorum
,, inferiorum Judicio, & Episcopo-
,, rum tantùm examini, & jurisdictio-
,, ni reservatæ, dumtaxat procedat
,, de Archidiaconis, Decanis, aliis-
,, que Inferioribus, qui in eadem
,, Diœcesi constituti, vel privilegio
,, aliquo vel præscriptione saltem in
,, visitatione causarum Matrimonia-
,, lium cognitionem sibi adrogabant;
,, idcircò minimè obstet commissioni-
,, bus, quæ pro iisdem causis Matri-
,, monialibus definiendis a Sede Apo
,, stolica alicui eorum in secunda in-
,, stantia fierent; nihilominùs præci-
,, pimus, ac mandamus iis, ad quos
,, hujusmodi commissionum, seù de-
,, legationum expediendarum cura
,, pertinet, ut in futurum causarum
,, Matrimonialium cognitionem non
,, committant nisi Episcopis præser-
,, tim viciniorìbus, vel si nullus sit
,, Epi-

,, Episcopus, cui ex legitima causa
,, commodè committi possit, tùm
,, commissio, & delegatio dirigatur
,, uni ex iis, qui secundum ordinem,
,, & modum a Nobis in præfatis en-
,, cyclicis literis præscriptum pro Ju-
,, dice idoneo ab Episcopo cum con-
,, silio sui Capituli nominatus fuerit.
,, Quod verò ad ordinem, & se-
,, riem judiciorum in causis Matrimo-
,, nialibus pro debita, & congrua ea-
,, rum terminatione servandum spe-
,, ctat, Motu proprio, certa scientia,
,, ac matura deliberatione Nostris,
,, deque Apostolicæ potestatis pleni-
,, tudine hac Nostra in perpetuum va-
,, litura Sanctione constituimus, de-
,, cernimus, ac jubemus, ut ab om-
,, nibus, & singulis Locorum Ordina-
332 ,, riis in suis respectivè Diœcesibus
,, persona aliqua idonea eligatur, &
,, si fieri potest, ex Ecclesiastico cœ-
,, tu, juris scientia, pariter & vitæ
,, probitate prædita, quæ Matrimo-
,, niorum Defensor nominabitur, cum
,, facultate tamen eam suspendendi,
,, vel removendi, si justa causa ad-
,, fuerit, & substituendi aliam æque
,, idoneam, & iisdem qualitatibus
,, ornatam, quod etiam fieri poterit,
,, quotiescumque persona ad Matri-
,, moniorum defensionem destinata,
,, cum se occasio agendi obtulerit,
,, erit legitimè impedita.
,, Ad officium autem Defensoris
,, Matrimoniorum hujusmodi, ut su-
,, pra electi, spectabit in judicium
,, venire, quotiescumque contigerit
,, matrimoniales causas super validi-
333 ,, tate, vel nullitate coram legitimo
,, Judice disceptari, eumque oporte-
,, bit in quolibet actu judiciali citari,
,, adesse examini testium, voce, &
,, scriptis Matrimonii validitatem
,, tueri, eaque omnia deducere, quæ
,, ad Matrimonium sustinendum ne-
,, cessaria censebit.
,, Et demum Defensoris hujus-
,, modi persona, tanquam Pars ne-
334 ,, cessaria, ad judicii validitatem, &
,, integritatem censeatur, semperque
,, adsit in judicio sive unus ex Co-
,, njugibus, qui pro nullitate Matri-
,, monii agit, sive ambo, quorum
,, alter pro nullitate, alter verò pro
,, validitate in judicium veniant. De-
,, fensor autem, cum ei munus hu-
,, jusmodi committetur, juramentum 335
,, præstabit fideliter officium suum
,, obeundi, & quotiescumque conti-
,, gerit, ut in judicio adesse debeat
,, pro alicujus Matrimonii validitate
,, tuenda, rursùs idem juramentum
,, præbebit: quæcumque verò, eo
,, non legitimè citato, aut intimato,
,, in judicio peracta fuerint, nulla,
,, irrita, cassa declaramus, ac pro
,, nullis, cassis, ac irritis haberi vo-
,, lumus, perindè ac si citata, & in- 336
,, timata non esset ea Pars, cujus ci-
,, tari intererat, & quam juxta le-
,, gum, & canonum præscripta ad le-
,, gitimam judicii validitatem citari,
,, aut intimari omninò necessarium
,, erat.
,, Cum igitur coram Ordinario,
,, ad quem causas hujusmodi cogno-
,, scere pertinet, controversia aliqua
,, proponetur, in qua de Matrimonii 337
,, validitate dubitabitur, & existen-
,, tibus in judicio vel uno ex Conju-
,, gibus, qui pro nullitate Matrimo-
,, nii, vel ambobus, quorum alter
,, pro validitate, alter verò pro nul-
,, litate actionem intendat, Defensor
,, Matrimonii partes omnes officii sui
,, diligentèr adimpleat. Itaque si a
,, Judice pro Matrimonii validitate
,, judicabitur, & nullus sit, qui ap-
,, pellet, ipse etiam ab appellatione
,, se abstineat; idque etiam servetur,
,, si à Judice secundæ instantiæ pro 338
,, validitate Matrimonii fuerit judi-
,, catum, postquam Judex primæ in-
,, stantiæ de illius nullitate Senten-
,, tiam pronunciaverat; sin autem
,, contra Matrimonii validitatem Sen-
,, tentia feratur, Defensor inter le-
,, gitima tempora appellabit adhæ-
,, rens Parti, quæ pro validitate age-
,, bat; cum autem in judicio nemo
,, unus sit, qui pro Matrimonii vali-
,, ditate negotium insistat, vel si ad-
,, sit, lata contra eum Sententia, ju-
,, dicium deseruerit, ipse ex officio
,, ad superiorem Judicem provocabit.
,, Appellatione a prima Senten-
,, tia pendente, vel etiam nulla ob
,, malitiam, vel oscitantiam, vel col-
,, lusionem Defensoris, & Partium
,, inter-

„ interposita , si ambo , vel unus ex
339 „ Conjugibus novas Nuptias celebra-
„ re ausus fuerit , volumus, ac decer-
„ nimus , ut non solùm serventur,
„ quæ adversus eos , qui Matrimo-
„ nium contra interdictum Ecclesiæ
„ contrahunt , statuta sunt , præser-
„ tim ut invicem a cohabitatione se-
„ parentur , quoadusque altera Sen-
„ tentia super nullitate emanaverit,
„ a qua intra decem dies non sit ap-
„ pellatum , vel appellatio interpo-
„ sita deserta deindè fuerit ; Sed ul-
„ teriùs ut contrahens , vel contra-
„ hentes Matrimonium hujusmodi
„ omnibus pœnis contra Poligamos
„ a Sacris Canonibus , & Constitu-
„ tionibus Apostolicis constitutis om-
„ ninò subjaceant , quas in eos , qua-
„ tenus opus sit , motu , scientia , ac
„ potestate simili rursus statuimus,de-
„ cernimus , ac renovamus .

„ Posteaquàm verò appellatio-
„ nis beneficio ad alterum Judicem
„ causa in secunda instantia delata
340 „ fuerit , omnia , & singula quæcum-
„ que coram Judice in prima instan-
„ tia servanda præfinita fuerunt ,
„ etiam coram altero in secunda
„ exactè,ac diligenter custodientur ,
„ citato in quolibet Judicii actu De-
„ fensore Matrimonii , qui voce , &
„ scripto Matrimonii validitatem
„ strenuè , ac pro viribus tuebitur, &
„ si Judex in secunda instantia fuerit
„ Metropolitanus , aut Sedis Aposto-
„ licæ Nuncius , aut Episcopus vici-
341 „ nior , Matrimonii Defensor sit, qui
„ ab ipsis fuerit deputatus , quemad-
„ modum ipsis deputare mandamus ,
„ ut quæ a Nobis superius constituta
„ sunt , peragere possit ; si autem Ju-
„ dex in secunda instantia erit Ju-
„ dex Commissarius,cui a Sede Apo-
„ stolica Causæ cognitio demandata
„ sit , & qui Tribunal, & jurisdictio-
„ nem ordinariam non habeat , &
„ propterea careat Defensore Matri-
„ monii; volumus, ut illo Defensore
„ Matrimonii utatur , qui constitu-
„ tus fuerit ab Ordinario , in cujus
„ Diœcesi Causam cognoscet , etiamsi
342 „ idem Ordinarius sit , qui primam
„ Sententiam in eadem causa pronun-
„ ciaverit .

„ Instructo autem in hunc mo-
„ dum judicio , si secunda Sententia
„ alteri conformis fuerit , hoc est ,
„ si in secunda æque ac in prima nul-
„ lum,ac irritum Matrimonium judi-
„ catum fuerit , & ab ea Pars , vel 343
„ Defensor pro sua conscientia non
„ crediderit appellandum , vel ap-
„ pellationem interpositam prose-
„ quendam minimè censuerint , in
„ potestate , & arbitrio Conjugum
„ sit novas nuptias contrahere , dum-
„ modò alicui eorum ob aliquod im-
„ pedimentum , vel legitimam cau-
„ sam id vetitum non sit , potestas
„ tamen post alteram Sententiam
„ conformem , ut supra , Conjugibus
„ facta intelligatur,& locum habeat ,
„ salvo semper , & firmo remanente
„ jure , seu privilegio causarum Ma-
„ trimonialium , quæ ob cujuscum-
„ que temporis lapsum nunquam 344
„ transeunt in rem judicatam ; Sed si
„ nova res , quæ non deducta , vel
„ ignorata fuerit , detegatur , resu-
„ mi possunt , & rursus in judicialem
„ controversiam revocari . Quod si a
„ secunda Sententia super nullitate
„ vel altera Pars appellaverit , vel
„ hujusmodi sit , ut ei salva conscien-
„ tia , Defensor Matrimonii acquie-
„ scendum non putet , vel quia sibi
„ videtur manifestè injusta, vel inva-
„ lida , vel quia fuerit lata in tertia
„ instantia, & sit revocatoria alteriùs 345
„ præcedentis super validitate in se-
„ cunda instantia emanatæ,volumus ,
„ ut firma remanente utrique Con-
„ jugi prohibitione ad alias transeun-
„ di Nuptias, quas si contrahere ausi
„ fuerint , pœnis , ut præfertur , a
„ Nobis constitutis subesse decerni-
„ mus, Causa in tertia,vel quarta in-
„ stantia cognoscatur , servatis dili-
„ genter omnibus , quæ a Nobis in
„ prima , & secunda instantia deman-
„ data fuerunt , nempè in quolibet
„ judiciali actu citato , & audito De-
„ fensore Matrimonii , qui a Judice
„ tertiæ instantiæ deputatus fuerit .
„ Defensor autem Matrimonii, quem
„ ad munus suum gratis obeundum
„ pro amore Dei , & proximi utili-
„ tate, & Ecclesiæ reverentia in Do- 346
„ mino exhortamur , si operam suam

„ sine

,, fine mercede, aut salario aliqua ex
,, causa exhibere recusaverit, ab
,, ipsiusCausæ Judice ei constituatur,
,, & ab ea Parte, quæ pro validitate
,, Matrimonii agit, si ipsi facultas sit
,, solvatur; sin minus a Judice pri-
,, mæ, vel secundæ, vel tertiæ in-
,, stantiæ respectivè subministrabitur,
,, qui pecuniam ex mulctis suorum
,, Tribunalium redactas, vel redi-
,, gendas, & in opera pia erogandas
,, in hujusmodi sumptus insumere po-
,, terunt. Cum verò Judices Causæ
,, erunt Judices Commissarii, qui ne-
,, que forum habent, & consequen-
,, ter neque pecuniam ex mulctis col-
,, lectam, volumus, ac mandamus, ut
,, Defensori Matrimonii satisfiat ex
,, pecunia mulctarum illius Episcopi,
,, in cujus Diœcesi Judex Commissa-
,, rius juxta Sedis Apostolicæ manda-
,, tum judicium exercebit.

,, Hactenus quidem quoad Cau-
,, sas Matrimoniales, quæ extra Ro-
,, manamCuriam pertractantur: *Quoad*
,, *causas verò, quæ Romæ disceptan-*
,, *dæ sunt, cum earum cognitio in*
,, *prima instantia ad S. R. E. Cardi-*
,, *nalem in præfata Urbe, ejusque*
,, *Suburbiis, & Districtu Vicarium*
347 ,, *nostrum in Spiritualibus pro tem-*
,, *pore spectet*, mandamus ac jube-
,, mus, ut omnia & singula, quæ in
,, aliis causis extra Romanam Cu-
,, riam pertractandis præscripta fue-
,, runt, nempè ut judicium peraga-
,, tur citato, & audito Defensore
,, Matrimonii ab eodem Cardinali
,, Vicario deputato, aliaque ut supra
,, omnino serventur, tùm etiam in
,, aliis causis, quæ in prima instantia
,, ex consensu Partium, vel in secun-
,, da per appellationem ad Sedem
,, Apostolicam, omisso medio, in-
,, terpositam, vel in tertia Romam
348 ,, deferunt, quas omnes judicari vo-
,, lumus, vel in Congregatione S.R.E.
,, Cardinalium super interpretatione,
,, & executione Concilii Tridentini,
,, vel in Causarum Palatii nostri Au-
,, ditorio, dummodò Nobis, & Ro-
,, mano Pontifici pro tempore justis
,, ex causis non videatur particularis
,, Congregatio S. R. E. Cardinalium,
,, vel Romanæ Curiæ Prælatorum de-
,, puranda. Cum autem causa super 349
,, Matrimonii nullitate agitabitur in
,, dicta Congregatione S. R. E. Cardi-
,, nalium Concilii Tridentini Inter-
,, pretum, Defensor Matrimonii à 350
,, Cardinali Præfecto ejusdem Con-
,, gregationis, si verò in Palatii no-
,, stri Auditorio, ab Auditore Deca- 351
,, no præfati Tribunalis, si demum in
,, Congregatione particulari, a Per-
,, sona ejusdem Congregationis di-
,, gniore deputetur. Unica quidem 352
,, resolutio pro nullitate Matrimonii
,, emanata, si Causa in Congregatio-
,, ne Cardinalium Concilii Tridenti-
,, ni Interpretum, vel in Congrega-
,, tione particulari deputata cogno-
,, scatur, & similiter in Palatii nostri
,, Auditorio unica Sententia super ea-
,, dem nullitate pronunciata minimè
,, sufficiat ad tribuendam liberam Co- 353
,, njugibus facultatem novas Nuptias
,, contrahendi, sed si Causa in præfa-
,, ta Congregatione Cardinalium
,, Tridentini Concilii Interpretum 354
,, introducta fuerit, rursus in eadem
,, ad Defensoris Matrimonii instan-
,, tiam reproponatur; Si verò Con-
,, gregationi particulari commissa
,, fuerit, ad petitionem ejusdem
,, Defensoris altera etiam particula- 355
,, ris Congregatio deputabitur; Si
,, verò in Palatii nostri Auditorio ju-
,, dicata sit, a præfato Defensore
,, appellatione interposita, ab aliis
,, Auditoribus juxta ordinem in gy-
,, rum, seu turnum definiatur, si au-
,, temCausa universo Tribunali com-
,, missa fuerit, ab omnibus Auditori-
,, bus rursus examinabitur, nolentes 356
,, omninò, ut nullo in casu Matri-
,, monii vinculum dissolutum censea-
,, tur, nisi duo judicata, vel resolu-
,, tiones, aut Sententiæ penitus simi-
,, les, & conformes, a quibus ne-
,, que Pars, neque Defensor Matri- 357
,, monii crediderit appellandum,
,, emanaverint, quod si secus factum
,, fuerit, & novum initum Matrimo-
,, nium, nostræ voluntatis hujusmo-
,, di transgressores pœnis a Nobis ut
,, supra statutis submittantur.

,, Et quoniam sæpè apud Sedem
,, Apostolicam preces porrigi solent
,, pro dispensatione Matrimonii rati,
& non

„ & non consummati, quæ ut pluri-
„ mùm pro voto consultivo ad Con-
358 „ gregationem S. R. E. Cardinalium
„ Concilii Interpretum, vel nonnun-
„ quam ad aliquam Congregationem
„ particularem deputatam a Roma-
„ nis Pontificibus pro tempore remit-
„ ti solent, ut hujusmodi instantiæ
„ ordine, ac ritè procedant, volumus
„ ac mandamus, ut supplex libellus
„ Nobis, vel Romano Pontifici pro
„ tempore exhibeatur, in quo ple-
„ na, & accurata totius facti species
„ contineatur, causæque omnes in eo
„ exprimantur, quæ ad obtinendam
„ petitam dispensationem conducere
„ posse a Supplicante censentur, ut Ro-
„ manus Pontifex, eo lecto, & ma-
„ turè considerato, secum delibera-
„ re possit, an petitionem rejiciat,
„ vel ejus examen alicui ex dictis
„ Congregationibus committat, a qua
„ posteaquàm suum votum consulti-
„ vum editum fuerit, a Secretario
„ ejusdem Congregationis totius ne-
„ gotii series exactè Romano Ponti-
„ fici pro tempore referatur, qui
„ pro sua prudentia judicabit, an
„ Congregationis resolutio sit appro-
„ banda, vel potius totius Causæ
„ examen alteri Congregationi, vel
„ Tribunali, prout eidem Pontifici
„ videbitur, rursus committendum.

„ Demum volumus, ac decer-
„ nimus, easdem præsentes literas
„ semper firmas, validas, & effica-
359 „ ces existere, & fore, suosque
„ plenarios, & integros effectus sor-
„ tiri, & obtinere, ac ab illis, ad
„ quos spectat, & pro tempore quan-
„ documque spectabit, in omnibus,
„ & per omnia plenissimè, & invio-
„ labiliter observari. Sicque, & non
„ aliter per quoscumque Judices Or-
„ dinarios, & Delegatos, etiam
„ Causarum Palatii Apostolici Audito-
„ res, ac eosdem S.R.E. Cardinales,
„ etiam de latere Legatos, & Sedis
„ Nuntios, aliosve quoslibet qua-
„ cumque præeminentia, & potesta-
„ te fungentes, & functuros, subla-
„ ta eis, & eorum cuilibet quavis
„ aliter judicandi, & interpretandi
360 „ facultate, & auctoritate, ubique
„ judicari, & definiri debere, ac ir-
„ ritum, & inane, si secus super his
„ a quoquam quavis auctoritate
„ scienter, vel ignoranter contigerit
„ attentari.

„ Non obstantibus præmissis, ac
„ Constitutionibus, & Ordinationi-
„ bus Apostolicis, necnon quibusvis
„ etiam juramento, confirmatione
„ Apostolica, vel quavis firmitate
„ alia roboratis, statutis, & consue-
„ tudinibus, privilegiis quoque, in-
„ dultis, & Literis Apostolicis sub
„ quibuscumque tenoribus verborum,
„ & formis, ac cum quibusvis etiam
„ derogatoriarum derogatoriis, aliis-
„ que efficacioribus, & insolitis clau-
„ sulis, irritantibusque, & aliis de-
„ cretis etiam motu, scientia, & po-
„ testatis plenitudine paribus in gene-
„ re, vel in specie, seu aliàs quo-
„ modolibet concessis, confirmatis,
„ & innovatis. Quibus omnibus, &
„ singulis etiamsi pro illorum suffi-
„ cienti derogatione de illis eorum-
„ que totis tenoribus specialis, spe-
„ cifica, expressa, & individua, ac
„ de verbo ad verbum, non autem
„ per clausulas generales idem im-
„ portantes mentio, seu quævis alia
„ expressio habenda, aut aliqua alia
„ exquisita forma in illis tradita ob-
„ servata eisdem præsentibus pro ex-
„ pressis, & insertis habentes, illis
„ aliàs in suo robore permansuris, ad
„ præmissorum effectum hac vice
„ dumtaxat expressè derogamus, ce-
„ terisque contrariis quibuscumque.

„ Volumus autem, ut præsen-
„ tes literæ in valvis Ecclesiæ Late-
„ ranensis, & Principis Apostolorum,
„ necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac
„ in acie Campi Floræ de Urbe, ut
„ moris est, publicentur, & affigan-
„ tur, sicque publicatæ, & affixæ
„ omnes, & singulos, quos illæ con-
„ cernunt, perinde arctent, & affi-
„ ciant, ac si unicuique eorum no-
„ minatim, & personaliter intimatæ
„ fuissent; quodque earumdem præ-
„ sentium transumptis, seu exemplis
„ etiam impressis manu alicujus No-
„ tarii publici subscriptis, & sigillo
„ alicujus Personæ in Dignitate Ec-
„ clesiastica constitutæ munitis, ea-
„ dem prorsus fides tam in judicio,

Nn „ quàm

„ quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac BB Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud S.Mariam Majorem tertio nonas Novembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno secundo.

„ D. Card. Passioneus = X. Subdatarius = Visa de Curia = N. Antonellus = Loco ✠ Plumbi = J. B. Eugenius =

„ *Anno à Nativitate D. N.* Jesu Christi mdccxli, *Indictione quarta, die verò 29. Novembris Pontificatus autem SSmi in Christo Patris, & D. N. D.* Benedicti *Divina Providentia PP.XIV. Anno Secundo supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Trifelli Apost. Curs.*

„ Nicolaus Cappelli Mag. Curs.

Laus Deo, & B. V. Mariæ sine labe Conceptæ.

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ

DECISIONES

A

CHRISTOPHORO COSCI

J. C. CLUSINO

COLLECTÆ

AD VOTA DECISIVA

DE SPONSALIBUS FILIORUMFAMILIAS

Quarum aliquæ antea impressæ, aliquæ vero de novo in lucem editæ.



ROMÆ MDCCLXIII.

TYPIS JOSEPHI, ET NICOLAI GROSSI
IN ÆDIBUS DE MAXIMIS
SUPERIORUM FACULTATE.

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
DECISIONES
AD VOTA DECISIVA
DE SPONSALIBUS FILIORUMFAMILIAS.

R. P. D. PENNA

Tullen. Matrimonii

Die Lunæ 13. Martii 1596.

SUMMARIUM

1 *Sponsalia celebrantur per verba* = Promittimus unus alteri fidem Matrimonii =

3 *Commoditas intelligitur in diversis causis.*

4 *Matrimonii Contractus, vel Sponsalia celebranda quando Contrahentes commoditatem habuerint, intelligenda sunt tam respectu commoditatis bonorum, quam aliarum rerum.*

5 *Statuta imponentia pœnas contra Filios Contrahentes Matrimonia sine consensu Parentum sunt invalida.*

6 *Justus metus indignationis paternæ, & probabile periculum amissionis bonorum, inducit causam dissolutionis contractus.*

7 *Sponsalia de futuro etiam sub juramento inducunt obligationem compellendi Contrahentes ad Matrimonium de præsenti.*

8 *Patris consensus non requiritur ad Matrimonium.*

DECIS. I.

Alias decis. 517. inter impress. cor. eod.

Ad Vot. I. sub num. 77. & ad Vot. IV. n. 162. & ad Vot. V. num. 7. 61. & ad Vot. VI. numero 35. & ad Vot. VIII. num. 41. 63. 66. & ad Vot. IX. sub num. 176. 5. Matrimonii & num. 228. 9. Huic autem.



CUM Jacobus de Bargo, & Hector de Bleistain nobiles, & honesti Juvenes, mutuo, & casto amore forent capti, die 1. Julii 1592. sequentem promissionem reciprocam in hæc verba fecerunt, eidemque subscripserunt: *Sicuti Deo placuit facere nasci inter nos unam amicitiam sanctam, & honestam tendentem ad finem Matrimonii, & desiderantes illam reddere inviolabilem, cum una securitate, de nunquam mutando voluntatem, nos uno consensu, alteri fidem Matrimonii damus de nos insimul desponsando, statim quo commoditas id permiserit, in cujus fidem signavimus hanc præsentem nostris manibus.*

Officialis Tullensis die 13. Julii Anni sequentis 1593. Jacobum renitentem condemnavit ad adimplendam supradictam promissionem Matrimonialem, & cum in gradu appellationis dubitarem, an sententia illius Officialis esset confirmanda, vel revocanda, utraque Parte informante, Rota revocandam censuit, quia licet propter illa verba, *promisimus, & promittimus* unus alteri fidem Matrimonii, (*a*) Sponsalia dicerentur 2
fuisse contracta *Cap. Ex Literis il 2. Cap. Sicut, & Cap. Requisivit de Sponsalib. Covarruv. in epitome lib. 4. Decretal. part. 1. cap. 4.* Jacobi tamen promissio non fuit simplex, & absoluta, sed modificata, & temperata, per illa verba, *statim, quo commoditas id permiserit*, quibus non solum intelligebatur commoditas respectu turpitudinis, & infamiæ, ut scilicet sine aliqua turpitudinis nota Sponsalia ad effectum 3

(*a*) *Cavaler. decis. 425. num. 2.*

fectum perducerentur *l. Nepos Proculo ff. de verbor. signif. l. Avus ff. de jure*
4 *dot.* Sed etiam respectu commoditatis bonorum, ut sine illorum jactura ad Matrimonium per verba de præsenti pervenire posset, ut in d. *l. Nepos Proculo* voluerunt *Alciatus*, & *Joannis Brackeus in princ. vers. Aut sine magna rerum suarum*, & rursus *circa medium*, *vers. Unde dignitatis jacturam*, & ibidem *Rebuffus vers. Non absimile est* hanc enim fuisse verisimilem mentem Contrahentium tradit *Alciatus in d. l. Nepos*.

Item commoditas etiam intelligebatur respectu paternæ voluntatis, in cujus indignationem noluerat Filius incidere, sicut ipsemet Jacobus declaraverat.

In casu proposito non potuisse Jacobum contrahere Matrimonium, nisi cum maximo detrimento suo, & jactura bonorum, & cum paterna indignatione per publicum instrumentum Pater ostenderat, qui imprecatus Filio fuerat æternam maledictionem, ac insuper declaraverat, juxta potestatem per Leges, & ordinationes Principis, ac Patriæ sibi tributam, se illum exhæredaturum (*a*), ac privaturum omnibus bonis, & commodis, quæ post Patris obitum poterat sperare; Notum autem erat ex serie *Statu-*
5 *torum*, seu *Consuetudinum* generalium Lotharingiæ *tit.* 1. *cap.* 17. (quarum copia data fuit) graves pœnas ferri contra Filiosfamilias Contrahentes Matrimonia sine consensu, & voluntate Parentum, quæ licet manifeste sint invalida, (*b*) ex quo violant Matrimoniorum libertatem, quam Jura Pontificia ubique requirunt *Cap. Cum locum Cap. Requisivit Cap. Gemma de Sponsalib. Cap. Nullus* 36. *quæst.* 2. *Concil. Parisiens.* 1. *cap.* 6. *Concil. Trident. Sess.* 24. *cap.* 9. *de reformat. Matrim.* ad incutiendum justum timorem, & excludendam commoditatem, quam Contrahentes expressè in promissione reservaverant, satis erat ea de facto in Lotharingia observari; & hinc propterea oriebatur causa rationabilis, ob quam foret ab hujusmodi compulsione abstinendum (*c*) præsertim cum alias ex indignatione paterna, probabili periculo amissionis bonorum justus metus induci di- 6
catur ad dissolvendos contractus *Bald. in l. Interpositos Cod. de transact. Craveti. consil.* 49. *num.* 2. *Ofasc. decis. Pede-* 7
mont. 179. *num.* 3. *Bartol. in l. Si ob turpem num.* 6. *ff. de condit. ob turp. caus. Ruin. cons.* 23. *num.* 9. *lib.* 1.

Atque ex his respondebatur ad jura, & argumenta, quibus Informantes pro Puella nitebantur docere Jacobum fuisse compellendum, licet enim verum sit Contrahentem Sponsalia de futuro etiam sine juramento compelli (*d*) posse ad contrahendum Matrimonium per verba de præsenti *Cap. Ex literis il* 2. & *Cap. Requisivit de Sponsalib.* ubi communiter Doctores *Gabriel. cons.* 159. *lib.* 2. & censuit sæpe *Rota* & signanter *in una Abulen. Matrimonii cor. R. P. D. meo Blanchetto die* 28. *Maii* 1593. & parentum contradictionem non posse illa impe- 8
dire, cum illorum consensus non sit necessarius *Cap. Sufficiat* 27. *quæst.* 2.

Paternæ tamen maledictionis timor, & metus, & pœna a patre comminata, qui in bonorum successione (legitima excepta) poterat ei valdè præjudicare (sicut jam per publicum instrumentum protestatus fuerat) justam excusationis causam præbere visa sunt, ut non deberet compelli (*e*) ad Matrimonium contrahendum præsertim cum eædem causæ antecedentem Juvenis consensum in contrarium dissensum commutasse putarentur.

EMI-

(*a*) *Adde Cavaler. decis.* 447. *num.* 3. & *Seraphin. dec.* 1258. *num.* 1. (*b*) *Vid. Vot. VIII. a n.* 62. *ad fin.* & *signanter n.* 66. (*c*) *Adde Duran. dec.* 242. *num.* 2. & *seq. ubi plures decis. alleg.* (*d*) *De hoc articulo vid. Sanch. qui plures refert in tract. de Matrim. lib.* 1. *disp.* 29. *fere per tot. Cavaler. decis.* 421. *num.* 1. & 2. *Seraphin. dec.* 1112. *n.* 1. & 2. *Rot. divers. par.* 1. *decis.* 497. *num.* 1. (*e*) *Sponsalia enim non obligant si superveniat justa causa ad dissolutionem, ut per decis. annotatas supra, quibus adde Coccin. decis.* 437. *num.* 2. 3. & 8. *Seraphin. decis.* 1258. *num.* 2. *ubi ad propositum allegat hanc decis.*

EMINENTISSIMO BUSSIO

Marianen. seù Acien. nullitatis Matrimonii.

Lun.3. Decembris 1736.

ARGUMENTUM

Ad Matrimonii validitatem requiritur liber utriusque Contrahentis consensus, nec est sufficiens consensus fictè datus ex justa,& urgenti causa.

SUMMARIUM.

1 F*Acti species.*

2 *Stuprator carceratus, & condemnatus ad desponsandam Stupratam, si factis judicialibus protestationibus, & Stupratæ intimatis super nullitate futuri Matrimonii, deveniat ad ejus apparentem celebrationem, Matrimonium est invalidum.*

3 *Maximè si libertati restitutus, statim in Judicio illius nullitatem deducat.*

4 *Inter cætera ad Matrimonii validitatem requiritur liber utriusque Contrahentis consensus.*

5 *Nec sufficit consensus fictè datus ex justa, & urgenti causa.*

6 *Verba Contractus Matrimonialis prolata per vim, & metum cadentem in constantem virum non sunt indicia liberi, & absolutè consensus.*

7 *Dicitur per vim, & metum fuisse per prætensum Stupratorem contractum cum Stuprata Matrimonium, quando illud contraxit in vim injustæ sententiæ coactivæ, et ad effectum se eximendi a Carceribus.*

8 *Fæminæ minus aptæ ad perbibendum testimonium a Jure Canonico reputantur.*

9 *Non remanet probatum Stuprum per testes, qui non sunt contestes, & deponunt per indicia vaga, & incerta, non autem per signa, & demonstrationes undiquè concludentes.*

10 *Neque per testes deponentes se audivisse rumorem, & vocem postea falsam repertam de tumescentia Ventris Stupratæ.*

11 *Transitus asserti Stupratoris pluries repetitus sub Fenestris Mulieris, illiusque ingressus in ejusdem Mulieris domum sunt actus nèc a longe Stuprum attingentes, quibus Reus negativus non remanet de delicto convictus.*

12 *Injusta est coactiva, si Reo denegata fuit defensio mediante examine testium in reprobationem aliorum testium Fiscalium.*

13 *Si Reus a rejecto examine dictorum testium appellet, non potest Judex sententiam ferre, eamque cogere ad desponsandam Stupratam.*

14 *Protestationes factæ per Reum tam ante, quam post Matrimonium se non aliter illud contrahere, & contraxisse nisi per vim, & metum, optimè pandunt ipsius dissensum, & contrarium animum validitati Matrimonii.*

15 *Statutum Corsicæ disponit, quod Stuprator teneatur desponsare Stupratam, quatenus ipsa velit, sin minus eamdem congruè dotare.*

16 *Quod tamen intelligendum, quandò Stuprum non controvertitur, secus si Stuprator non sit de Stupro convictus.*

DECIS. II.

Ad Vot.I. numero 154.



Elata ad Curiam Gubernatoris Corsicæ contrà Joannem Baptistam de Angelis querela commissi Stupri in Personam Juliæ Mariæ Novellæ, fuit ille carceribus mancipatus, & deindè per Sententiam ad contrahendum cum Stuprata nuptias adstrictus, dummodò tamen ista suum consensum accomodasset, sin minùs ad eam dotandam juxtà vires Patrimonii.

Per-

Perterritus Joannes Baptista tenore Sententiæ, & mente volvens, quod ab ulteriori squallore carcerum, quem spatio quindecim mensium jam passus fuerat, non erat ei datum alio medio se eximere, quàm cum apparenti contractu Matrimonii; Idcircò ne de hujusmodi veritate umquam dubitari posset, & ad hoc, ut suus aversus animus istis coactis nuptiis semper appareret, satiùs putavit se præ-
2 munire iteratis protestationibus etiam judicialiter dictæ Mariæ Juliæ interpellatis super nullitate futuri Matrimonii, & clypeo istarum protestationum devenit ad apparentem celebrationem Matrimonii in faciem Ecclesiæ.

Nullitatem dicti Matrimonii præcedenter Juliæ interpellatam, dictus Joannes Baptista statim libertati restitutus deduxit coram Reverendissimo Episcopo Marianen., sed rejectus contraria Sententiâ super peremptione Instantiæ, recursum habuit ad nostrum Sacrum Auditorium, & expeditis solitis literis citatorialibus, illis-
3 que legitimè præsentatis, cum Julia Maria comparere neglexerit, ad instantiam Joannis Baptistæ per contradictas exquisivi DD. = *An constet de nullitate Matrimonii* = Et responsum retuli *pro Informante*; ideſt *Affirmativè*.

Certum namque erat, quod ad Ma-
4 trimonii validitatem necessariò inter cætera requirebatur utriusque Contrahentis liber consensus ad *Text. in Cap. Cum locum de Sponsalib.* nèc erat sufficiens consensus fictè datus ex justa,
5 & urgenti causa ad id agendum cogente per aliom *Text. in Cap. Venient, & Cap. Requisivit de Sponsalib. Sperell. decis.5. per tot. Rot. coram Ludovis. decis.326. num.18.*, quià in hoc casu cessat voluntatis libertas omnimodè necessaria, & verba subsecuti contractus Matrimonialis uti prolata per
6 vim, & metum cadentem in constantem Virum, non sunt indicia liberi, & absoluti consensus *Surd. cons. 513. n.45. Ciarlin. controv. 108. num. 48. Panimol. decis. 102. num. 12. Rot. coram Seraphin. decis. 859. num.5., & in Hispalen. Matrimonii 21. Febr. 1718. §. Cum itaque coram b. m. Foscaro.*

Et sanè, quod in contrahendo Matrimonio consensus, & voluntas Joannis Baptistæ non fuerit libera, sed meticulosa, satis apertè resultabat ex eo, quod ipse ad ineundum Matrimonium se induxerat in vim injustæ Sententiæ coactivæ, & ad effectum se eximendi a Carceribus, in quibus cum 7
periculo salutis, & vitæ retinebatur. Impositum namque erat Joanni Baptistæ delictum commissi stupri, nec ipse erat de tali culpa convictus vel ex propria confessione, vel ex Testibus Fiscalibus, cum isti paterentur plures exceptiones tam in dicto, quam in Persona; Processus enim Fiscalis erat compilatus cum depositione sex Testium, quorum quinque sunt Fœminæ minùs aptæ de jure Canonico ad pro- 8
bationem reputatæ *Cap. Mulierem 33. quæst.5. Cap. Foris de verbor. signifi-cat. Honded. cons.10. num.24. Clar. in prax. Criminal. §. Final. quæst.24. versic. De jur. Canonic.*

Ulteriùs non sunt Contestes, & de delicto stupri deponunt per indicia vaga, & incerta, non autem per si- 9
gna, & demonstrationes undiquè concludentes, & alter Testis Simon Petrus Ginnettini unicè deponebat se audivisse rumorem, & vocem postea fal- 10
sam repertam de tumescentia Ventris Juliæ Mariæ, dictumque Joannem Baptistam pluries vidisse transeuntem sub fenestris Mulieris, & ejus Domum introeuntem, cum aliis actibus nèc longe Stuprum attingentibus, ac pro- 11
pterea ex dd. probationibus nullo pacto Reum negativum posse dici de delicto convictum firmant *Abb. in Cap. Tertio loco n.10. de probat., & in Cap. Cum non ab Homine versic. Imò plur dicit. de Judic. Alciat. de præsumpt. regul.3, præsumpt.1. num.2. Farinacc. cons.68. num.17. in fin. tom.1.*

Accedente præsertim in comprobationem injustæ coactivæ, quod eidem Joanni Baptistæ fuit denegata naturalis defensio mediante examine Te- 12
stium in reprobationem aliorum Fiscalium, à quo rejecto examine Testium, cùm ipse appellationem interposuisset, non erat datum Judici devenire ad prolationem præfatæ Sententiæ coactivæ ad contrahendas nuptias cum 13
d. Julia, unicè innixæ præfatis Testibus

bus reprobandis ad *Text. in Clementin. Pastoralis in fin.* ibique *Gloss.*, *&* *Doctores de Sentent.*, *&* *Re judicat. Farinacc. cons.* 156. *num.* 24. *Bos. in prax. Criminal. tit. de confess. lib.* 6.

Injustæ coactivæ præcedenti ex d. Sententia adstipulabatur pro effectu nullitatis Matrimonii positivus dissensus Joannis Baptistæ satis apertè panditus per iteratas protestationes, & præcisè in actu proximo celebrationi Matrimonii = ibi = *Dice, ch'è pronto ad eseguire la nulla Sentenza, perchè per pericolo della Vita, e delle sue sostanze non può durare più longamente in Carcere &c.*, *protesta però che quanto hà fatto sin' ora, e quanto è per fare fino alla celebrazione del Matrimonio inclusive, non è di sua volontà, mà per vim, & metum cadentem in constantem virum, e vuole sempre avere detto Matrimonio per nullo* = quæ animi declarationes tàm ante, quàm post Ma-
14 trimonium prosecutæ, optimè pandunt dissensum, & aversum animum Joannis Baptistæ repugnantem libertati, & validitati Matrimonii ad *Text. in l. Si qua Mulier ff. de eo, quod met. caus. Guttier. de Matrimon. cap.* 76. *num.* 16. *Sanchez. eod. tract. lib.* 4. *disput.* 13. *num.* 3. *Piton. discept.* 12. *n.* 4., *& sequen.*

Neque ulla vis fieri poterat in
15 Statuto Corsicæ *cap.* 41. demandante, ut Stuprator teneatur nubere cum Stuprata, quatenùs ista velit, sin minus eamdem congruè dotare, cum quà dispositione Statuti processit quoque suprarelata Sententia. Siquidem dispositio dictæ Legis municipalis tunc sibi locum fortasse vindicare posset, si circa Stuprum nulla adesset contentio,
16 secus autem quando, ut in præsenti casu, Stuprator non est de delicto convictus, & probationes adductæ tale Reatum non concludunt.

Et ità &c. per contradictas &c.

EMINENTISSIMO BUSSIO

Majoricen. Sponsalium.

Lunæ 25. *Aprilis* 1746.

ARGUMENTUM

Quando sit locus coactioni adversus Virum Sponsalia frangentem.

SUMMARIUM

1 Facti species.
2 *Sponsalia ea sunt, in quibus fit mentio, & repromissio futurarum Nuptiarum.*
3 *De illis constat, quoties constat de mutua Contrahentium promissione ineundi Matrimonium.*
4 *Hanc mutuam promissionem probant quoque Testes propter Sexum, aut Consanguinitatem alias minus idonei judicialiter examinati.*
5 *Potissimum si adsit inter eos Sacerdos, qui in locum Parochi mutuam Sponsorum promissionem recepit.*
6 *Etiamsi præcisa verba Contrahentium non referant*, & n. 9.
7 *Sponsalia non à verborum formula, sed à reciproca voluntatis significatione substantiam desumunt.*
8 *Ad contrahenda Sponsalia sufficit Contrahentium consensus.*
9 *Nulla præstituta est formula verborum adhibendorum in contrahendis Sponsalibus.*
10 *Sed per signa etiam tacita Contractus perfectus reputatur*, & n. 15.
11 *Signa, & adminicula sunt reciproca inter utriusque Sponsi Parentes officia.*
12 *Præliminares habiti tractatus, omniaque conventa, quibus decori, & compendio futurorum Conjugum consultum esset.*
13 *Convocatio ad Sponsalia utriusque Familiæ Consanguineorum, & Sacerdotis apud quem Sponsi mutuam sibi fidem præstarent.*
14 *Annuli hinc inde in arrham permutati, & oblata ibidem Sponsæ munuscula.*

16 *Ex silentio triennali, & ultra circa Matrimonium post contractum Sponsaliorum, non arguitur Sponsaliorum resolutio, nisi contrahendis Nuptiis dies præstituta esset, aut uno ex Sponsis reluctante, alter acquievisset.*

17 *Fama de Sponsalibus jam perfectis summoperè attendi debet, nèc adversus eam exceptiones amplius admittuntur.*

18 *Sponsalia probantur per confessionem Sponsi reluctantis.*

19 *Nulla major probatio, quam propria oris confessio.*

20 *Etiam in terminis Sponsalium.*

21 *Constito de Sponsalibus, Sponsus reluctans cogendus est ad Matrimonium ineundum medio Censurarum.*

22 *Libertas substantialiter in Matrimonio requiritur*, & n. 24.

23 *Deficiente in Sponsalibus Juramento non est locus relaxationi Censurarum*, & n.27.

Contrarium n.28.29.30.31.

Declara ut n.39.40.

24 *Non licet promissa non solvere, pacta non servare, & datam frangere fidem.*

25 *Liberum est Sponsalia non contrahere, sed iis contractis resilire non licet.*

26 *Libertatem amittit, qui in Sponsalibus statum Conjugalem assumere consentit.*

28 *Ecclesia est fons justitiæ.*

32 *Simplex monitio contra Sponsum reluctantem fieri debet, quando Judex ex facti circumstantiis à Censuris esse abstinendum agnoscit.*

33 *Vel ubi agitur de compellenda Fœmina*, & n.36.

34 *Ex cujus levitate facilior Censurarum despectus, & difficilior coacti Matrimonii exitus timeri potest.*

35 *Resiliens à Sponsalibus Fœmina leve irrogat Viro præjudicium.*

36 *Fœmina vero à Sponso relicta de sinistra Hominum opinione periclitatur.*

37 *Fœmina contumax est monenda, Masculus vero cogendus*, & n.38.39.

40 *Si hic nullam reluctantiæ suæ legitimam afferat excusationem.*

41 *Quando non constat de Sponsalibus, nèc etiam Masculus cogi potest*, & n.44.

42 *A Sponsalibus resilire non licet, quando inter Sponsos nulla intercedit disparilitas conditionis.*

53 *Vel si hæc intercesserit, nihilominus Sponsus reluctans, ejusque Parentes de illa antea optimè conscii Sponsalibus præbuere consensum.*

45 *Testis unicus sibi, & aliis contrarius nihil probat.*

46 *Dissensus Patris, ejusque comminatio Exhæredationis facta Filio non præbet eidem Filio justam causam resiliendi à Sponsalibus, quando dissensus est irrationabilis, & suspicari potest ad opportunitatem confictus.*

47 *Quidquid secus dicendum esset, si inita fuissent Sponsalia sub conditione paterni consensus.*

48 *Quæ conditio nèc etiam suffragatur, nisi fuerit apposita in ipso Sponsalium actu, sed ex intervallo.*

49 *Si Pater consensum præstiterit in Sponsalibus Filii, deindè dissentire non potest.*

50 *Et si Filium à fidei datæ implemento reluctantem confoveat, ipse quoque Censuris subjicitur.*

51 *Procedi debet ad Censuras non obstante calore litis.*

DECIS. III.

Ad Vot.I. num.172. & ad Vot III. sub n.48. & ad Vot.V. num.7. & ad Vot.IX. sub num.175. §.Hic etenim.



Idem de ineundo Matrimonio, quam Claræ Febrer Llinà dederat Vincentius Alberti, cum implere postmodum recusaverit, remissoque annulo in arrham futuri Conjugii recepto, alienum ab ea re animum suum aperuerit, in Judicium à decepta Sponsa vocatus fuit coram Vicario Generali Majoricen., qui com-

comperto, quod Sponsalia de futuro
ritè, legitimèque contracta fuerint,
contrahendum itidem pronunciavit
Matrimonium per verba de præsenti,
& reluctantem Vincentium opportu-
nis Juris remediis desuper compellen-
dum declaravit. Directa autem mihi
ab hujusmodi Sententia appellationis
commissione, diù anceps fuit Sac. hujus
Tribunalis Judicium, scissisque suffra-
giis in tribus Propositionibus *sub die-
bus* 11. *Junii*, 22. *Novembris* 1745.,
& 11. *Februarii proximè præteriti*,
nulla prodiit resolutio, donèc omnes
hodiè DD. ad Sententiam ferendam
adsciti proposito Dubio = *An constet
de Sponsalibus, & sit Locus Canonicæ
coactioni in casu &c. responsum in
omnibus affirmativum reddiderunt* =

Parum difficultatis habuit resolu-
tio, quoad primam Dubii partem,
dum Sponsalia ea sunt, in quibus men-
tio fit, & repromissio futurarum Nu-
2 ptiarum ad *Text.in leg.1.ff de Sponsal.*,
cum quo consonat *Can. Nostrates* 30.
*quæst.*5., & ad hoc ut de illis consta-
re dicatur, nil ultrà requiritur, nisi
quod Contrahentes fidem de ineundo
Matrimonio invicem interposuerint
3 *Rota decis.*572. *num.*3., & aliis addu-
ctis *in Tuden. Sponsalium* 2. *Martii
proximè præteriti* §. *Exordiendo coram
R. P. D. meo Caprara*: In casu autem
de promissione Vincentii, ac de re-
promissione Claræ dubitari nullimodè
poterat, cum de ea uno ore depone-
rent plures Testes formitèr examinati,
qui actui celebrationis Sponsalium in-
terfuerant. Id autem probationis ge-
nus, quod validum semper est, vali-
dissimum profectò fundamentum præ-
bet in subjecta materia, in qua judi-
ciali Testium depositioni tantùm attri-
buitur, ut omnibus credatur, etiam
iis, qui alias vel propter sexum, vel
4 propter consanguinitatem minus repu-
tarentur idonei ad *Text. in Cap. Vi-
detur qui Matrim. accus. poss.*, *Rota
decis.*621. *num.*1. *part.* 18. *recent.*,
*& coram Ubald. decis.*604. *num.*1., *&
coram Buratt. decis.*143. *num.*1., *&
coram Falconer. decis.*6. *num.*2., *&
seqq. sub tit. de Sponsal., & Matrim.*;
Præsertim quia inter eosdem Testes
adest Sacerdos Joannes Mus, qui in

locum absentis Parochi ad recipien-
dam mutuam fidem, ac repromissio-
nem fuerat à Sponsis vocatus, & præe-
lectus, adeòque de eo deponit, in
quo ipse primam gesserat personam, 5
& principalem partem habuerat, ut in-
dividualitèr perpendit *Rota in alta
Majoricen. Sponsalium* 29. *Januarii*
1712. §. *Validius cor. clar. mem. Card.
Scotto*.

Quin recensitis Testibus quid-
quam detrahat, quod præcisa non re-
ferant verba Contrahentium; Ultra 6
quod enim nèc desunt, qui de iis
etiam adamussim deponant: Ulterius
cum Sponsalia non a verborum formu-
la, sed à reciproca voluntatis significa-
tione substantiam desumant, ideò san- 7
citum est, ut ad illa legitimè contra-
henda = *Sufficiat secundum leges solus
eorum consensus, de quorum conju-
ctionibus agitur* = juxta verba *Can.
Sufficiat* 27.*quæst.*2.: Quoties itaque 8
omnes Testes univocè in eo conve-
niunt, quod fides utrimque de futu-
ris Nuptiis data fuerit, atque recepta,
nil desiderandum superest ad hoc, ut
Sponsalia perfectissimè probata dici
debeant, nèc ultra inquirendum,
qualia fuerint in id adhibita verba, 9
cum de eis nullibi præstituta formula
habeatur ad *Text. in Cap. Si inter de,
Sponsal., & Matrim.*, imò utcumque
certus eliciatur consensus, nèc ver-
bis opus est, sed signis etiam tacitis 10
contractus perfectus reputatur ex
*Gloss. In Cap. Tuæ Fraternitati verb.
Verba de Sponsalib.*, *Sanchez de Matrim.
lib.*2. *disp.*22. *num.*3. *Ciarlin. controv.
forens. lib.* 2. *cap.*174. *num.*61., *&
seqq.*, *Rota decis.*743. *num.* 3. *par.*3.
recent., *& coram Caval. decis.*421.
*num.*1.

Si rei gestæ series perpendatur,
talia occurrunt signa, & adminicula,
ut ex eis de absoluto Sponsalium con-
tractu dubitare non liceat; Constat 11
enim præmissa fuisse reciproca inter
utriusque Sponsi Parentes officia, præ-
liminares habitos tractatus, omniaque
conventa, quibus decori, & compen-
dio futurorum Conjugum consultum 12
esset: Mox ea majori, qua fieri po-
tuit, solemnitate celebrata fuisse
Sponsalia, convocatis ad id utriusque

Familiæ Consanguineis, accitoque Sa-
13 cerdote, apud quem Sponsi mutuam
sibi fidem præstarent, annulos hinc in-
de in arrham fuisse permutatos, ob-
14 lata ibidem Sponsæ munuscula, alia-
que peracta, ex quibus sicuti Contra-
hentium consensus à respectivis Pa-
rentibus collaudatus abundè elicitur,
15 ita eo magis constat de indeclinabili
Sponsalium perfectione, ut recensi-
tas circumstantias sparsim perpenden-
do firmant *Gloss. in Cap. Si inter* 31.
*verbo Dicente de Sponsal., & Matrim.,
& Cap. Literas 4. verb. Placere con-
sueverit de desponf. Impuber., Bald.
cons.* 148. *num.* 13. *vol.* 1., *Mascard.
de probat. concl.* 100. *vol.* 1., *Rota co-
ram Buratt. decis.* 143. *num.* 34., *&
per tot., & coram Falcon. decis.* 6.
num. 8. *tit. de Sponsal., & in Nova-
rien. Sponsalium* 1. *Julii* 1693. §. *Ad-
minicula coram bon. mem. Muto.*

Ex eo verò quod postmodum per
triennium, & ultrà de Matrimonio
actum non fuerit, perperam inferri
16 contendebatur Sponsalium resolutio.
Siquidem id urgere posset, ubi con-
trahendis nuptiis dies præstituta esset,
vel uno ex Sponsis reluctante, alter
acquievisset, in quibus terminis lo-
quitur *Text. in leg.* 2. *Cod. de Sponsal.*,
& procedunt authoritates per Vincen-
tium allegatæ: Cæterum quoties, pro-
ùt in casu, nullus præfinitus habetur
ad Matrimonium terminus, & ut pri-
mùm Vincentius alienum sese præbuit,
Clara ei statim acerrimè contradixit,
tantum abest, ut lapsus temporis
Sponsalium resolutionem operetur,
quin-potiùs exindè validius eruatur ad
eorum firmitatem adminiculum, quip-
pè quia ex familiari inter Sponsos
consuetudine diù continuata, atque
ex agnitionibus, quibus Parentes, &
Consanguinei eos tamquam Sponsos
habuerunt, publica invaluit fama de
17 Sponsalibus jam perfectis, quæ sum-
moperè attendi debet, nèc adversus ea
exceptiones amplius admittuntur *Arg.
Text. in Cap. Illud quoque depræsum.,
Rota cor. Lancett. dec.* 139. *n.* 3., *& in
Viennen. Matrimonii* 25. *Julii* 1703.
§. *In idem, & in Majoricen. Sponsa-
lium* 29. *Januarii* 1712. §. *Urgebant
coram clar. mem. Card. Scotto.*

Ut autem nil desit ad tuto judi-
candum de perfectione Sponsalium,
concurrit confessio ipsius Vincentii,
qui judicialitèr conventus respondere
debuit articulis per Claram exhibitis,
eaque occasione non valuit Sponsa-
lium veritatem non fateri, præcipuè
in responsione ad tertium Capitulum,
in quo cum interrogaretur de mutua
repromissione coram Sacerdote præ-
stita, de annulis permutatis, deque 18
oblatis Sponsæ munusculis respon-
dit = *Che contiene la verità detto ter-
zo Capitolo* = Scitum verò est nullum
magis absolutum probationis genus
reperiri, quàm quod ex propria oris 19
eruitur confessione per *Text. in Cap.
Per tuas de probat. Leg. Generalitèr
Cod. de non numerat. pecunia*, & in 20
terminis Sponsalium *Rota coram Bu-
ratt. decis.* 743. *num.* 23., *& decis.* 172.
num. 12. *par.* 2. *recent., & in Nova-
rien. Sponsalium* 1. *Julii* 1693 §. *De-
mum coram Muto, & in dicta Majo-
ricen. Sponsalium* §. *Neque, & seqq.
coram Card. Scotto.*

Constito itaque de Sponsalium
contractu numeris omnibus absoluto,
sicuti Vincentius ex justitiæ debito ob-
strictus remansit ad liberandam fidem
Claræ præstitam, ita DD. ad secundam
dubii partem respondentes judicarunt
eumdem reluctantem medio Censura-
rum esse cogendum, ut Matrimonium
per verba de præsenti contrahere te 21
neatur juxta sancita in *Cap. Præterea
& in Cap. Ex literis il* 2. *de Sponsa-
lib., & Matrim.*, quibus sanctionibus
obsecuta passim est *Rota decis.* 609.
coram Manzanedo, & pluribus addu-
ctis *decis.* 516. *num.* 1. *coram Ansaldo,
& in Camerinen. Sponsalium* 12. *Ju-
nii* 1711. §. *Motivum coram bon. mem.
Priolo.*

Nèc ad evadendam hujusmodi
coactionem, quidquam profuit alle-
gare vel libertatem in Matrimonio
substantialitèr requisitam, & sæpius 22
per Canones inculcatam, ut *in Cap.
Gemma de Sponsal.*, & alibi, vel
quod in controversis Sponsalibus Ju-
ramentum non fuerit interpositum,
eoque deficiente, Censurarum relaxa- 23
tioni locus non sit, juxta opinionem
Gabriel. in cons. 186., & aliorum.
Quo

Quo enim ad primum, liberum profecto homini esse debet sese Matrimoniali fœdere alligare, non tamen exinde licet promissa non solvere, pa-
24 cta non servare, & datam frangere fidem contra *Text. in Cap.* 1., *& 3. de pact.*; Ideòque in subjecta materia liberum quidem est Sponsalia non contrahere, sed nullimodè licet, eis
25 legitimè contractis, ab exposita nubendi obligatione resilire, propterea quod libertas, quæ unicuique de jure inest, amittitur, ubi quis in Sponsa-
26 libus per verum, ac deliberatum consensum sese Maritalem statum assumpturum fore pacifcitur, ut notant *Skim. in Jus Canon. lib. 4. tit. 1. cap. 4. §. 3. num. 25.*, *Picler. in Jus Canon. lib. 4. tit. 1. §. 3. num. 41.*

Quo verò ad defectum Juramenti, quamvis *Gabriel* supra allegatus, aliique in eam pervenerint sententiam, ut firmarent Censuris utendum non esse, ubi Sponsalia juris jurandi
27 religione destituta comperiantur, contraria tamen verior, & ubique recepta opinio est, ut scilicet Ecclesiastica coactione indistinctè compellantur & hi, qui de ineundis Nuptiis jurarunt, & qui de eis absque juramento
28 pacti sunt; utrique enim ex justitiæ debito tenentur, & proindè æquum est, ut ab Ecclesia justitiæ fonte ad debitum exsolvendum cogantur, ut reprobato *Gabriel.*, substinet *Mantic. de tacit. lib. 3. tit. 18. num. 5.*, *Carrer. de Sponsal. lib. 1. cap. 11.*, *Sanchez de Matrimon. lib. 1. disp. 29. num. 4.*, *Thomat. decis. March. 84. num. 1. vol. 1.*, *Rubeus ad decis. 431. num. 62.*, *& seq. par. 4. tom. 2. recent.*, & hanc sententiam constantèr amplexa est *Rota in*
29 *decis. 163. num. 3.*, *& seqq. par. 9. recent.*, *& decis. 1112. numer. 1. coram Seraphin.*, *& decis. 415.*, *& 526.* uttrobique *num. 1. coram Cavaler.*, *& in Novarien. Sponsalium 1. Julii 1693. §. Firmatis coram bon. mem. Muto*, *& in Majoricen. Sponsalium super Censuris 29. Januarii 1702. §. Nulliate-*
30 *nus*, *& seqq. coram clar. mem. Card. Scotto*. Eamdemque sententiam firmavit Sacra Congregatio Concilii *in Faventina Sponsalium 1. Junii 1737. ad 2. dub.*

Inapplicabilis verò visa est dispositio *Text. in Cap. Requisivit de Sponsal.*, ubi ad monitionem potius, quam ad coactionem procedendum esse in hac materia sancitur. Præmisso enim, 31 quod in hoc etiam *Textu* res est de Sponsalibus juratis, & ideo nullum ex eo appositæ distinctionis circa Sponsalia non jurata argumentum valeat desumi; Illud animadverterunt DD., quod sicuti in alio supra allegato *Cap. Ex literis ii 2. titul. eod.* coactio expressè demandatur, ita ad tollendam inter Decretales contrarietatis notam, sic utramque conciliare oporteat, ut simplex monitio 32 juxta *Cap. Requisivit* fieri debeat, vel ubi ex facti circumstantiis Judex prudenter sibi a Censuris abstinendum agnoscat, vel ubi agatur de compellenda Fœmina, de qua *Textus* præ- 33 cisè loquitur; Porro a Sexus imbecillitate, innataque Mulierum levitate, & facilior Censurarum despe- 34 ctus, & difficilior coacti Matrimonii exitus timeri potest: Ultra quod resiliens a Sponsalibus Fœmina leve irrogat præjudicium Viro, qui alteram, 35 cui nubat, facilè adinvenire valeat, quæ omnia secus sunt in Masculo, contra eum quippe facit, & virilis constantia, & gravissimum præjudicium deceptæ Mulieris, quæ a proprio Spon- 36 so relicta de sinistra Hominum opinione periclitatur; Hinc Fœminam contumacem monendam ad tramites *Cap. Requisivit*, Masculum verò reluctan- 37 tem cogendum ad tramites alterius *Cap. Ex literis*, sæpius distinguendo firmavit *Rota decis. 516. num. 17.*, *& seq. coram Ansald.*, *& decis. 337. numer. 14. & seq. coram Crispo*, *& in Albanen. Sponsalium 24. Junii 1711. coram clar. mem. Scotto*, *& in Moguntina Sponsalium 20. Novembr. 1741. §. fin. cor. R. P. D. meo Molino*; Eodemque modo inter Masculum, & Fœminam distinxit Sacra Congregatio 38 Concilii in *Faventina Sponsalium 1. Junii 1737.*, *& in Pisauren.*, *seu Senogaillien. Sponsalium 14. Dec. 1743.*

Auctoritates autem per Vincentium allegatæ ad probandam distinctionem inter præstitum, ac omissum in Sponsalibus juramentum, minus ha-

habentes, compertæ, sunt aliæ enim
utpote loquentes de Fœmina simpli-
39 citer monenda confirmant potius opi-
nionem in superiori §. firmatam, ut
sunt *decis.* 1112. *coram Seraphin. de-*
*cis.*979. *coram Molines*, *& contuma-*
*cialis decis.*77. *coram Kaunitz*; Aliæ
autem, utpote ex legitima causa
Sponsalium dissolutioni indulgentes
tradi non possunt ad causam, in qua
Vincentius, ut infra patebit, nullam
40 reluctantiæ suæ legitimam afferre va-
luit excusationem, talis est *decis.* 19.
part. 10. *recen.*, Aliæ demum a coa-
ctione abstinuerunt, eo quod de
Sponsalibus non constabat, prout in
41 casu uberrimè ex supra dictis constat,
cujus generis sunt contumaciales De-
cisiones in *Pampilonen. Sponsalium* 6.
Decembris 1716. *coramCardinal.Cin-*
cio, *& in Surrentina Sponsalium* 8.
*Febr.*1734. *coram bon.mem.Harrach.*,
& in Majoricen. Sponsalium 10.*Junii*
1735. *confirmata* 25. *Novemb. ejusdem*
anni coram Emo Crescentio.

Momentum igitur difficultatis
redactum est ad causas, propter quas
Vincentius rationabiliter a promissis
resilire posse contendebat; Verùm
omnes meritò rejectæ sunt, cum nec
graves, nec urgentes, prout opus
esset, compertæ fuerint, quod enim
dicebatur de conditionis inæqualitate,
sublatum fuit ex facto, unde constitit,
utriusque Sponsi familias inter hone-
42 stas Terræ Mahonis adnumerari, imo
inter eas aliqualem etiam sanguinis
conjunctionem intercedere, eo insu-
per addito, quod exceptio disparita-
tis hujusmodi malè resonat in ore
Vincentii, qui in hac ipsa Lite mor-
dicus sustinet Sororem suam cum
Fratre Claræ esse Matrimonio conjun-
gendam. Cæterum in jure nihil ope-
ratur conditionis, & gradus differen-
tia, quoties Vincentius, ejusque
Parentes ante Sponsalia de qualitate
Sponsæ, ac illius Familiæ optimè
43 certiores erant, ideòque si hoc non
obstante, fides de Matrimonio data
est, eam frangere amplius non licet,
& opportuno tempore prospicere
debebant, ut nobiliorem, ac di-
tiorem Sponsam invenirent ad *Text.*
in leg. Si quis demum §. *penultim ff.*
locati: quem in his terminis exornat
*Sanchez de Matrim.disput.*14. *n.*2. *lib.*
1., *Rosignol. de Sponsal. part.*2. *præ-*
*not.*1. *n.*2., *& seq.*, *Rubeus adnot. ad*
*decis.*431. *n.*103.,*& seq. part.*4.*tom.*2.
recent., *Rota dec.*163. *n.*26.*part.*9.*t.*1.

Neque itidem in facto subsistebat
quod correspectivè ad Matrimonium
Vincentii cum Clara, utriusque Pa-
rentes aliud contrahendum esse con-
venerint inter Fratrem Claræ, & So-
rorem Vincentii, cumque Frater
Claræ ex præcepto Patris sui nuper a
Terra Mahonis discesserit, ne nube-
ret cum Sorore Vincentii, hinc ipse
etiam a Sponsalibus correspectivè, ut
ajebat, contractis resilire justè posse
sustinebat, siquidem nec Pater Cla-
ræ, minusque Frater [teneræ cæte-
roquin ætatis adolescens, & literis,
scientiisque addiscendis Patria profe-
ctus] ullam de asserto reciproco Ma-
trimonio promissionem, vel obliga- 44
tionem emiserunt, & ad id proban-
dum nil aliud adductum est, nisi de-
positio unius Testis, qui loquitur de
auditu ab ipso Vincentio, quique eo-
dem contextu asserit Patrem Claræ
nunquam de asserto Matrimonio pa-
ctum esse, imo nec cogitasse, quique
demum ab aliis Testibus de negativa
assertæ correspectivitatis deponenti-
bus enervatur. Unde Testi huic uni-
co sibi non minus, quàm aliis contra- 45
rio nulla est prorsus fides adhibenda
per *Text. in Cap. Licet de Testib.*, &
passim *Rota in Lauretana Immissionis*
super reservatis 24.*Jan.*1727.§.*Quan-*
tum coram bon. mem. Gamaches.

Ex eo autem, quod Pater Vin-
centii ab hoc Matrimonio dissentiat,
& Filio exhæredationem propter id
sit comminatus, nulla desumi poterat
justa ad recessum causa, ultra quod 46
enim dissensus hujusmodi utpote irra-
tionabiliter superventus (*a*) haud te-
merè suspicari poterat ad opportunita-
tem confictus: ulterius cum Sponsalia,
de quibus agitur, purè, & absolutè 47
inita conditione paterni consensus al-
ligata non essent, nil est propter quod
ex tali dissensu dissolvantur, ut ad
Text. in Can. Sufficiat 27. *quæst.* 2.
notant.

(a) Vid. Vot.1x. sub n.175. §. Nil pariter.

notant *Menoch. de præs. cap. 4. præs. 189. num. 5., Rota in Majoricen. Sponsalium super Censuris 29. Januarii 1712. §. Quatenus coram clar. mem. Card. Scotto*, & quamvis Vincentius respondendo ad articulos Sponsalia jam inita fassus fuerit, addita responsioni ea qualitate = *Con la condizione che sempre fosse con piacere del Padre del Deponente* = attamen conditionem hujusmodi nullimodè constat in ipso
48 Sponsalium actu fuisse appositam, ideoque superaddi non valuit ex intervallo per solam Vincentii assertionem, ut optimè notant *Sanch. de Matrim. lib. 5. disp. 6. num. 3.*, *Rota coram Cavaler. dec. 415. n. 45.*

Sed quorsum hæc cum Pater Vincentii ipsemet interpositis officiis Sponsalia fieri curaverit, & ipse eorum celebrationi non solum interfuerit, & traditis Sponsæ Munusculis contractum collaudaverit, eique præsentiam, atque uberrimam approbationem præstiterit? In his utique terminis illius consensus, ut dici vellet necessarius, adhibitus jam luculenter fuit, & hodie Pater non potest
49 ab eo, quod semel placuit, dissentire, per regulam *Text. in Cap. Quod semel de regul. jur. in 6.*, & individualitèr notat *Carpzoav. in Jurispr. Eccl. lib. 2. tit. 3. defin. 59. num. 5., & per tot.*; Imo si obduratum filii animum, & a fidei datæ implemento re-
50 luctantem Pater confoveat, etiam adversus eum Censuras comminatur litteralis *Text. in Cap. Ex literis il 2. de Sponsal., & Matrim.* relat. *in Concil. General. Lateranensi 3. tit. de Sponsal. Can. 17. apud Labbæum tom. 13., & in Collect. Anton. Augustin. lib. 4. decretal. titul. 1. cap. 9. pag. 96., & apud Gonzal. num. 4. ad titul. de Sponsal. cap. 10. pag. 26., & 27.*

Denique quod Vincentius à Maritali erga Claram benevolentia discesserit stante præsenti Lite, causa esse non potest, cur ipse ab exposita nubendi obligatione absolvi queat; Actum quippe esset de Sponsalibus, si alter ex Sponsis Litem pro recessu ageret, & pro recessus causa Litem ipsam allegare valeret, ne itaque, quod mutuo utriusque Sponsi consensu firmatum est, unius postea dissensu frangatur, receptum passim habemus odia hujusmodi ex Litis calore in altero ex Sponsis excitata nihili facienda esse, & eis non obstantibus ad 51
coactionem esse procedendum, *Gabriel. consil. 159. num. 12. & seqq. lib. 2., Rota decis. 497. tom. 1. diversorum, & coram Ludovisio decis. 376. num. 6., & seq., & coram Cavaler. decis. 421. num. 10., & in Camerinen. Sponsalium 12. Junii 1711. §. Multoque minus coram bo. me. Prialo, & in Majoricen. Sponsalium super Censuris 29. Januarii 1712. §. Quo verò cor. clar. mem. Card. Scotto.*

Et ita omnibus DD. suffragium ferentibus resolutum fuit utraque &c.

EMINENTISSIMO BUSSIO

Majoricen. Sponsalium

Lun. 16. Januar. 1747.

Confirmatoria præcedentis

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decisione

SUMMARIUM

1 *Rota stetit in decisis.*
2 *Consilio de Sponsalibus contra Sponsum reluctantem adhibenda venit coactio medio Censurarum.*
3 *Si Sponsalia non fuerint juramento firmata abstinendum est a coactione, & Censuris.*
Contrarium n. 5. 6.
4 *Ecclesia est justitiæ, & religionis vindex.*
7 *Contra Fœminam reluctantem adhibetur monitio, coactia vero contra Masculum.*
8 *Eorum, quæ vel lege constituta sunt, vel communi opinione usu recepta rationes rigidè non sunt requirendæ.*
9 *Mitius in Fœminam est animadvertendum, quia ipsius levitas facilè parere potest despectum Censurarum, magisque suspicari potest, ne a fide, quam coacta spon-*

pendit, facilius decidat.
10 *Mulier si a Sponsalibus declinet nullum irrogat praejudicium Viro.*
11 *Si verò Mulier a Sponso relinquatur, gravissimam nominis subit diminutionem.*
12 *Maximè si longa fuerit inter Sponsum, & Sponsam familiaris consuetudo, licèt honestè continuata.*
13 *Sponsus reluctans prius est monendus, & deinde cogendus.*
14 *Id tamen duobus diversis Judiciis non est declarandum.*
15 *Sed quoties judicatum est Sponsum reluctantem juris remediis ad Matrimonium esse cogendum, Judex executor prius illum monere debet, deinde aliis illum impellere poenis, & demum ad relaxationem Censurarum procedere.*
16 *Pro recessu a Sponsalibus non potest Filius allegare dissensum Patris, ac timorem exhaeredationis, quando Pater fuit auctor ipsorum Sponsalium, illorumque celebrationi advocatis propinquis, adhibito Sacerdote, & oblatis Sponsae manusculis interfuerit.*
17 *Et postea per triennium frequenti consuetudine, mutuisque amoris signis Sponsalia approbaverit.*
18 *Leges Civiles, etiam iniquum reputarunt irrationabilem dissensum Patris, ubi prius auctoritatem suam in desponsando Filio interposuit.*
De Jure Civili paterna auctoritas erat ad Matrimonii validitatem necessaria; ibidem.
19 *De Jure canonico Parentes post praestitum Sponsalibus Filiorum consensum dissentire prohibentur.*
20 *Et Filios in frangendae fidei proposito confoventes Censuris subjiciuntur.*

DECIS. IV.

Ad Vot. III. sub num. 48.



Ead Matrimonium cum Clara Febrer Llinà ineundum juris remediis adigeretur Vincentius Alberti, prout judicatum fuerat in Au-
1 dientia diei 25. Aprilis anni proximi praeteriti, novam licèt hodie Collectationem instauraverit, novumque adversus Decisionem sub d. die coram me editam de suis juribus periculum fecerit, omnes tamen conatus in irritum cessere; interrogati enim OO. DD. = *An sit standum, vel recedendum à Decisis?* Responsum reddiderunt prò persistentia = *In Decisis* =

Jam verò de absoluto Sponsalium contractu adeò usque constare visum fuit ex judiciali confessione ipsius Vincentii, ex univoca formali Testium depositione, & ex aliis facti circumstantiis latè perpensis in praeterita mea Decisione *à* §. 2. *ad* 7., ut eorum firmitate devictus ipsemet Vincentius nil ultra opponere ausus fuerit: Propterea que constito de Sponsalibus, sicuti 2
fidem in eis per Sponsos interpositam liberari oportebat, ità nil proponebatur, cur injuriosa Vincentii reluctantia medio canonicae coactionis non esset coercenda ad *Text. in Cap. Ex literis il 2. de Sponsal. & Matrim. Rota in alia Majoricen. Sponsalium super Censuris 29. Januarii 1712. §. 1. coram clar. mem. Card. Scotto cum aliis in praeter. Dec.* §. 7.

Quin demandatae coactioni impedimento esse possit, Sponsalia, de quibus agitur, non fuisse juris jurandi Sacramento obfirmata, quasi quod exin- 3
dè relaxari nequeant adversus reluctantem Censurae, sed mitius procedendum sit per medium simplicis monitionis, prout sancitum asseritur *in Cap. Requisivit de Sponsal.*

Oppositum siquidem argumentum in neutra sui parte subsistere compertum est: Sanctam profectò Ecclesiam utpote justitiae non minus, quam religionis Vindicem decet, ut debita 4
ex utroque fonte enascentia impleantur; idcirco utcunque in Sponsalibus jurisjurandi additamentum deficiat, nil tamen deest ad illorum perfectionem, quoties Contrahentes de ineundo Conjugio fidem mutuò interposuerunt *Can. Nostrates 30. qu. 5.*, eamque si non ex directo Religionis debito, ex debito tamen justitiae liberare omnino tenen- 5
tur, propterea que, ut fidei frangendae licentia cohibeatur, ea invaluit apud Tribunalia, ac Doctores Sententia, ut distin-

distinctio non fiat inter Sponsalia jurata, quominùs in utroque casu ad Ca-
6 nonicam coactionem procedatur, ut adversus *Gabriel*, paucosque ejus sectatores communiter firmant *Schmalzgr. ad lib.4. decret. tit. de Sponsal. §.2. num.93. Gonzal. in Cap. Requisivit sub num.8. Carrer. de Sponsal. lib.1. cap.11., Rosignol. de Sponsal. part.1. prænot.8. num.1. Rota in Novarien. Sponsalium 1. Julii 1693. §. Firmatis coram bon.mem. Muto, & in Majoricen. Sponsalium super Censuris 29. Januarii 1702. §. Nullatenus, & seq. coram clar. mem. Card. Scotto cum aliis cumulatis in præterita Decisione* §.9.

Nec quidquam contrafacit *Text. in Cap. Requisivit de Sponsal.* in quo *Lucius III.* Sponsam a data fide resilientem, monendam esse potius, quàm cogendam edixit: hujusmodi namque DecretalisCensura allegari non meretur ad evadendam coactionem propter id quod Sponsalia sint juramento destituta, cum ex illius Litera apprimè appareat Pontificem de Sponsalibus juramento vallatis respondisse; alia itaque præter Juramenti defectum ratio quærenda est, ut dispositio *Cap. Requisivit de Sponsalib.* coactionis exclusiva conciliari valeat cum *Cap. Ex literis II 2. eod. tit.*, in quo præcisa demandatur coactio; & inter diffidentes opiniones ea magis accommodata visa fuit, quæ distinguit inter Masculum, & Fœminam, ut adversus
7 primum coactione procedatur juxta *Cap. Ex literis*, adversus alteram simplex adhibeatur monitio secundum *Cap. Requisivit*, prout sæpiùs distinguendo firmavit tùm *Sac. Rota* præsertim *in Albanen. Sponsalium 24. Junii 1711. coram clar. mem. Card. Scotto, & in Moguntina Sponsalium 20. Novembris 1745. §. fin. coram R. P. D. meo Molino* = tùm *Sac. Congregatio Concilii in Faventina Sponsalium 1. Junii 1737., & in Pisauren., seù Senogallien. Sponsalium 14. Decembris 1743.*

Quin distinctio isthæc de facili concuti valeat eo, quia nulla videatur allegabilis ratio, cur inter Masculum, & Fœminam tanta sit cum disparitate procedendum; ultraquod enim eorum, quæ vel lege constituta sunt, vel communi opinione usu recepta, rationes adeò rigidè inquirere non oportet per *Text. in L. Non omnium, &* 8
seqq. ff. de legib., non deest ulterius causa, propter quam mitiùs in Fœminam, & acriùs in Masculum animadvertatur. Naturalis quippè imbecillitas, levitasque Muliebris non longè est, ut despectum Censurarum facilè 9
pariat, magisque suspicari potest, ne Fœmina à fide, quam coacta spopondit, faciliùs desciscat: Cæteroquin summum est inter Virum, ac Mulierem in hac materia discrimen, ut Mulier si à Sponsalibus declinet, nullum 10
irroget præjudicium viro, cui altera ad nubendum nunquàm deficiet Fœmina: sin verò à Sponso Mulier relinquatur, gravissimam ipsa nominis su- 11
bit diminutionem; quod apprimè in præsenti casu verificatur, nam longa fuit inter Vincentium, & Claram familiarisque consuetudo, quæ utcumque honesta, non leve tamen impedimentum prò altero Connubio deceptæ Sponsæ esset allatura *Rot. in Viennen. Matrimonii 25. Junii 1703. §. Ad idem cor. Card. Scotto*, & considerat 12
præterita *Decisio §.5., & 10.*

Ad excludendam distinctionem inter Virum, & Mulierem aliam proponebant Defensores Vincentii conciliationem *Text. in Cap. Requisivit cum Text. in Cap. Ex literis*, ut scilicet ubi prior Decretalis Lucii III. ponit = *Monenda est potiùs, quàm cogenda* legi debeat, monenda est priùs, quam cogenda juxta expositionem *Gloss. ibid.* 13
in fin., & Barbos. in eod. Cap. sub num.3. Hinc inferendo quod antequam Vincentius ad Matrimonium præcisè cogatur, juxtà Sanctionem Alexandri III. *in Cap. Ex literis*, præmittendum sit monitionis experimentum, quod hìc, & nunc simpliciter demandari debeat, ut postmodum, si monitis parere ipse nolit, locus legitimè sit ultimo coactionis, & Censurarum remedio.

Verùm DD. non recedentes à supra firmata distinctione inter Masculum, & Fœminam, cum qua duas decretales apprimè conciliatas crediderunt;

derunt; Id ulterius ad exuberantiam animadvertebant, quod admissa etiam *inCap.Requisivit* intelligentia a Defensoribus Vincentij probata, nil tamen exindè Causæ Decisioni detractum erat, quod enim præmitti debeat monitio, respicere id quidem potest ordinem procedendi in executione, non verò coarctare methodum judicandi, ut
14 scilicet per inutilem,& fortassè calumniosam protractionem tot instaurari debeant judicia, quot sunt actus, qui effectivæ Censurarum relaxationi præmittuntur: Hinc quoties judicatum est Vincentium juris remediis ad Matrimonium esse cogendum, spectat ad Judicem executorem illum prius monitis excitare, cumdemque monitis non affectum aliis impellere pœnis, omnibusque in irritum cedentibus ad
15 extremam Censurarum relaxationem procedere, ut præsefert gradualis ordo præscriptus in ipso *Cap. Ex literis de Sponsal.*, & practice observat *Rosignol. de Sponsal. lib. 1. prænot. 8. §. Ratio.*

His devictus Vincentius ultimum tandem præsidium quærebat à causis, quas sibi legitimam de frangenda Sponsæ fide excusationem præbere posse authumabat; Maxima verò ex eis reposita erat in dissensu Patris sui, qui hasce Nuptias invisas habere, & pro-
16 pter eas Filio Exhæredationem comminasse asserebatur; Veruntamen ad submovendam futilem hanc excusationem, sat erat facti circumstantias respicere, undè constabat Patrem ipsum Sponsalium, de quibus agitur, Authorem fuisse, ipsumque illorum celebrationi, advocatis Propinquis, adhibito Sacerdote, atque oblatis Sponsæ
17 munusculis interfuisse, & postea per triennium frequenti consuetudine, mutuisque amoris signis, Sponsalia semper approbasse, atque collaudasse.

Postquam igitur Pater assensum, authoritatemque suam in Filio desponsando interposuit, dissensus illius irrationabiliter subortus longè est, ut justam dissolutionis causam præstet, cum id iniquum censuerint Leges ipsæ Ci-
18 viles, quibus paterna authoritas erat ad Matrimonii validitatem necessaria, ut est *Text. in L. 19. ff. de rit. Nuptiar. L. Dissentientis Patris Cod. de sepud., L. Si ut proponis Cod. de Nupt.*, & multò magis iniquum sit ad tramites Sacr. Canonum, à quibus Parentes post præstitum Sponsalibus Filiorum consensum, postea dissentiri prohibentur, 19
ut est *Text. in Can. Si Parentes Caus. 31. quæst. 2.*, & benè notat *Carpzov. Jurispr. Eccles. lib. 2. tit. 3. defin. 59.* Imò adversus levitatem Parentum Filios in frangendæ Fidei proposito confoventium Censuras comminatur *Alex. III. in sæpecitato Cap. Ex literis il 2. de Sponsal.* 20

Cæteras, quas in anteacta propositione Vincentius Causas exposuit, ipsemet hodie utpotè ineptas referre consultò omisit, easque abundè rejecit præterita Decisio, quam DD. in reliquis confirmatam voluerunt.

Et ità collectis totius Aulæ suffragiis decisum fuit Utraque &c.

R. P. D. KAUNITZ

Viennen. prætensorum Sponsalium

Lunæ 12. Januar. 1705.

A R G U M E N T U M

In Sponsalibus conditionatis non potest alter ex Sponsis cogi ad contrahendum Matrimonium in facie Ecclesiæ, nisi purificatis conditionibus.

S U M M A R I U M

1 *Sponsalia sub conditione interventus consensus Parentum, aut assecutionis alicujus Officii, vel bonorum, evanescunt altera ex dictis conditionibus deficiente.*

2 *Conditio tendens ad faciliorem substentationem onerum Matrimonii dicitur licita, & illa non purificata, non oritur actio ad adimplementum.*

3 *Consensus Parentum non est necessarius ad validitatem Matrimonii.*

4 *Majores an. 25. contrahentes Matrimonium contra voluntatem Parentum peccant mortaliter.*

5 *Dissen-*

5 *Dissensus Patris, & ejusdem indignatio est causa sufficiens pro dissolutione Sponsalium.*

6 *Testi Sacerdoti, quamvis unico est plenè deferendum.*

7 *Testibus adminiculatis plena adhibetur fides.*

8 *Dilatio in contrahendis Sponsalibus illa non dissolvit.*

9 *Confessio non potest in una parte acceptari, & in altera rejici, sed in totum venit admittenda.*

10 *Recusans adimplere Sponsalia potest cogi ad adimplementum per Censuras Ecclesiasticas,*

11 *Limita, si exorta fuerint odia, & timeantur infelices exitus,*

12 *Præsertim si Sponsalia non sint jurata.*

13 *Acta prioris instantiæ non sunt necessaria, quando adhibitæ fuerunt omnes diligentiæ pro illis obtinendis, & Judex a quo renuit illa tradere.*

DECIS. V.

Alias decis. 77. inter impress. cor. eod.

Ad Vot. I. num. 205. & ad Vot. II. n. 27. & ad Vot. IV. num. 165. & ad Vot. V. num. 48. 60. & ad Vot. VI. n. 35. & ad Vot. VII. n. 108. & ad Vot. VIII. num. 41. & ad Vot. IX. sub num. 175. §. Hic etenim, & §. Durior.



Joannes Michael Hormayr prætendens intercessisse libera Sponsalia inter ipsum, & Annam Ursulam Gunteryn de Sternegg eam convenit usque de anno 1698. coram Officiali, ac Ven. Consistorio Viennen., a quo obtinuit eamdem condemnari ad adimplendum promissum Matrimonium in faciem Ecclesiæ. Provocavit a dicta Sententia, seu Decreto definitivo Anna Ursula ad Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Nuncium Viennen., qui revocando decretum Ordinarii declaravit supradictam Annam potuisse ducere Virum sibi benevisum. Non acquievit prædictæ Sententiæ Joannes Michael, undè impetravit a Sede Apostolica commissionem Appellationis directam Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Episcopo Passaviensi, cujus Officialis, seu Vicarius degens in Civitate Viennen., ad ejus favorem pronunciavit, infirmando Sententiam Nuncii, quare iterum appellavit Anna Ursula, ac delegata Causa nostro Tribunali exquisivi a DD. *An constaret de prætensis Sponsalibus, ita ut esset locus coactioni*, qui pro Anna Ursula informante responderunt.

Licet enim quoad primam partem resolutio potius inclinasset contra Annam Ursulam, quæ existentiam Sponsalium haudquaquam diffidebatur, nihilominus cum ostenderet illa fuisse contracta sub duplici conditione, quod videlicet accessisset consensus Parentum Puellæ, ac etiam quod Vir teneretur assequi infra annum honorificentius Officium ab Aula Cæsarea, quo commodius, ac majori decore potuisset sustinere onera Matrimonii; Prædicto tempore elapso absque Officii assecutione, ac Patre Puellæ acriter dissentiente Contractui talis Matrimonii, Sponsalia evanuisse judicandum est, ut loquendo de defectu primæ conditionis consensus Parentum est clarus *Textus in Cap. Super eo de Condit. apposit.* ibique *Barbos. num.* 1., *Covarruv. de Sponsal. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. *Sanchez de Matrim. disput.* 6. *a princip.*, *Ricc. in prax. part.* 4. *resol.* 412. *num.* 6., ac de alterius defectu pariter sancitur *in Cap. Sicuti* 22. *de Sponsal. Cap. De illis de conditionibus appositis*, *Henriquez in Summ. Theologic. lib.* 11. *de Matrim. cap.* 14. *num.* 1. *Aiman. de Condit. lib.* 4. *consil.* 1. *num.* 1. *Paris. conf.* 60. *num.* 5. *vol.* 4., *Caputaquen. decis.* 338. *num.* 3. *part.* 1. 1

Nec præmissa carent solida, ac evidenti ratione; Si enim loquimur de ultima conditione, cum illa sit satis honesta, & possibilis, ac etiam tenderet tam ad sustentationem onerum Matrimonii, quàm ad æquandam disparitatem divitiarum, & conditionis, quæ intercedebant inter Sponsum, ac Sponsam, ejus appositio qualificare debet promissionem, itaut ob non sequutam purificationem non possit oriri ulla actio ad adimplementum, 2

 Hen-

Henrich. Boich. in Cap. Si conditiones
sub num.., de Condit apposit., *Cujac.*
in Cap.1. & 3 eodem tit. Pirbing. in
nova methodo Jur. Can. lib.4. tit. 5.
§.2. *num.* 7. Si vero sermonem habea-
mus de altera Consensus Parentum,
nec minus est rationabilis effectus re-
solutivus, quàm parere debet caren-
tia verificationis prædictæ conditionis,
3 quia etsi enunciatus consensus non sit
necessarius ad validitatem Matrimonii,
sed solummodò requiratur de honesta-
te *Can. Sufficiat 17. quæst. 2. Cap. Tua*
de Sponsalib. & Matrim., *Cap. Cum*
Causa de Raptor., & novissimè etiam
decrevit *Concil. Trident. Sess.24. cap.1.*
de reformat. Matr. Gaill. practicar. ob-
servat. lib.2. cap. 93. n.3. cum tamen
Filius, vel Filia major 25. annis con-
4 trahentes Matrimonium contra placi-
tum Parentum PECCENT MORTALITER,
GRAVIQUE INJURIA PATREM AFFICIANT,
Cap. Non omnis 23. quæst. 2. Cap. Ho-
norantur 34. quæst.1. Cap. 1. de despons.
Impub. Hostiens. in Summ. de Clande-
stin. Matrim. num.1., *Paludan. in 4.*
distinct. 28. n. 10. Bellarmin. tom. 2.
lib.1. de Sacrament. Matrim. cap.19.,
Navar. in manual. cap.14. num.15. Na-
tal. de Alex. Theolog. dogmatic. lib.2.
de Matrim. artic.3. de consens. Parent.
proposit. 3. pag. 525. non potest quis
cogi ad nubendum contra reverentiam
debitam Patri, & INDUCI AD PECCA-
TUM LÆTHALE INOBEDIENTIÆ.

Quinimo tantæ est efficaciæ præ-
dictus dissensus, ut etiamsi Sponsalia
liberè, ac purè contracta fuissent, ni-
hilominus, superveniente indignatio-
ne, & dissensu Patris, qui gignere
potest privationem pinguioris portio-
nis hæreditariæ cum institutione in so-
la legitima, potest esse sufficiens cau-
5 sa pro illorum dissolutione, ac reces-
su *Abb. in Cap. Requisivit num. 4.*
de Sponsalib. Felln. cons. 26. num. 11.
Navarr. in Manual. cap.16. num. 16.
Pont. de Matrim. lib.12. cap.17. n.7.
& 8. Marc. Antonin. var. resol. lib.1.
resol.2. num.7. Spada cons. 152. n. 10.
part.2. Menoch. cons. 287. numer. 16.
Ricc. in prax. part. 4. resol. 416. per
tot. Rota dec.1258. num. 1. coram Se-
raphin. & dec.96. num. 5. cor. Pam-
phil., *& dec. 19. num. 56. part. 10.*
recent., *& decis.761. num. 7. coram*
Cerro.

Evidenter autem doctum fuit de
appositione prædictarum conditionum,
cum respectu reservationis consensus
Paterni deponat tum P. Elias Capuc-
cinus, tum etiam deprehendatur ex
Epistola Joannis Michaelis, in qua de-
sperato consensu Patris, hortabatur
Puellam, ut illum deciperet, insinuan-
do, se jam fuisse desponsatam in scri-
ptis, & Annulo; Unde stante dicto
adminiculo, ac qualitate Sacerdotali
Testis est illi plene deferendum, etiam 6
si sit unicus *Gloss. in Canon. Monachus*
verb. Quorum 77. distinct., *Aymon.*
cons.267. num.1., et 2. Rot. dec. 266.
num.7. coram Cels. In ordine vero ad
alteram conditionem assecurationis Of-
ficii magis honorifici, de ea deponunt
duo Testes, & resultat ex confessione
Joannis Michaelis in eadem Epistola,
in qua enarrabat expetitionem Puellæ
in Uxorem suo nomine factam Patri
cum expressione, quod in eodem sta-
tu, talisque permansurus non fuisset;
quibus proinde Testibus, concurren-
tibus præsertim adminiculis, plena est 7
adhibenda fides, *Leg. Ob Carmen. §.*
fin. ff. de Testib. Cap. In nostra eodem
tit., *Ruin. cons.35. sub num.16. lib.4.*
Capyc. Latr. decis.12. num.14., et 16.
Rot. decis.148. num.45. coram Bich.,
et dec.497. n.23. part.19. recent.

Nec obstitisset, quatenus fuisset
oppositum, prædictos Testes non de-
posuisse, nisi de auditu ab eadem Ur-
sula, quia, preterquamquod reci-
piunt adminiculum a confessione Viri
in præfata Epistola, & dilatio ultra
annum in contrahendo Matrimonium
inter Sponsos, qui sese invicem de-
peribant, & inter quos nullum inter-
cedebat canonicum impedimentum,
nil aliud portendit, quam expectatio-
nem opportunitatis consensus Paterni, 8
ac adimplementum alterius conditio-
nis, ut considerat *Spada cons. 152.*
post num.8. part. 2. adhuc tamen cum
versemur in Sponsalibus contractis
absque præsentia Testium, & jura-
mento, & solum desumptis a confes-
sione Puellæ, dum hæc præsefert ap-
positionem prædictarum conditionum,
quæ potius habent pro se Juris præ-
sumptio-

ſumptionem, quam reſiſtentiam, ſtante ut riuſque permiſſione a Jure inducta,
9 ut ſupra probatum eſt, prædicta confeſſio non poteſt in parte ſcindi & rejici cum acceptatione ſolius partis favorabilis, ſed in totum venit admittenda cum conditionibus adjectis, ut generaliter firmant *Bartol. in l. Aurelius §. Idem ff. de liber. legat., Bald. in l. unic. Cod. de Confeſ. num. 20. Abb. in Cap. Cum veniſſent num. 7., & 12. de inſtit. & in Cap. Bonæ fidei il 2. num. 31. de poſtulat. Prælat. Alex. conſ.*80. *& 99. num. 2. vol.7. Gaill. de pac. publ. num. 1. 2. & 3. Surd. deciſ. 258. num. 6. Rot. deciſ. 204. num. 1. coram Seraphin.* & in præciſis terminis caſus noſtri *Gobat. Theol. experiment. tractato 10. caſ. 4. numer. 183. Ferrett. conſ.74. num.4. part.2. Uulames conſ. 258. n.12. tom.2.*

Et quamvis per malam hypotheſim hæc omnia corruerent, fomentum etiam præbuit Deciſioni diuturnæ litis exardeſcentia uſque ad tertiam inſtantiam, cum etiam ejus occaſione oborta fuerint inter Sponſos, & eorum
10 Parentes odia, ac ſimultates, eò minus videtur eſſe locum coactioni, cum illam quidem præcipiant Jura noſtra in *Cap. Ex litteris de Sponſal. Cap. De illis §. Mulier de deſponſat. Impub.*, nihilominus talis coactio non debet eſſe præciſa, & finalis, ſed moderata, itaut ſi Judex animadvertat infelices exitus, quos, ut plurimum, coactæ Nuptiæ parere ſolent, ut majus evitetur malum, debet potius permitte-
11 re, ut renuens, & obduratus in ſervanda fide alteri nubat *Cap. Requiſivit de Sponſal. Ludovic. Bell. conſ.*32. *numer.*11. *Gabriel. conſ.*186. *num.*7. *& ſeq. lib.*2. *Rot. deciſ.*368. *num.*2. *cor. Cavaler. et deciſ.*374. *num.*7. *cor. Celſ.* præcipuè quando res eſt in Sponſalibus non juratis, in quibus mitius agitur
12 quoad coactionem *Abb. in Cap. Requiſivit num.*6. *et in Cop. Ex litteris in fin. de Sponſal. Præpoſit. in d. Cap. ſignificavit ante num.*3. *Rot. cor. Cavaler. deciſ.*147. *num.*7. *et deciſ.*468. *numero* 3. *cor. Dunozz. Jun. dec.* 796. *num.*12. *et dec.*19. *num.*3. *par.* 10. *rec.*

Defectus vero actorum tertiæ inſtantiæ haud valuit retrahere DD. quin manus appoſuerint in capienda reſolutione, quandoquidem cum Anna Urſula adhibuerit omnes diligentias pro illis obtinendis etiam cum præſentatione Compulſoriæ Rotalis, bene 13
potuit procedi juxta tramites Juris ad terminationem Cauſæ d. defectu non obſtante *Innoc. in Cap. G. perpetuus* & ibidem *Fagnan. num.* 13. *de fid. Inſtrum. Conc. Trident. Seſſ.*23. *de reformat. cap.*3. *Rot. deciſ.*405. *num.* 5. *et* 6. *cor. Buratt et in Viennen. Matrimonii* 25. *Junii* 1703. *coram R.P.D. meo Scotto.*

Et ita per Contradictas.

R. P. D. MOLINES

Comen. Sponſalium

Mercurii 10. *Junii* 1705.

ARGUMENTUM

Ex quibus cauſis, etiamſi conſtet de Sponſalibus, non debet cogi alter ex Sponſis ad Matrimonium contrahendum.

SUMMARIUM

1 *Sponſalia juſta impellente cauſa poſſunt diſſolvi, et Judex deſiſtere debet a coactione Matrimonii.*

2 *Cauſa ſufficiens recedendi a Sponſalibus eſt diſſenſus Patris cum timore exhæreditationis per Patrem comminatæ.*

3 *Rurſus cauſa ſufficiens eſt litis continuatio, quæ exacerbationes, et odium inducit, ob quod timeri poteſt Matrimonium potius malum, quam bonum exitum ſortiri debere.*

4 *Quando agitur de Sponſalibus nullo Juramento firmatis, ad illorum diſſolutionem facilius devenitur, et ſufficit etiam qualibet leviſſima cauſa.*

DE-

DECIS. VI.

Alias dec.979. inter impress. cor. eod. tom.4.

Ad Vot.I. num.205. & ad Vot.III. sub n.48. 140. 5. Ulterius, & ad Vot. IV. n.165. & ad Vot. V. n.48. & seq. & n. 51. 60. & ad Vot.VI. n.32. 35. 71. & ad Vot.VII. n.97. 99. 110. & ad Vot.VIII. n.41.



X pluribus Epistolis, quibus mutuus consovebatur amor exardescens inter Erasmum, & Martam Mariam, prætendente Erasmo orta fuisse Sponsalia coactiva Matrimonii, prævio assucto Monitorio ad instantiam Martæ Mariæ expedito super non existentia Sponsalium, vocatus fuit in judicium coram Vicario Generali Comen., qui decrevit Erasmum non teneri ad probationem Sponsalium, ex quo illa justificata remanerent ex judiciali confessione ab eadem Marta Maria In Monitorio emissa; Verum devoluta per appellationem Causa ad Reverendissimum Helveticorum Nuncium, hic per Sententiam declaravit non adesse Sponsalia, nec constare de aliqua promissione Martæ Mariæ super Matrimonio contrahendo cum præfato Erasmo, quæ sententia ob non interpositam tempore debito appellationem in judicatum transivit; Quapropter delata controversia per successivam instantiam ad nostrum Tribunal hodie Dominis meis disceptandum proposui Dubium = *An constaret de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum*? & responsum habui = *Constare de re judicata juxta modum*, quia licet eorum suffragia non essent concordia quoad Sponsalia, convenerunt tamen in eo, quod etiamsi constaret de prædictis Sponsalibus, adhuc non deberet in præsenti casu cogi Puella ad Matrimonium ineundum.

Ratio sic decidendi subnixa fuit Juris conclusioni apud omnes Canonistas communiter receptæ, quod Sponsalia, quamvis per reciprocam promissionem in suo esse perfectam inducta sint, aliqua tamen justa impellente causa possunt dissolvi, & Judex a coactione Matrimonii desistere debet, 1 ut juxta monitum Summorum Pontificum *Alexandri III.*, *et Lucii III. in Cap. Ex literis il 2. Cap. Requisivit de Sponsalibus*, unanimiter advertunt Doctores, & signanter *Gobb. cons.166. lib.1. num. 2. Marc. Antonin. var. resolut. resol. 2. sub num. 3. vers. Tamen quando*, *Fontanell. de pact. nuptial. claus.12. glos. unic.n.6. Rot. cor. Seraphin. dec.1112. n.4. coram Burat. dec.311. num.2. & seqq.*, *in recent. decis.207.n.9. par.1. & dec. 19. n.2. & seqq. par.10.*

Hanc autem justam, & rationabilem causam recedendi a Sponsalibus quatenus in præsenti adfuissent, desumpserunt DD. ex expressa repugnantia Julii Patris Martæ Mariæ, qui judicialiter protestatus est se nunquam præstitisse consensum, nec in futurum præstare velle Nuptiis ab Erasmo contrahendis cum Marta Maria ejus Filia, comminando ulterius eamdem Martam 2 Mariam Filiam de eam exhæredando, & in sola legitima instituendo, quatenus suum consensum pro ineundo prædicto Matrimonio præstaret; Qui quidem timor exhæredationis per Patrem comminatæ sufficiens reputatur causa dissolvendi Sponsalia per Filiam contracta absque ipsius Patris consensu ex uno ore congestis per *Abb. in Cap.Requisivit num.4. de Sponsal. Menoch. cons. 287. num. 16. Spada cons. 152. n. 10. par.2. Navarr. in Manual. cap.16.num.16. Ricc.in prax.for.Eccles. par.4. resolut.416. per tot. Guttierez quæst. Canonic. lib.1. cap. 20. num.17. Card. de Luc.de Matrim. disc.3. n.11. 16. et 17. Rot. dec.1112.num.4. et dec. 1238.num.1. coram Seraphin. dec.517. num.5. et seqq. coram Penn. dec. 412. num.6. cor. Buratt. dec.19. n. 56. par. 10. rec. et in Viennen. prætensorum Sponsalium 12.Januar. currentis Anni §.Quinimo cor.R.P.D. meoKaunitz.*

Concurrente præsertim diuturna litis continuatione usque ad tertiam instantiam, quæ sicuti animorum exacerbationem inducit, ita justam præbet causam dissolvendi Sponsalia, quando enim ex odio præcedenter nato inter ipsos Sponsos, eorumque Con- 3

san-

sanguineos probabiliter timeri potest, quod subsequens coactum Matrimonium potius malum, & infelicem, quam bonum exitum fortiri debeat, etiamsi re vera præcesserint Sponsalia, pia Mater Ecclesia, ut majus evitetur malum, se abstinere solet a coa-
3 ctione, & Sponsis primævam libertatem restituere, ut alias ponderavit *Rot.* & signanter *cor. Coccin. dec.* 437. *num.* 4. *et* 7. *et dec.* 889. *n.* 5. *et* 9. *cor. Cels. dec.* 374. *n.* 11. *in recen. dec.* 19. *n.* 56. *par.* 10. *et dec.* 249. *n.* 13. *par.* 14. *in Cadicen. Sponsalium* 21. *Apr.* 1694. *§. fin. cor. bon. mem. Ursino*, *in Lunen. Sarzanen. Sponsalium* 28. *Junii ejusdem anni §. Cæterum cor. bo. mem. Pio*, *et in d. Viennen. prætensorum Sponsalium* 12. *Januar. currentis anni §. Et quamvis cor. R.P.D. meo Kaunitz.*

Præmissaque eo fortius procedere posse visum fuit DD., ex quo agatur de Sponsalibus nullo juramento communitis, in quibus terminis eò facilius Ecclesia se abstinet a coactione, & ad dissolutionem Sponsalium qualibet etiam levissima causa sufficiens repu-
4 tatur, quemadmodum, cæteris allegatis, comprobarunt *Abb. in d. Cap. Requisivit n.* 6. *de Sponsal. Gabriel. cons.* 186. *num.* 6. *tom.* 2. *Adden. ad Pamphil. dec.* 96. *n.* 10. *vers. Eò fortius Rot. cor. Seraphin. dec.* 1258. *n.* 2. *cor. Dunozzet. Jun. dec.* 296. *n.* 12. *in rec. dec.* 19. *n.* 42. *et* 43. *par* 10. *et dec.* 185. *n.* 5. *par.* 14. & prosequitur *Rot. in d. Viennen. prætensorum Sponsalium* 12. *Januar. currentis anni d §. Et quamvis cor. R.P.D. meo Kaunitz.*

Et ita &c. Utraque &c.

R. P. D. CAPRARA

Tuden. Sponsalium.

Lunæ 21. *Martii* 1746.

ARGUMENTUM

Sponsalia perfecta non dicuntur, nisi promissioni unius Sponsi accedat repromissio alterius. Filius ob acerrimam Patris indignationem recedere potest à Sponsalibus per ipsum initis. Pœnale pactum appositum in Apoca Sponsalium nullius est roboris.

SUMMARIUM

1 *Acti species.*
2 *Sponsalia concludenter probari debent.*
3 *Sponsalia perfectè sunt inita, si interveniat promissio unius Sponsi, & repromissio alterius.*
4 *Sola promissio Sponsi non sufficit, nisi accedat Sponsæ repromissio.*
5 *Non dicuntur inita Sponsalia, si tantum emissa fuit promissio de desponsando.*
6 *Pactum pœnale in Sponsalibus nullius est roboris*, & n. 11.
7 *In contrahendis Nuptiis libera debet esse potestas.*
8 *Conventiones libertati Matrimonii, & sic bonis moribus contrariæ in Sponsalibus stipulatæ utroque Jure damnantur.*
9 *Agenti ad solutionem pænæ in Sponsalibus conventæ semper obstat exceptio doli mali*, & seq.
12 *Acerrima Patris indignatio est justa, & rationabilis causa, cur Filius a Sponsalibus initis resilire potest, sicuti Natalium disparitas.*
13 *Multo magis si Sponsalia fuerint imperfecta, & cum pæna conventionali conjuncta.*

DECIS. VII.

Ad Vot. I. num. 205. & ad Vot. II. sub n. 141. §. Et non solum, & ad Vot. V. n. 7. & ad Vot. VI. n. 42. 135.



RETENDENS Josepha Pardo, ipsam inter, & nobilem Adolescentem Antonium Bernardum Mosquera contracta 1
fuisse Sponsalia virtute Singraphæ ab eodem Antonio exaratæ, judicialiter illius exequutionem postulavit coram Ordinario Tuden., per quem etsi præfatus Antonius fuerit a contrahendis Nuptiis absolutus, quia tamen prædicta Singrapha hoc amplius continebat, ut si Antonius datam fidem fefellisset, luere deberet pœnam

nam in ære, persolvendo ducat.3000. ad hujusce ideò pœnæ solutionem per dictum Judicem fuit condemnatus. Interposita verò utrimque Appellatione, eaque mihi directa, proposui in hodierna audientia dubium = *An constet de Sponsalibus, itaùt sit exequenda Apoca, & quomodo in casu &c.* = Quod pro Antonio Bernardo dumtaxat informante fuit resolutum, videlicet = *Negativè in omnibus* =

Exordiendo siquidem à prima recitati Dubii parte, negativæ illius resolutioni ineluctabile fundamentum præstitit defectus concludentis probationis initorum Sponsalium omninò
2 necessariæ juxtà *Text. in Cap.1. de Clandestin. desponsat. Gloss. in Cap. Mulier 34. verb. Absoluto de Jur. Jurand, Rota dec.682.num.1.coram Lancett.*; Et sanè Sponsalia, quæ tùm demùm perfectè inita dicuntur, quotiescumque ad liquidum constat de futurarum Nuptiarum repromissione
3 mutuo, ac reciproco Contrahentium consensu firmata, ut ad *Text. in leg. 1., & 2. ff. de Sponsal.* firmant *Card. de Luc. de Matrim. disc. 8. num. 4. Rot. dec.6. num.1., & 2. tit. de Sponsal., & Matrim. coram Falconer.*, & aliis abundè cumulatis *in dec. 572. num.1., & 3. coram Reverendissimo Crispa*; In præsenti specie nequaquam probata dici poterant, tùm quia Apoca per Antonium dumtaxat obsignata, destituta apparebat mutua repromissione Josephæ, qua non con-
4 currente, sola promissio Antonii non sufficit, ut advertunt *Sanch. de Matrim. lib.1. disput.5. num.5. Card. de Luc. de Matrim. citat. disc.8. dicto numero 4. Rot. dec. 374. num. 3. coram Cels. dec. 195. numera 7., et duobus seqq. coram Emerix Jun., et dec.682. n.4. coram Lancetta.*

Tum; & fortius quia introspecta prædicta Singrapha ab Antonio tantum subscripta, ex ea nec etiam erui poterat fides data per eumdem Antonium ineundi Matrimonium, proptereà quod litera, & spiritus dictæ Scripturæ nil aliud præseferunt, nisi nudam voluntatem contrahendi in futurum Sponsalia, id quod cum simplex propositum, simplicemque præambulæ voluntatis significationem demonstret, elevari utique non poterat ad evincendam perfectionem actus numeris omnibus absoluti, proùt omninò requiritur, quippè quia promissio 5
de desponsando, & ipsa Sponsalia sunt inter se prorsus diversa per ea, quę appositè advertunt *Spad. cons. 152. num. 1., & seq. tom.2. Pont. de Matrim. lib.2. tit. de Sponsal. cap.2. n.2. Rot. decis.195. num.5. coram Emerix Jun., & decis. 8. num. 3. ad ornat. Card. de Luc. tom. 2. lib. 14., & in Surrentina Sponsalium 8. Febr. 1734. §. Testes enim cor. bo. me. Harrach.*

Hæc quoad primam dubii partem; Quo verò ad secundam respicientem exequutionem conventionis in Apoca contentæ, qua mediante Antonius se soluturum spopondit duc. 3000. si promissa non impleret, æquè plana, & facilis visa est negativa resolutio. Quandoquidem ejusmodi stipulatio reipsa continens Pactum pœnale, in subjecta 6
materia viribus subsistere nequit. Cum enim in contrahendis Nuptiis libera debeat esse potestas, ut ait *Text. in leg. Mulier.5. in fin. Cod. de Sponsal.*, hujus 7
proptereà generis Conventiones, utpotè libertati Matrimonii, & sic bonis moribus contrariæ, utroque Jure damnantur, & irritantur, ne Matri- 8
monia, vel Sponsalia formidine impositæ pœnæ contrahi contingat, ut respondit *Paulus in leg. Titia 134. ff. de verb. obligat.* = ibi = *Quia inhonestum visum est vinculo pœnæ Matrimonia obstringi, sivè futura, sivè jam contracta* = Undè Agenti ad solutionem pœnæ hujusmodi ex stipulatu ob fidem non servatam, semper obstabit exceptio doli mali juxta *Text. in d. leg. Titia, & in leg. Mulier.5. in fin. Cod. de Sponsal., & in leg. Neque 15. Cod. de Nuptiis, et in leg. libera 2. Cod. de Inutil. stipul.* 9

Idemque severè decernitur per Jus Canonicum, ut patet ex *Cap. Gemma 29. de Sponsal.*, ubi *Gregorius IX.* ità concludit = *Cum itaque libera Matrimonia esse debeant, & ideò talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit meritò improbanda* = ibique *Gloss. verb. Libera*, & communiter Canonistæ, & signanter *Abb. Panormitan. n.1., & seqq.* 10

& seqq. Gonzal.num.2. , & à num.4. usque ad fin. Barbos.num.1. , & seqq. Cujac.in hoc Cap. , & in citat.leg.Titia Pirbing.in Jus Canonicum tom.4. tit.1. sect. 1. de Sponsal. §.4. num. 22. Sanch. de Matrim. lib.1. disput.3.n.2. Rot. coram Bich. decis.89. num.8., & cor. Priol. decis.198. num.10. , & in recent. decis.493.num.1.part.4.tom.2., & decis.142. num.7. & 8.part.15.; Si igitur pœna inutiliter propter illius improbitatem apposita dignoscitur in
11 Apoca , de qua agitur , ambigendum utiquè non erat , quin Antonius immunis ab ejus solutione esset reputandus.

Cæterùm ad exuberantiam justa, & rationabilis accedebat causa, propter quam Antonius à contrahendis Nuptiis, seù verius Sponsalibus cum Josepha resilire cogebatur , acerrima nempè Patris sui indignatio ab hisce Nuptiis longè disparibus ratione Nobilitatis ,& divitiarum , quibus ipsius Domus præfulget, dissentientis . Si
12 enim causa hujusmodi apta esse posset præbere eidem Antonio justam excusationem resiliendi à Sponsalibus utcumque perfectis ab tradita *per Piton. discept. Eccles.42. num.76. ad 81. Rot. dec.979. num.2.cor. Molin. , & dec.77. n.5. cor. Kaunitz* ; omni penitùs difficultate exulante , aptissima reputanda erat ad effectum facilius denegandi exequutionem sæpedictæ Apocæ præseferentis juxtà superius firmata non quidem perfectum contractum ineundi Matrimonium, sed dumtaxat nudam voluntatem , & simplex
13 propositum Antonii contrahendi Sponsalia in futurum , & continentis pœnam per utriusque Juris censuram improbatam , ut ad rem ratiocinatur *Rot. in Majoricen. Sponsalium 25. Novembris 1735. §. finali cor. Emo D. Card. Crescentio*.

Et ità Antonio Bernardo tantum informante; Josepha verò, etsi pluries monita, Jura sua deducere negligente fuit resolutum.

EMINENTISSIMO CAPRARA

Tuden. Sponsalium

Lunæ 20. Junii 1746.

Confirmatoria præcedentis

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decisione

SUMMARIUM

1 *Rota stetit in decisis.*

2 *Sponsalia probari debent per liquidam demonstrationem repromissionis futurarum Nuptiarum mutuo Contrahentium consensu firmatæ.*

3 *Verbum* = volo = *cum subsequentibus verbis* = in meam Sponsam = *nullam præsefert de præsenti dispositionem , sed actum disponendi confert ad tempus futurum.*

4 *Tempus futurum non trahitur ad præsens.*

5 *Actus in futurum tempus indeterminatè collatus dici nequit de præsenti perfectè conclusus.*

6 *Longa intercedit differentia inter promissionem futurorum Sponsalium , & ipsa Sponsalia.*

7 *Posito perfecto Sponsalium contractu , non potest alter ex Sponsis mutare statum.*

8 *Si alter ex Sponsis in ineundis Sponsalibus sibi reservet libertatem assumendi statum Cœlibem , non censetur contrahere velle Sponsalia de præsenti , sed patefacere velle nudam suam voluntatem de futuro.*

9 *Verbum* = volo = *denotat actus perfectionem , quando profertur ad interrogationem alterius , vel quando ex circumstantiis apparet fuisse prolatum animo determinato gerendi actum perfectum de præsenti.*

10 *Secus quando prolatum apparet ad patefaciendum simplex propositum, & desiderium contrahendi Sponsalia.*

11 *Ad quem propositum subsequentes actus referri debent.*

12 *Sponsalia contracta dici non pos-*

 sunt

sunt, si non adsit mutuus utriusque Contrahentis consensus.

13 *Argumenta, & Conjecturæ, quæ præseferunt repromissionem præsumptam, inepta sunt ad suadendam ipsam repromissionem.*

14 *Quando tamen alter Sponsus, de cujus repromissione concludenter non constat, remanere potest in sua plena libera voluntate.*

15 *Sponsalia non dubiam, & æquivocam, sed concludentem probationem requirunt.*

16 *Concludens probatio est necessaria in Causa status adimente nativam Hominum libertatem.*

17 *Frustra agit Sponsus ad Sponsalia, quorum Contractum non probat.*

18 *Conventiones in contractu Sponsalium stipulatæ libertati Matrimonii contrariæ damnantur, ac doli mali exceptione refelluntur in utroque Jure.*

19 *Pœna sub conditione promissa non debetur nisi adveniente conditione.*

20 *Conventiones in Sponsalibus stipulatæ, quatenus Sponsalia non adimpleantur, nullæ sunt, sive nomine pœnæ, sive nomine Dotis fuerint distinctæ*, & n.22.

21 *Ratione impedimenti, quod præstant libertati Matrimonii, quæ semper est eadem.*

22 *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

23 *Ubi militat eadem ratio, ibi idem Jus, & lex est statuenda.*

DECIS. VIII.

Ad Vot.VI. num.153. 158.



NULLUM intercessisseSponsalium Contractum inter Antonium Bernardum Mosquera, & Josepham Pardo, minùsque locum esse solutioni pœnæ ducatorum 3000., cui Antonius in quadam Singrapha per ipsum obsignata se subjecerat, si datam fefellisset fidem, respondit Sacrum Tribunal, Josepha Jura sua deducere negligente, *sub die 21. Martii proximè præteriti* ex rationum momentis in *Decisione* per me sub die dicta evulgata expositis, quæ etsi in hodierna Audientia eadem Josepha magna virium contentione evertere fuerit adnisa, in irritum tamen cessere conatus omnes, propterea quod Domini steterunt *in decisis*. 1

Iterùm namque deficere visa est concludens probatio Sponsalium non aliter adstruenda, nisi per liquidam demonstrationem repromissionis futurarum Nuptiarum mutuò Contrahentium consensu firmatæ, ex Juribus, & Doctrinis *in mea Decisione cumulatis* §. 2. Hic autem deficit voluntas Antonii contrahendi Sponsalia de præsenti cum Josepha, & quatenùs voluntas hujusmodi, de qua cæteroquin non constat, supponeretur, deficit quoque mutua repromissio Josephæ, qua seposita, frustrà utique proponitur Contractus Sponsalium. 2

Sanè verò deficit certa, & determinata voluntas Antonii contrahendi Sponsalia *de præsenti* cum Josepha, quia iterùm perspectis littera, & spiritu Singraphæ per ipsum subscriptæ, ex ea nil aliud emergebat nisi nuda voluntas, simplexque propositum contrahendi *in futurum Sponsalia* cum Josepha ab Antonio in hæc verba explicatum = *Volo in meam Sponsam Donnam Josepham Pardo* = Verbum enim illud *volo* in his, quæ, prout in casu, pendent à sola voluntate loquentis, non executionem, sed initium actus præsefert, nullamque dispositionem de præsenti, sed disponendi actum ad tempus futurum confert, juxtà communiorem Sententiam, de qua *Bonaccin.tit.de Sponsal. quæst. prima punct. primo num.3.tom.primo*, *Panimoll. decis.* 23. *num.* 6. latè *Rot. decis.* 121. *num.* 7. *ad* 11. *part. prima divers.*, & *decis.*9. *sub num.*2. *versic. Non quidem*, & *num.*3. *lib.*14. *tom.*2. *ad ornat. Card. de Luc.* Quamobrem ex præambula nudæ voluntatis significatione tempus futurum respicientis, & unicè perAntonium directæ ad accipiendam Josepham *in Sponsam*, & sic *ad Sponsalia*, arguere non licebat ad actus perfectionem de tempore præsenti; Nàm tempus futurum non trahitur 3

bitur

4 bitur ad præsens, quià de præsenti verificari non potest, *Rot. decis.* 4.4. *num.*2. *coram Coccin.* Unde actus in futurum tempus indeterminatè collatus dici utique nequit de præsenti
5 perfectè conclusus *Torr. variar. Jur. quæst. tit.* 12. *quæst.*41. *sub num.* 47. *versic.Similitèr* , *& num.*48. , *Rot. citat. decis.*414.*dicto num.*3.*coram Coccin.* Si ergò Antonius in Singrapha patefecit voluntatem contrahendi in futurum Sponsalia cum Josepha, affirmari profectò non potest , quod cum Josepha Sponsalia de præsenti inire intellexerit , propterea quod longa intercedit differentia inter promissionem futurorum Sponsalium , & ipsa
6 Sponsalia , ut individualiter firmat *Rot. decis.*195. *n.*5. *coram Emerix*, *& dec.*682. *num.*9. *cor. Lancett.* , cum aliis cumulatis *in Decisione* , quæ revidetur § 3.

Eoque certiùs , quia Antonius in una, eademque Singrapha sibi præservavit libertatem assumendi Statum Ecclesiasticum , quæ sane libertas pugnat de directo cum perfectione Contractus Sponsalium de præsenti ; Sicuti enim posito perfectoSponsalium Con-
7 tractu , datum non fuisset Antonio ex tunc mutare statum , *Rot. decis.* 682. *num. primo coram Lancett.* ità ex præservatione dictæ libertatis dicendum est Antonium non intellexisse contrahere Sponsalia de præsenti , sed unicè patefacere voluisse nudam voluntatem illa contrahendi de futu-
8 ro , ut appositè ratiocinatur *Ursaya discept. Eccles. tom.*2. *par. prima* , *discept.*12. *num.*8.

Atque hinc frustrà Scribens pro Josepha suadere adnitebatur, quod in præsenti facti specie per verbum illud *volo* dici debeat inductus Contractus Sponsalium de præsenti perfectus ; Nàm tunc demùm verbum *volo* actus perfectionem de præsenti denotat , vel quando profertur ad interrogationem alterius, vel quando facti circumstantiæ suadent illud fuisse prolatum
9 animo determinato gerendi actum perfectum de præsenti , ut explicant *Sanchez de Matrim. lib. primo disput.*18. *num.*25. *&* 26.*Rot. dec.*121. *num.*23.*part. prima diversor.* , *& decis.*713. *num. primo* , *&* 2. Secùs autem quando , prout in themate , prolatum apparet ad patefaciendum simplex propositum , & desiderium contrahendi Sponsalia , & nedùm nullum concurrit argumentum aptum suadere determinatam voluntatem Proferentis contrahendi Sponsalia de præsenti , sed argumenta militant pro significatione nudæ voluntatis , simpli- 10
cisque propositi ineundi Sponsalia de futuro; Quibus in terminis nihil prorsùs per verbum *volo* censetur de præsenti dispositum juxta sententiam communiori calamo receptam , superiùsque firmatam .

In nihilum proficientibus nonnullis Epistolis amatoriis per Antonium ad Josepham datis , in quibus cum datam fidem se soluturum jactaverit , arguebatur ideò Antonium agnovisse se obstrictum vinculo Sponsalium de præsenti initorum cum Josepha virtute Singraphę per ipsum Antonium obsignatæ : Quoniàm si , ut vidimus , Singrapha nil aliud præsefert nisi nudam voluntatem contrahendi Sponsalia de futuro,profectò quidquid se impleturum dixit Antonius in dictis Epistolis , alitèr intelligi nequit , nisi ad terminos nudæ voluntatis , & simplicis propositi in Singra- 11
pha præcedenter explicati , ad quam subsequentes actus habent relationem, *Rot. dec.* 592. *num.* 10. *& dec.* 1320. *num.*8. *cor. Lancett.*

Verùm enim verò etiamsi supponeretur , quod Antonius virtute Singraphæ per ipsum obsignatæ contrahere intellexisset Sponsalia de præsenti cum Josepha , adhùc promissio ejusmodi utpotè destituta mutua repromissione Josephæ , nihil prorsùs conferret ad initorum Sponsalium probationem , nàm Sponsalia Contracta dici non possunt non concurrente 12
mutuo alterutrius Contrahentis consensu , ut firmat *Decisio* , quæ revidetur §.2. *circa fin.*

Absque eo quod repromissio Josephæ desumi possit ex argumentis, & conjecturis erutis vel ex eo , quod Antonius sæpedictam Singrapham per ipsum subsignatam eidem Josephæ tradiderit , vel ex dictis Epistolis ama-

amatoriis per Josepham cautè asservatis, in quibus Antonius datam fidem se soluturum spopondit, vel ex restitutione dictæ Singraphæ instantissimè per Antonium à Josepha petita, sed non obtenta, ejusmodi namque argumenta, quæ nil aliud præseferunt nisi
13 repromissionem præsumptam, inepta reputata fuere in casu, de quo agitur, ad suadendum, quod Josepha mutua repromissione Sponsalia pernecessè firmaverit. Cùm enim verba Singraphæ per Antonium obsignatæ ipsiusAntonii promissionem dumtaxat respiciant, consequitur indè, quod cum Josepha potuerit in plena libertate manere, & Singraphæ traditionem acceptare, illiusque restitutionem denegare, Epistolasque cautè asservare, ut Antonius in eo, quod respiciebat ipsius Josephæ favorem, eidem Josephæ maneret obstrictus, jam patet,
14 quod non per hoc tutò affirmari possit ad liquidum constare de mutua repromissione Josephæ Contractui Sponsalium accomodata. Id quod sufficit ne Sponsalia perfecta ex mutuo utriusque Partis consensu reputari possint per ea, quæ observant *Cardinalis de Luca de Matrim. discurs.* 8. *num.* 4., *&* 5., & consentaneè ad receptissimam DD., & Sacræ Rotæ sententiam latè firmat *Ursaya discept. Eccles. tom.*7. *part. prima*, *discept.*17. *per*
15 *tot.*, & præcipuè *n.*25. Sponsalia enim non dubiam, & æquivocam, sed probationem requirunt concludentem omninò necessariam in Causa status adimente nativam hominum liberta-
16 tem, ex firmatis per *Sanchez de Matrim. lib. primo disput.*5. *num.*5., *& disput.*18. *num.*4. *in fin.*, *Ursaya discept.*18. *num.*29., *& seqq. tom. primo part. prima*, *& discept.*17. *n.*13., *&* 14., *& num.*44. *tom.*7. *part. prima*, *Panimoll. dec.*23. *n.*3., *Rot. decis.*374. *coram Cels.*, *& dec.*682. *coram Lancetta*, utrobique *num. primo*.

Exclusa itaque ex his necessaria probatione Sponsalium, de quibus non liquet, supervacaneum erat inquirere de causis resiliendi ab eis; Similitèr Sponsalium Contractu non probato, locus haud esse poterat coa-
17 ctioni Antonii, pro qua frustrà instabat Josepha ex firmatis per *Rot. dec.* 374. *num.* 2. *coram Cels.*, minusque Antonius adjici poterat ad solutionem pœnæ ducatorum 3000. in Singrapha adjectæ, si ipse datam fidem fefellisset; Quia conventiones hujusmodi libertati Matrimonii adversantes, damnantur, & irritantur, ac doli mali exceptione refelluntur, 18
tùm in Jure Civili *in leg. Titia* 134. *ff. de verbor. obligat.*, tùm in Jure Canonico *in Cap. Gemma* 29. *de Sponsal.*, ut latiùs demonstrat *Decis.*, *quæ revidetur* §.4., *&* 5.

Replicatione non attenta, quod sponsio ducatorum 3000. non quidem nomine pœnæ, sed titulo Dotis fuerit per Antonium emissa. Ultra quod enim unus Dominorum advertebat, quod Antonius ducat. 3000. se soluturum spopondit, si datam fidem fregisset, & sic nomine pœnæ, solùmque addidit = *Et quatenus Statum Ecclesiasticum assumere vellem, eidem Puellæ dari debeat dos* = Undè inferebat, quod si Antonius Statum Eccle- 19
siasticum nondùm assumpsit, extranea erat ex hoc capite Dotis petitio *leg. Cedere diem ff. de verbor. significat.* Urgebat præterea, quod *Textus Civiles*, *& Canonici*, *& DD. omnes* in Decisione, quæ revidetur, allegati, 20
non respiciunt ad titulum, sub quo solutio conventa fuerit, sed unicè hasce conventiones improbant ratione impedimenti, quod præstant libertati Matrimonii; Undè cum ratio sem- 21
per sit eadem, distinctio inter sponsionem pœnæ in genere, & ejusdem pœnæ promissionem nomine Dotis ni- 22
hil utique concludit; Nàm ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ad *Text. in leg. Non distinguemus ff. de recept. arbitr.*, *Rot. dec.*165. *n.*6. *coram Ansald.*, *dec.*777. *num.*40., *&* 41. *coram Molin.*, immò cum rationis identitas utrique casui adamussim conveniat, idem Jus, ea- 23
demque lex in utroque casu est utique statuenda ex vulgatis juribus, de quibus *Rot. decis.*690. *num.* 8. *coram Molin.*

Et ita &c. Utraque &c.

EMI-

EMINENTISS. ELEPHANTUTIO

Constantien. Sponsalium.

Mercur. 26. Junii 1748.

ARGUMENTUM

Sponsa habet justam, & rationabilem causam recedendi a Sponsalibus, si Sponsus illam infamare tentaverit, falso publicans se eam carnaliter cognovisse.

SUMMARIUM

1 *Facti series*, & n. seqq.

7 *Plene probata dicuntur Sponsalia, si constet de utriusque Partis consensu, ac de mutua promissione de Matrimonio contrahendo.*

8 *Conditio in Sponsalibus apposita* = Quatenus Consanguineorum accedat consensus = *adimpleta apparet, quoties Consanguinei se subscripserunt Instrumento Matrimoniali.*

9 *Qua conditione adimpleta, promissio in Sponsalibus emissa habetur, ac si ab initio pura, & absoluta fuisset.*

10 *Quando constat de Sponsalibus Judex compellere debet reluctantem ad servandam fidem.*

11 *Maximè si fuerint jurata.*

12 *Quando tamen agitur de compellendo masculo.*

13 *Secus si agatur de Fœmina, quæ potius est monenda, quamvis Sponsalia juraverit, & de ratione.*

14 *Rationabili concurrente causa reluctantiæ a Sponsalibus perfectis etiam juratis recedere licet, & Judex abstinere debet a coactione.*

15 *Justa, & rationabilis causa erit, si Sponsus falsò publicaverit se Sponsam carnaliter cognovisse*, & n. 16. & 24.

17 *Non bono exipientur exitu, quæ malo sunt incohoata principio.*

Ab invisis Nuptiis fausti sperari non possunt eventus, ibid.

18 *Ad majora vitanda mala Ecclesia abstinet a coactione, ac Sponsis primævam libertatem restituit.*

19 *Matris, ac Patrui contradictiones, simultates, ac comminationes signanter exhæredationis faciliorem reddunt recessum a Controctu Sponsalium*, & n. 25.

22 *Bona vel mala fama nullo tempore magis, quam initio vel utilis, vel damnosa.*

25 *Litis diuturnitas excitat odia, simultates, & Consanguineorum contradictiones, ex quibus a Sponsalibus contractis recedere licet.*

26 *Quando ab invisis Nuptiis nonnisi infausti sperari possunt eventus, abstinendum est a coactione.*

27 *Testis unicus de auditu nihil probat.*

28 *Quando constat de causa reluctantiæ, ipsa reluctantia referri non potest ad aliam causam non apparentem, nec verosimilem.*

DECIS. IX.

Ad Vot. II. num. 66. & ad Vot. III. sub n. 48. & ad Vot V. num. 7.



SOLEMNI interposito Juramento, flexisque genibus coram Imagine *Sanctissimi Crucifixi* nobilis Domicella Maria Anna Lantvving, ac Dominus Baro Beatus Felix de Zurlauben sub *die 25. Novembris* 1744. mutuam sibi fidem dederunt de Matrimonio ineundo; Sed quoniam per Apocam anteà exaratam sub *die 23. Junii ejusdem Anni* dicta Domicella eamdem emiserat promissionem, injecta conditione = *Quatenus suarum Consanguineorum accederet consensus* = hinc successivè *sub die 21. Martii sequentis anni*, plaudentibus, atque assentientibus ejusdem Puellæ Consanguineis publicum celebratum fuit Instrumentum, quo Sponsalia hujusmodi plenè absoluta, ac confirmata fuerunt. 1 2

Rebus ità constitutis, Baro præfatus, qui Dux erat Prætorianæ Cohortis Christianissimi Galliarum Regis in Bellum profectus est; Mox verò Patrios repetens lares, in Officio non

non se continuit : Pertæsi nàmque
Sponsæ Parentes assidui illius accessus
in proprias Ædes, curavit Baro sub
quæsitis coloribus Domicellam tradu-
cere in Domum alienam, ibique so-
3 lus cum sola, vesanò ductus amore,
illicita cum ea tentavit, & quamquàm
in irritum illius cessissent conatus, ni-
hilominùs ipse militari quadam licen-
tia, & fortassè ex industria optatas
Nuptias properandi, jactare, atque
evulgare non dubitavit, se rem cum
illa habuisse, quamobrem delata fal-
sæ hujus Criminationis notitia ad no-
4 bilem Puellam, authumavit hæc, ejus-
que Consanguinei eadem injuria af-
fecti, exequutioni initorum Sponsa-
lium præ viribus se opponere.

Vocata itaque in Judicium coram
Commissario Constantiæ, censuit ipse
*Constare de Causis sat relevantibus
resiliendi, ac Sponsalia rescindendi*,
meamque conventam ab impetitis ab-
5 solvit, & quamquam in contrariam
Sententiam abierit Reverendissimus
Helvetiorum Nuntius; Delata nihi-
lominùs per Appellationem Causa ad
Sac. Tribunal, mihique Commissione
directa, Dubio à me proposito = *An
constet de Sponsalibus, itàut sit lo-
cus coactioni?* = DD. respondere non
hæsitarunt = *Affirmativè ad primam
partem, Negativè ad secundam* =

De Sponsalibus enim contractis
non erat dubitandi locus, cùm de
illis incontrovertibilitèr constet tùm
ex Apoca proprio charactere Mariæ
Annæ subscripta, tùm à jurata, ac
solemni promissione hinc indè facta
coram Sacratissimi Crucifixi Imagine,
tùm à Confessionibus, aliisque facti
præsidiis *in Summario* Collitigantium
exhibitis, quæ omnia, cùm apertè
præseferant reciprocum utriusque
Partis consensum, ac mutuam pro-
missionem de Matrimonio contrahen-
7 do, plenam in consequens Sponsalium
probationem constituunt ad literam
*Text. in leg. prima ff. de Sponsal., &
in Canon. Nostrates* 30. *quæst.* 5. *Pir-
bing. in Jus Canon. lib.* 4. *tit. primo
sect. prima num.* 2. *Pont. de Matrim.
lib.* 12. *cap. primo num. primo, & seq.
Rot. coram Molin. decis.* 1325. *num.* 4.
& 11. *& in Majoricen. Sponsalium*
25. *Aprilis* 1746. §. 2. *cor. R. P. D.
meo Busso*.

Non attento, quod promissio
ex parte Mariæ Annæ fuerit conditio-
nalis, veluti pendens à consensu per
illius Consanguineos præstando; Hic
etenim requisitus consensus nedum
non deficit, quinimò præstitus appa-
ret simul atque ipsi præsentes adsti-
terunt, seque subscripserunt Instru-
mento Matrimoniali postea celebrato,
per quem actum, sicuti promissionem
Puellæ in iis contentam solemnitèr
approbarunt per *Text. in leg. Emptor
§. Lucius Titius ff. de pact. leg. Pluri-* 8
bus 140. *ff. de verbor. oblig. Bursatt.
cons.* 39. *num.* 24. *Rot. coram Cels. de-
cis.* 396. *num.* 8. *& in recent. dec.* 381.
num. 16. *par.* 4. *tom.* 3., *& decis.* 334.
num. 4. *&* 5. *part.* 16., ità impleta re-
mansit conditio ejusdem promissionis,
quæ ideò censenda venit, non secus 9
ac si ab initio pura, ac absoluta fuis-
set, *leg. Si Pupillus* 26. *ff. de condit.
Instit. Rot. coram Molin. decis.* 129.
*num. primo tom. primo, & in rec. de-
cis.* 318. *num.* 6. *part.* 10. *& dec.* 98.
num. 27. *&* 28., *& decis.* 243. *num.* 16.
part. 17.

Causæ itaque difficultas versatur
circà *alteram Dubii* partem, an nimi-
rùm *sit locus coactioni ejusdem Domi-
cellæ?* circà quam meritò DD. in *Ne-
gativam* inclinarunt; Quamquàm
enim, ubi constat de Sponsalibus ex
Officio Judicis sit canonicis remediis
reluctantem compellere ad fidem ser- 10
vandam, ac Matrimonium contra-
hendum, juxtà claram dispositionem
*Text. in Cap. Præterea, & Cap. Ex
literis il* 2. *de Sponsal., & Matrim.*
quam passim sequuta est *Rot.*, signan-
ter in *decis.* 1326. *num.* 17. *coram Mo-
lin., & decis.* 516. *num. primo coram
Ansald., & in dicta Majoricen. Spon-
salium* 25. *Aprilis* 1746. §. 7. *coram
R. P. D. meo Busso*; Potissimùm, ubi
Sponsalia fuerunt religione juramenti
firmata, quo casu propter duplex vin-
culum, Contractus scilicet, ac Jura- 11
menti, Ecclesia Justitiæ cultrix distri-
ctiùs procedit, eoque magis compel-
lit Jurantem, ut impleat promissa *Fa-
gnan. in dicto Cap. Ex literis num.* 1.
& 2. *de Sponsal. Pirbing. in Jus Ca-
non.*

*non. lib.4. tit. primo sect. 3. num. 18.
Castropal. part.5. de Sponsal. disp.pri-
ma punct.8. num.2. Panimoll. dec. 23.
num.18.* cum aliis adductis *in dict. de-
cis.1726. §. 19. tom.5. cor. Molin.*

Inapplicabilis attamen visa est
Dispositio præfatorum Jurium , cùm
ea rectè procedat , ubi agitur de *Ma-*
12 *sculo* renuente adimplere Sponsalia :
At quoties è contrà res est de *Muliere*
detrectante subintrat censura alterius
*Text. in Cap. Requisivit eodem tit. de
Sponsal.* , qua sancitum est Mulierem
potius monendam , quàm esse cogen-
dam , tametsi juramento suam pro-
missionem firmaverit ; Indulgendum
13 est enim illius imbecillitati , ac natu-
rali inconstantiæ , propter quam æquè
facilitèr inducitur ad promittendum ,
ac ad fidem fallendam , propptereaque
mitiùs cum illa , quàm cum Masculo
agendum est , nè fortè coacta eadem
facilitate pœnam censurarum despiciat,
aut invisas contrahat Nuptias ; Undè
potiùs mali , atque infelices exitus
consequuntur , quemadmodum ex
mente præcitati *Text. in Cap. Requi-
sivit* communiter firmant *Covarruv.
de Sponsal. part. prima cap.4. num.4.,
& 5.. Piton. discept. Eccles.32. n.26.
Rot. coram Ansald. decis.516. num.17.
& seq. tom.5. & in Albanen. Sponsa-
lium 24. Junii 1711. coram clar.mem.
Card. Scotto, & in Vicen. Sponsalium
17. Junii 1715. coram Crisp.* inter
impress. *decis. 372. num. 14. & seq.
tom.2.*, & sub eadem distinctione,con-
ciliando dissidentes præfatorum *Tex-
tuum* dispositiones, novissimè firmavit
*Rot. in dicta Majoricen. Sponsalium 25.
Aprilis 1746. §. Inapplicabilis* confir-
mat. 16. *Januarii 1747. §. Nec quic-
quam & seq. coram R.P.D. meo Bussio.*

Ex hoc itaque solo fundamento
locus coactioni non erat , sed eò ma-
gis ab illa abstinendum esse putarunt
DD., quia legitimam , ac prorsus ra-
tionabilem suæ reluctantiæ causam
Maria Anna proponit ; Ea etenim
concurrente à Sponsalibus , quan-
quàm perfectis ; ac juramento muni-
14 tis recedere licet , atque Judex à coa-
ctione omninò desistere debet , juxtà
monitum ipsiusmet *Text. in Cap.
Ex literis de Sponsal.* & tradunt una-
nimiter DD. & signantèr *Abb.* ibidem
*num.8., Gonzal. in Cap. Præterea nu-
mero 8. eod. tit.* , *Menoch. cons. 786.
num.8. & 9. Antonin. Var. resol. 2.
num.3. Sanchez de Matrim. lib. primo
quæst.29. num.4. Rot. coram Seraphin.
decis. 1112. num. primo , & seq. &
coram Cels. decis. 374. num. 4. & 9.
& coram Pamphil. decis. 96. num. 2.*
cum aliis relatis *in decis.979. numero
primo coram Molin. tom.4.*

Planè , cæteris etiam omissis, sat
justam , ac omnino rationabilem cau-
sam recedendi à promissis præstat Ma-
riæ Annæ falsa illa , atquè improba
criminatio à Barone in vulgus emissa ,
quod carnaliter eam cognoverat,quan-
dò vi quidem facinus hoc tentavit ,
sed prorsùs inutiliter, forti animo ob- 15
sistente Puella , quemadmodum ipse-
met Baro conscientiæ stimulis posteà
excitatus per publicum , ac juratum
Instrumentum declarare non dubita-
vit , retractando , atque execrando
tanquàm falsa , quæ anteà in dedecus
Nobilis , ac honestæ Virginis edixe-
rat .

Ab hac autem injusta diffamatio-
ne , propter quam infenso animo
Puella ipsa Sponsum diffamantem pro-
sequitur , adeout potius pœnam , ac
mortem subire , quam cum illo Ma-
trimonio se jungi per actum publi-
cum solemniter declaraverit , legiti-
ma , ac prorsus justa oritur causa re-
cedendi a Sponsalibus , atquè in con- 16
sequens abstinendi a coactione , ut per
*Text. in Cap. Quemadmodum de jure-
juran.*, ibique *Abbas num.4.* in specie
admonent *Sanchez de Matrim. lib. 5.
disput.63. num. 3. & seq.; Rot. coram
Cavaler. decis. 421. num. 4. & coram
Pamphil. decis.96. num. 4.* ibique *Ad-
den. num.10. & coram Duran. dec.242.
num.5. & 6. in Moguntina Sponsalium
20. Novembris 1741. §. 11. coram R.
P. D. meo Molino* ; Non enim bono
explentur exitu , quæ malo sunt in-
choata principio , nec ab invisis Nu- 17
ptiis fausti sperari possunt eventus ;
Hinc est , ut pia Mater Ecclesia ad
majora evitanda mala a coactione ab-
stinere se solet , ac Sponsis primævam
libertatem restituere , ut in similibus
circumstantiis notant *Reiffenstuel. lib.4.* 18
Decret.

Decret. tit. primo de Sponsal. §.8. *numero* 267., *Rot. coram Burat. dec.*311. *num.* 4. *& coram Coccin. decis.* 437. *num.*4. *&* 7., *& coram Cels. dec.*889. *num.*5. *&* 9., *& coram Molines decis.* 979. *num.* 3. *& coram Kaunitz decis.* 77. *num.* 11. *et in dicta Moguntina Sponsalium* 20. *Novembris* 1741. §.11. *coram R. P. D. meo Molino*.

Accedit, quod eamdem propter diffamationem Mater, ac Patruus Domicellæ, qui Sponsalibus cum Barone contractis libenti animo consenserunt, modò & ipsi concitati illorum exequutioni nedum obsistunt, sed ultra progrediendo, solemni juramento professi sunt, quod si Filia, ac respectivè Neptis eorum voluntati resistens Nuptias contrahat cum Barone, eximio erga illam abjecto amore, Bonis, ac hæreditate privabunt; Quæ sanè Parentum contradictiones, simultates, ac comminationes, signanter exhæredationis innixæ, ut hic, ratio-
19 nabili causæ eo faciliorem reddunt recessum a Contractu Sponsalium juxta firmata in specie per *Spad. cons.* 152. *num.*10. *lib.*2. *Guttier.quæst. Can. lib. primo cap.*20. *num.*17., *Rot. cor. Pen. decis.*517. *num.* 5. *& seq.*, *& coram Buratt. decis.* 412. *num.* 6. *& coram Molin. decis.* 779. *num.* 2. *& coram Kaunitz decis.* 67. *num.* 5., *& coram Lancett. dec.*682. *num.* 14.

Nec pronis auribus audiri meruerunt, quæ in excusationem instructæ calumniæ a Baronepro ponebantur, quod nimirum rem ipse fidelitati paucorum concrederit causa properandi ad Nuptias, furenti ductus amore er-
20 ga Domicellam; dictaque in illius dedecus, tamquam falsa, jam retractaverit, ac revocaverit: Etenim, si primus omnium Baro falsum crimen, tamquam verum supposuit, atquè communicavit tum Commissario Lucernensi, tum Auditori Rmi Helvetiorum Nuntii, tum etiam Parocho Tugii, atque demum P. Guardiano Cappuccinorum, dubitandum utiquè non est, quin ipse fuerit Auctor injustæ, atque improbæ diffamationis,
21 quæ semel in vulgus emissa, successiva illius retractatione divelli, aut imminui nequit; Cum bona, vel mala fama nullo tempore magis, quàm initio utilis, ac respectivè damnosa sit, eaque adempta, cætera, quæ sequuntur, ejusdem sunt æstimationis, juxtà 22
illud *Tacit.* in vita *Agricolæ* = *Non ignarus instandum famæ*, *ac prout prima cessissent*, *fore universa* = Unde de fama mirè cecinit *Virgil. lib.* 4. *Æneid. vers.*174.

Fama malum, quo non aliud velocius ULLUM,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo =
PARVA metu primo, mox sese attollit in auras,
TAM ficti, pravique tenax, quam nuntia veri =

Et indubitantius, cum adhuc hic in Curia Defensores ejusdem D. Baronis ex verosimili ejus mandato in scriptis impressis idem criminosum facinus jam pro certo supposuerint, ac 23
propugnaverint.

Qua vero mente, quove consilio inductus fuerit Baro ad jactandum falsum crimen pro vero, nihil interest investigare; Satis quippe est, ex improvido illius facto in discrimen, saltem apud vulgares Homines, positam fuisse honestatem Nobilis Domicellæ, ut hæc justam valeat allegare causam 24
resiliendi à promissis: Si nàmque diuturnitas ipsa litis, odia, simultates, & Consanguineorum contradictiones excitat, itaut à Sponsalibus contractis liceat recedere, quin sit locus 25
coactioni ad plene firmata per *Rot. coram Molin. dec.*979. *num.*3., *et in rec. dec.* 19. *num.*56. *par.* 10., *et dec.* 249. *num.*13. *par.*14. cum aliis adductis in superiori §. *Accedit*; Multo sanè magis in casu, in quo hæc infimul confluentia procedunt ab injusta Puellæ diffamatione, quæ ipsius animum adeò concitavit, atque exulceravit, ut promptam se declaraverit ad subeundas pœnas a Jure inflictas, ac mortem potius, quam inviso Homini se copulare; In his etenim circumstantiis, in quibus a Nuptiis nonnisi difficiles, atque infausti exitus sperari possunt, omnia jura clamant abstinendum esse a coactione, ac Mulierem reluctantem pristinæ libertati re- 26
stituendam, eadem *Rot. coram Molin.*

lin. dicta dec.979. num. 3. , et coram Lancett.dec.682. num.14. cum aliis superius adductis *in §. Ab hac. in fin.*

Frustraque Defensores Baronis insinuare conantur constantem hanc Puellæ reluctantiam potius tribuendam consilio, ac instigationi Matris, quæ secundas exoptans Nuptias cum germano Fratre Commissarii Lucernensis, istius Filio Mariam Annam nubere intendit. Assertio siquidem hæc stans in ore unici Testis de auditu, qui nihil probat, ex vulgatis, de quibus *Text. in Cap. Veniens, & Cap. Jurejurando, & Cap. In omni negotio de Testib., & in Leg. Jurisjurandi Cod. eod. tit.*, ex eo prorsus commentitia deprehenditur, quod Domicella, quæ usque ab initio hujus Litis procul a Matre degit in altero ex Monasteriis Civitatis Comi, spontè, ac deliberato animo eamdem declarationem emisit ob causas in illa expressas, & potissimum propter injustam diffamationem, quo posito, ineptum erat illius reluctantiam tribuere, atque referre ad aliam causam non apparentem, nèc verosimilem, ex vulgata regula, de qua *Gabriel. conf.75. n.11. lib.2. Gratian. discept. 786. num. 19. Rot. decis.533. num.18. tom.2., & decis. 693. num. 14. tom. 3. par. prima coram Molin.*

27

Et ita &c. Utraque &c.

R. P. D. DE VAIS

Constantien. Sponsalium.

Veneris 17. Januarii 1749.

Confirmatoria præcedentis.

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decisione.

SUMMARIUM

1 F*acti species.*

2 *Quando sententia est justa, deficit læsio, quæ est causa restitutionis in integrum.*

3 *Sponsalia perfecta quænam dicantur.*

4 *Conditio in Sponsalibus apposita* = quatenus Consanguineorum accedat consensus = *adimpleta apparet, quoties Consanguinei se subscripserunt Instrumento Matrimoniali.*

5 *Masculus, qui renuit fidem in Sponsalibus datam, & juratam adimplere, ad illius implementum est cogendus.*

6 *Secus autem Fœmina, et de ratione.*

7 *Maximè accedente justa, et rationabili causa, per quam licet a Sponsalibus perfectis, et juratis recedere, nec recedens cogi potest ad eadem Sponsalia adimplenda.*

8 *Sponsa recedere justè potest a Sponsalibus, si Sponsus illam diffamaverit falsò affirmando se eam carnaliter cognovisse*, & n. seqq.

9 *Multoque magis illius Consanguineis contradicentibus*, & n. 12.

10 *Non obstante retractatione Sponsi.*

DECIS. X.

Ad Vot.III. sub num.48.



IN conflictu duarum Sententiarum, quarum *prima* Commissarii Lucernensis declaraverat Nobilem Domicellam Mariam Annam Claram de Landvving liberam ab asserta obligatione exequendi Sponsalia inita cum Barone Beato Fidele de Zurlauben, *secunda* Reverendissimi Nuncii ad Helveticos d. Judicati revocatoria, Causa conscendit ad nostrum Sac. Tribunal, in quo prodiit Sententia R.P.D. Mei *Elephantutii* ad formam illius Decisionis editæ die 26. Junii proximè elapsi anni, decernens constare de Sponsalibus initis intèr dictam Mariam Annam, & Baronem Beatum Fidelem, eam tamèn non esse cogendam jàm contracta Sponsalia adimplere; Cùmque hujusmodi Sententia ob non interpositam à Barone Appellationem vires assumpserit rei judicatæ, in vim Commissionis ab eodem Barone obtentæ à Signatura Justitiæ in gradu Restitutionis in integrum, subscripsi Dubium = *An constet* 1

stet de re judicata, *seù potiùs de causis restitutionis in integrum?* de quo consulti DD. mei responderunt = *Constare de re judicata* =

Justitia siquidèm Sententiæ Rotalis omnem aditum præcludebat læsioni, qua cessante, deficit causa re-
2 stitutionis in integrum *Cap. Ex literis*, *& Cap. Constitutus de in integr. restit.*; Et sane quoàd veritatem, & subsistentiam Sponsalium Justitia Sententiæ illicò apparuit tùm ex Apoca proprio Charactere Mariæ Annæ subscripta, tùm à solemni, & jurata hinc inde facta promissione coràm Sacratissima Jesu Christi Crucifixi Immagine de contrahendo Matrimonio, quibus si addantur confessiones, & facta dictæ mutuæ promissioni uniformia, du-
3 bitari non potuit de validitate, & subsistentia Sponsalium à reciproco utriusque Partis consensu dependente, juxta firmata in *Decis. R. P. D. mei Elephantutii §. De Sponsalibus*.

Et hanc mutuam promissionem nequidem inficiabatur Maria Anna; sustinebat tamen ex parte sua liberam non fuisse, sed omninò dependentem à consensu per illius Consanguineos præstando. Sed cùm Consanguinei non detrectaverint ratam habere Domicellæ promissionem, sese
4 subscribendo Instrumento Matrimoniali subindè celebrato, illius promissio remansit pura, & pro libera haberi debet ad effectum dijudicandi liberè, ac legitimè contracta fuisse Sponsalia, ut prosequitur dicta *Decis.* §. *Non attento*.

Constabilita Justitia Sententiæ Rotalis quoàd validitatem, & subsistentiam Sponsalium, nulla læsio considerari potuit in eo, quod decrevit Domicellam reluctantem datam fidem servare, canonicis remediis non esse cogendam; Quia licet ad refrænandam Masculi libertatem in recusando
5 datæ, ac juratæ fidei implementum ita disponant *Text. in Cap. Præterea*, *& Cap. Ex literis il secondo de Sponsal.*, *& Matrim.*, nihilominùs harum legum censura juxta jam receptam opinionem non convenit Fœminæ, ob cujus imbecillitatem, & minus præ-
6 judicium, cùm mitius agendum sit, quam cum Masculo, subintrat alterius *Text.* dispositio *in Cap. Requisivit eodem tit. de Sponsal.*, *& Matrim.*, qua sancitum est Mulierem potiùs monendam, quàm cogendam esse suam licet juratam fidem servare, ut animadvertit *dicta Decis. R. P. D. Mei Elephantutii*.

Eò fortiùs, quia hìc non agitur de simplici Mulieris reluctantia in adimplemento datæ fidei Mulierum imbecillitati tribuenda, sed de reluctantia justa causa munita, qua subsistente, quemadmodùm a Sponsalibus jam perfectis, & juramento munitis licet recedere, ita & multò magis cessare debet coactio, qua mediante Mu- 7
lier teneatur adimplere id, quod justa de causa implere recusat, ut ponderat *dicta Decis.* §. *Ex hoc*.

Inter cæteras deductas causas ad comprobandam justam Mulieris reluctantiam in adimplemento datæ fidei prævaluit apud DD. ejusdem Domicellæ diffamatio a dicto Barone in vulgus emissa, & in eo constituta, quod illam jam carnaliter cognovisset; Cùm verò hoc facinus vi quidem, sed inutilitèr tentasse appareat ex subsequuta ejusdem Baronis confessione in publico Instrumento emissa, hæc improba criminatio, quæ Mulieris animum adeò infensum reddidit erga Baronem, ut potiùs mori, quam cum illo Matri- 8
monium contrahere protestata fuerit, justam præbet reluctantiæ causam nulla dignæ coactione, ut expendit *dicta Decis.* §. *Ab hac*.

Et hæc diffamatio maximè præjudicialis tùm honori Nobilis Virginis, tùm decori illius Familiæ nedum infensum reddidit ejusdem animum erga Baronem, sedConsanguineos quoque dictæ Domicellæ concitavit in odium Baronis, taliter ut prior eorum consensus præstitus Sponsalibus versus fuerit in expressum dissensum, profitendo, ac jurando eamdem Domicellam velle amore, ac bonis spo- 9
liare, quatenus non recusasset fidem Baroni datam servare; Undè ab hisce circumstantiis, quemadmodùm efficacior redditur reluctantiæ causa, ita semper minùs opportuna remanet coactio, ut expendit laudata *Dec.* §. *Accedit*.

Ne-

Neque hanc efficacem diffamationis causam minus æquam reddere valuit ejusdem Baronis retractatio, & revocatio, quæ animum Mariæ Annæ adeò pacavit, ut futuro Matrimonio novum assensum præstare non hæsitaverit, quatenus verò illius Consanguinei assentirentur, juxta exposita in ipsius Baronis retractatione; Quandoquidem diffamatio a Barone in vulgus
10 emissa, quæ causam dedit illius Defensoribus hìc in Curia eamdem diffamationem in scriptis redigere, & palam facere, non de facili per retractationem coram Parocho particulariter initam divellitur; Undè adhuc vigente causa non benè reparatæ diffamationis, valdè dubitare contingit de hujus injurię remissione facta a Domicella, mediante nova futuri Matrimonii pro-
11 missione, cui ex diametro opponitur nova ejusdem Mariæ Annæ protestatio inita inter septa Monasterii de nunquam præstando assensu d. Matrimonio: Ultraquamquod, etiamsi antedicta nova promissio subsisteret, non indè sequeretur locum esse coactioni, renuentibus juremeritò Domicellæ Consanguineis assensum præstare futu-
12 ro Matrimonio, a quo pendebat nova Nobilis Virginis promissio, ut ait *Rot. decis.572. num.4.& 5. coram Crispo, & dec.682. num.15. coram Lancett.*

Et ita remissivè ad Decisionem R.P.D. mei Elephantutii &c.

Utraque &c.

EMINENTISSIMO BUSSIO

Reatina Sponsalium

Lunæ 29. Januar. 1753.

ARGUMENTUM

Sponsalia possunt esse perfecta, etiamsi Sponsalium Contractui Sponsa non intervenerit. Consanguinei Sponsi impedire nequeunt Sponsalium executionem, quamvis Sponsa cęteroquin honesta sit minus dives, aut minus Nobilis.

SUMMARIUM

1 *Invidi nunquam desunt.*

2 *Sponsalia dicuntur perfecta, si Sponsus apud Sponsæ Patrem valida interposuerit officia, ut eam sibi in Uxorem concederet, nuptiales tabulas subsignaverit, ea in Instrumentum redigi curaverit, munuscula Sponsæ tradiderit, gratulationes præbuerit, atque receperit, & licentiam pro faciendis denunciationibus procuraverit.*

3 *Sponsalia perfecta non sunt si deficiat Sponsæ repromissio.*

4 *Sufficit tamen repromissio, seu consensus Sponsæ vel expressus, vel ex argumentis, & signis tacitè desumptus.*

5 *Consensum futuro Matrimonio Sponsa præstitisse dicitur, si de eo ineundo Patri voluntatem aperuit, dotale instrumentum probavit, sese Sponsam evulgari gavisa est, munera tamquam talis non respuit, & pro Sponsalium firmitate litem instruxit.*

7 *Dedecet ingenuum, ac maturæ ætatis Hominem a præstita Sponsalium fide ex falsis, levibusque prætextibus desciscere.*

8 *Ante Sponsalia debebat Sponsus prospicere, ut Nobiliorem, ac ditiorem, si poterat, Uxorem inveniret.*

9 *Sponsalia jam perfecta, & fides purè, ac absolutè interposita non debent alieno arbitrio dissolvi.*

10 *Odia ex litis calore excitata non sunt causa sufficiens dissolutionis Sponsalium.*

11 *Sponsum reluctantem contrahere Matrimonium ad præstitæ fidei implementum canonicis remediis est cogendus.*

12 *Maximè si Sponsalia fuerint jurata.*

DECIS. XI,

Ad Vot.II. sub num.81. & sub num.141. §. Et non solum, & ad Vot.V. sub num.9. & ad Vot.VII,num.71. 104.



1 Essimis Invidentium, qui numquam desunt, suasionibus circumventus Joannes Baptista Cajetanus de Augustinis fidem de ineundo Matrimonio Magdalenæ Staffa amplissimè traditam solvere postmodum detrectavit, ideòque opus fuit judicialem pro adimplemento actionem instituere coram A. C. Parracciano, qui absolutissimum Sponsalium Contractum exequendum pronunciavit, idque ipsum hodiè jussit Sacrum nostrum Auditorium, interroganti enim mihi = *An constet de Sponsalibus, & sit locus canonicæ coactioni* = Responsum fuit = *Affirmativè in omnibus* =

Adeò enim Sponsalia probata sunt, ut vix solemnior, aut perfectior desiderari valeat Contractus. Siquidem Joannes Baptista primum valida interposuit apud Sponsæ Patrem Magnatum officia, ut Magdalenam
2 sibi in Uxorem destinari obtineret, mox nuptiales tabulas subsignavit, & de eis die 29. Maii superioris anni in publicum Instrumentum redigendis sollicitus fuit, deindè munuscula Sponsæ tradidit, gratulationis Officia, ac significationes præbuit, atque recepit, & demum,ut negocium quantocius compleretur,licentiam pro consuetis publicationibus a Curia Episcopali procuravit, quæ omnia sicuti cumulantissimam constituunt probationem de mutua nubendi fide vicissim interposita, ita prohibent, ne Joannes Baptista a Sponsalibus omninò perfectis resilire amplius valeat, *leg.* 1., *& 2. ff. de Sponsal. Can. Nostrates* 30. *quæst.*5., *Pirhingh. in Jus Canon.lib.* 4. *tit. primo sect. prima n.*2., *Rota coram Molines decis.*1325. *n.*4., *&* 11., *& in Majoricen. Sponsalium* 27. *Feb.* 1747. §. *Secundum enim coram R.P.D. Clemente, & in Constantien. Sponsalium* 26. *Junii*1748. §. *De Sponsalibus cor. R. P. D. meo Elephantutio*.

Non itaque, nisi per summam levitatem potuitReus conventus die 31. Maii consensum plenissimè præstitum retractare, & irrevocabili assumptæ obligationi fraudem facere; Patentem quippè hujusmodi actus inconstantiam excusare inutiliter contendunt ejus Defensores, ex quo in Nuptialibus tabulis absente Magdalena exaratis, de- 3
ficiat illius repromissio, sine qua Sponsalia perfecta non censeri vulgatum est ex *Text.in Cap.Tuæ de Sponsal., Rota in Tuden. Sponsalium* 21. *Martii* §. *Exerdiendo et* 20. *Junii*1746. §. *Verum enim coram R.P.D.meo Caprera*. Siquidem cum vix deceat virginalem Puellæ verecundiam de futuro Marito palam agere, ita mos est frequentissimus inter honestiores Familias, ut Parentes pro Filiabus de ineundo conjugio paciscantur, ideòque cum Pater Magdalenæ nuptialia pacta prius in Apoca privata, mox in publico, solemnique Instrumento stipulatus fuerit,nil ultra ad Sponsalium perfectionem desideratur, quam consensus Puellæ sive ex- 4
pressus, sive etiam argumentis, ac signis tacitè desumptus juxta literalem *Textum in Cap. unic. de Desponsat. Impuber. in* 6., *Boss. de Matrim. cap.*2. §.38. *num.*156., *Sanchez eodem tract. lib. primo disput.*23. *num.*2., *& seq.*, *Molin. de Rit. nuptiar. compar.* 11. *num.*38., *Panimoll. decis.* 23. *annot.*2. *num.*1., *et seq.*, *Rota dec.*538. *num.*5., *et seq. part.* 18. *tom.*2. *recent.*, *et in Camerinen. Sponsalium* 12. *Junii* 1711. §. *Nullius*, *et* §. *seq. coram clar. mem. Card. Priolo*.

Ad suadendum autem in casu consensum Magdalenæ, gravissima non tam concurrunt, quam confluunt argumenta, quæ Sponsalium ratihabitionem uberrimè indigitant; Porrò Sponsæ Pater antequam prænobili Purpurato Matrimonium Joannis Baptistæ proponenti responderet, Filiæ voluntatem, prout opus erat, exploravit, ejusque pleniorem consensum sese retulisse affirmavit in literis ad eumdem redditis; Rursùs post nuptiales tabulas palam,publicèque subscriptas, Magdalena Amicorum gratulationes lætissima excepit, mutuaque exhibuit Gratulantibus officia, imò

imò coram eis ab ipsomet Sponso Annulum, aliaque munera acceptavit, ac denique vix novit inopinatam Sponsi reluctantiam a malignis Invidentium suasionibus subortam, amplissimum die prima Junii superioris anni mandatum dedit pro hodierno instaurando judicio, debitaque Sponsalium exequutione omnibus juris remediis procuranda. Nil ergò desiderari amplius valet, ut consensum futuro Matrimonio præstitisse dicatur Puella, quæ de eo ineondo Patri voluntatem aperuit, quæ dotale Instrumentum probavit, quæ
5 sese Sponsam evulgari gavisa est, quæ munera tamquam talis non respuit, quæ tandem pro Sponsalium firmitate litem instruxit, & substinet, ut sparsim perpendit *Gloss.in Cap.Si inter 31. verb.Dicente de Sponsal., et Matrim., Rota coram Buratto decis.* 143. *n.*34., *et per tot.*, *et coram Celso decis.* 21. *num.* 8., *et coram Crispo decis.* 337. *num.*5., *et in Novarien. Sponsalium prima Julii* 1693. §. *Adminicula coram bon. mem. Muto, et in Majoricen. Sponsalium* 25. *Aprilis* 1746. §. *Parum coram Me*.

Et re ipsa fidem ex mutuo consensu interpositam agnovisse visus est ipsemet Joannes Baptista, qui levitatem suæ retractationis obtegere studens, nullam, nec minimam mentionem habuit de asserto repromissionis defectu ad opportunitatem hodiernæ de-
6 fensionis adinvento, sed unicam reluctantiæ suæ causam retulit ad inæqualitatem Conjugii, ad Consanguineorum simultates, & ad consilia Optimatum: Ast gravissimè in omnibus
7 erravit, quoniam dedecet ingenuum, ac maturæ ætatis hominem à præstita fide ex falsis, levibusque hisce prætextibus desciscere: Commentitia quippe est inæqualitas, cum Mulieris non minus quam Viri Familia inter honestas Civitatis recenseatur. Cæterum nil quidquam in jure valet conditionis, ac gradus differentia, & Joannes Baptista ante Sponsalia prospicere debebat, ut nobiliorem, ac ditiorem, si
8 poterat, Uxorem inveniret, ut arguit *Sanchez de Matrim. disput.*14. *num.*2. *lib.primo, Rosignol. de Sponsal. par.*2. *prænot.*1. *num.*2., & *seq.*, *Rota dec.* 167. *num.*26. *par.*9. *tom. primo recent.* & *in Majoricen. Sponsalium* 25. *Aprilis* 1746. §. 12. *coram Me*.

Consanguineorum verò dissensus, & aliorum consilia, seu verius improvidæ obloquutiones nulla in facto legitima probatione fulciuntur, & nihili penitus in jure faciendæ sunt, cum Sponsalia jam perfecta, & fides purè, ac absolute interposita non debeat alieno arbitrio dissolvi contra *Text. in* 9
Can. Sufficiat 27. *quæst.*2., *Menoch. de Præsumpt. cap.*4. *præsumpt.*189. *n.*5., *Rota in Majoricen. Sponsalium super Censuris* 29. *Januarii* 1712. §. *Quatenus coram clar. mem. Card. Scotto*, sicuti multò minus Sponsalium perfectioni, eorumque exequutioni officere valet animorum aversio, quam præsens fortasse lis in Sponsum, & Sponsam ingerere posset; Ultra quod enim ex facili indole Joannis Baptistæ, ejusque Epistolis satis constet, eum non tam suo, quam alieno consilio Causam agere, ulterius vulgatum est hujusmodi odia ex litis calore excitata nihil obstare quominus Contrahentes fidem in perfectis Sponsalibus mutuò 10
traditam liberare adigantur *Gabriel. consil.* 159. *numero* 12., *et seq.*, *lib.* 2., *Rota dec.* 497. *num.* 2. *part.* 1. *diversor.*, *et coram Ludovis. dec.* 376. *num.*6., *et seq.*, *et in Camerinen. Sponsalium* 2. *Junii* 1711. §. *Multaque coram clar. mem. Card. Priolo*, *et in dicta Majoricen. Sponsalium.* §. *fin. coram Me*.

Hinc ergò vindicato Sponsalium Contractu, rejectisque ineptissimis argumentis, quæ adversus ejus aut perfectionem, aut exequutionem proposita sunt, ingenio suo consequitur affirmativa resolutio ad secundam dubii partem: Cum enim Joannes Baptista ex justitiæ debito teneatur ad Matrimonium, quod sese cum Magdalena contracturum spopondit, omni sanè juris remedio ad præstitæ fidei implementum ita eum compellere oportet, ut adversus reluctantem ca- 11
nonica coactio decernatur *ad Text. in Capit. Ex Literis*, *il secondo*, *et in Capit. Præterea de Sponsal.*, *et Matrim. Campanil. in diversor. jur. canon. rubr.*1. *sub num.* 53., *Rota decis.*1325.

cit. 1325. num. 17. coram Molines, et dec. 516. num. primo coram Ansaldo, et in dicta Majoricen. Sponsalium §. 7. coram Me. Maxime ubi, prout in casu, Sponsalia jurisjurandi religione firmata sunt, tunc enim quo major ex duplici vinculo oritur obligatio, eo
12 rigidius fieri debet in contractus, & juramenti violatorem animadversio, ut prosequitur *Rota dicta decis. 1325. num. 19. coram Molines, & in Constantien. Sponsalium 26. Junii 1748. §. Causae in fin. coram R. P. D. meo Elephantutio*.

Et ita &c. Utraque &c.

R. P. D. AMADEO

Majoricen. Sponsalium

Lunae 6. Martii 1752.

ARGUMENTUM

Stuprum non probatur levioribus conjecturis, & argumentis, quando non constat de praecedenti stupratae Mulieris honestate, nec ad probandum Stuprum eidem deferri potest Juramentum suppletorium, si non constet de illius integra honestate, aequali statu, conditione, & fortuna cum asserto Stuprante.

SUMMARIUM

1 *Facti species*, & n. seqq.
2 *Sententia Vicarii Generalis Insulae Minoricae in causa Stupri*.
3 *Executio ejusdem sententiae*.
4 *Stuprum assertum commissum sub promissione futuri Matrimonii concludenter, & perfectè probari debet*, & n. 10.
5 *In exclusionem Stupri uti delicti omnis militat Juris praesumptio*.
6 *Promissio futuri Matrimonii facta ad habendam copulam probationes longè praestantiores requirit, quàm simplex Stuprum*.
7 *Alias Mulierculae facilè se subjicerent copulae, ut deindè asserere possent se violatas fuisse sub fide futuri Matrimonii*.
8 *Ad probationem Stupri admittuntur conjecturae, & argumenta, nec non praesumptio juris, quod Puellae non censeantur pati voluisse Stuprum nisi data fide Matrimonii, quando constat de illibata earumdem pudicitia, & honestate, ac eadem paritas status, conditionis, & fortunae inter utramque partem intercedit*.
9 *Secus si hujusmodi circumstantiae non concurrant, imo potius probetur contrarium*.
11 *Foemina, quae egreditur e domo nocturno tempore, accedit ad Cauponam, ibique recipit cyatum vini ab aliquo Viro, seu ludit cum Juvenibus in aliqua apotheca, reputatur parum honesta*.
12 *Licèt Foemina corpore non sit vitiata, si tamen ex depravatis moribus mentem corruptam habeat, de inhonestate redarguitur*.
13 *Disparitas status, conditionis, et divitiarum adest, si assertus Stuprator sit Dominus Foeminae deflorate, cujus Parentes sint pauperes, & obscuri nominis, serviles operas praestent, et aliquis ex ejus Conjunctis fuerit ad ultimum supplicium condemnatus*.
14 *Juramentum in supplementum plenae probationis praestitum post interpositam appellationem est nullum*.
15 *Rescriptum Signaturae* = de appellatione = *tollit, et revocat quidquid post editam sententiam, et propositam appellationem gestum fuerit*.
16 *Quando Stuprata agit contra Stuprantem ad Matrimonium, eidem Stupratae dari non potest Juramentum suppletorium*.
17 *Quandoque tale Juramentum deservit pro adminiculo*.
18 *Dummodo constet de integra Foeminae honestate, et de aequali statu, conditione, et fortuna cum asserto Stuprante*.
19 *Secus si de Stupratae illibata fama dubitetur, et constet de illius paupertate, et vilissima conditione*.
20 *Quia tunc videtur jurasse ad meliorandam propriam conditionem, et statum*.

21 *Red-*

21 *Redditur inverisimilis inculpatio Stupratæ, si non exprimat præcisum diem, quo passa fuit Stuprum.*

22 *Si non audierint ejus vocem, et gemitus personæ in proximo cubiculo existentes.*

23 *Si distulerit proponere conquestiones per spatium octo Mensium.*

24 *Publica vox, et fama circa Stuprantem, quæ ortum habet a conquestionibus Stupratæ nihil probat.*

26 *Arrestum propriæ domi æquivalet carcerationi.*

27 *Quod sub simplici inculpatione Stupratæ sine aliis probationibus asserto Stupranti nequit injungi.*

DECIS. XII.

Ad Vot.II. sub num.141. 5. Et non solum, & ad Vot.VI. num.50.



N odium passæ dimissionis a famulatu per triennium circiter præstito Eulaliæ, Valentinæ, & Doctori Francisco Creus Fratri, & respective Sororibus, Margarita Miret sese ab eodem Francisco prægnantem redditam sub spe futuri Matrimo-
1 nii, in lucem subindè edita Masculina Sobole, adeo publicè proclamavit, ut coram Vicario Generali Insulæ Minoricæ adversus ipsum actionem instituere non pertimuerit pro eo adigendo ad datam fidem servandam. Quare injuncto prius per memoratum Judicem præfato Francisco arresto Domi propriæ habitationis sub pœna librarum bismillium, eoque ob præstitos fidejussores redacto ad Civitatem Civitellæ, definitivam edixit Sententiam, qua pronunciavit, *deferendum*
2 *fore, & esse dictæ Margaritæ Miret juramentum suppletorium, videlicet, quod medio juramento dicat, si ipsa fuerit, vel non desflorata &c. à Doctore Francisco Creus &c., et tali juramento præstito per dictam Margaritam Miret, cum ipsa sit honesta Puella, et talis de jure præsumitur ad copulam non consentire, nisi vi, metu, dolo, importunis precibus, aut sub promissione Matrimonii seducta &c. obligandum fore, et esse etc. Doctorem Franciscum Creus etc. ad ducendam dictam Margaritam Miret, sive ad Matrimonium etc. cum ipsa contrahendum etc., et tali juramento non præstito ob repugnantiam dictæ Miret* ulterius decrevit, *absolvendum fore, et esse memoratum Doctorem Creus à præsenti instantia.*

Licet post publicationem enunciatæ Sententiæ succumbens confestim ad Sanctam Sedem appellationem interposuerit, attamen eadem sub ipsa die 17. Julii 1750. Judex mandavit in executionem ejus Judicati per Margaritam incontinenti præstari juramentum suppletorium, prout præ- 3
stitum fuit, quem actum tam animosè gestum idem Franciscus nullitatis vitio penitus infectum declaravit, reiterata ab omnibus gravaminibus per dictum Vicarium Generalem sibi illatis appellatione: Quapropter recursu habito ad Signaturam Justitiæ tùm super suspensiva delegatione Causæ ad Sacrum Tribunal, tùm super circumscriptione omnium gestorum, & signanter juramenti suppletorii post interjectam reclamationem, prodiit rescriptum = *De appellatione, subministratis scutis triginta cum facultate removendi arrestum* = Ad cujus tramites concordato dubio = *An constet de Stupro sub promissione Matrimonii, et ad quos effectus, et sit removendum arrestum* = in contumaciam Margaritę pluries monitę, & adhuc jura sua deducere negligentis, responsum extitit = *Pro informante*, nempe *non constare de Stupro, et esse removendum arrestum* =

Asserit enim Margarita, se violatam fuisse à Francisco, data fide contrahendi cum eo Matrimonii, quo circa adstringitur onere concludenter, 4
& perfectè probandi nedum commissum Stuprum, in cujus uti delicti ex- 5
clusionem omnis militat juris præsumptio *Rot. coram Molines decis. 751. num.15., et ad Ornat. Card. de Luca decis.6. num.9. lib.10.*; Sed etiam superadditam qualitatem sub fide Matrimonii, quæ sicut injicit vinculum indis-

indissolubile Conjugii, ita probatio-
6 nes longè præstantiores requirit, ut communiter docent *Raynald. observat. Criminal. cap.* 23. §.4. *num.* 77., *Rota coram Roxas dec.* 411. *num.* 1., *coram Lancetta dec.* 433. *num.* 1., *&* 2.; Alias enim nimis patens aperiretur via vilissimis Mulierculis sese Viris subjiciendi, ut deinde assererent earum viola-
7 tionem sequutam data fide ineundi Conjugii, sicuti observant *Raynald. observat. Criminal. dicto Cap.* 23. §.4. *num.* 79., *Ricciardel. Lyc. Eccl. cap.* 17. §.8. *num.* 63., *Rot. in Amerina Sponsalium* 22. *Novembris* 1737. §. *Plerumque cor. clar. mem. Card. Calcagnin.*

Quin obstaret ad probationem Stupri clam perpatrati leviores exigi conjecturas, & argumenta, ex quo ratione subjectæ materiæ plenæ, &
8 concludentes probationes haberi nequeant, necnon præsumptionem juris militare, quod Puellæ nonnisi quàm sub spe contrahendi connubii censeantur præbuisse consensum propriæ ipsarum deflorationi. Siquidem allegatæ propositiones locum sibi vindicarent, quatenus doceretur de illibata pudicitia, & honestate Puellæ, ac eadèm insuper intercederet paritas status, conditionis, & fortunæ inter utramque partem; quatenus vero hujusmodi circumstantiæ non concurrant, immò
9 potius constet Puellam censeri de inhonestate suspectam, vel diffamatam, & disparem prorsus esse unius, ac alterius conditionem, statum, ac divitias, hoc fanè casu immotum remanet inconcussi juris principium, Stuprum cum qualitate Matrimonii ad illius probationem requirere undiquè
10 concludentes, & perfectas probationes, veluti absque Contradictore docent *Mans. consult.* 215. *num.* 10., *Conciol. resolut. Criminal. verb. Stuprum resolut.* 3. *num.* 7., *Angel. de Delict. par.* 1. *cap.* 124. *num.* 1.

Plurimum dubitari posse de honestate Margaritæ suadent juratæ depositiones Testium asserentium eamdem absque licentia nocturno tempore egredi consuevisse e Domo Franci-
11 sci, ipsamque accedentem ad publicam Cauponam cyathum Vini ad bibendum à Milite Britannico accepisse, & quandoque in Apotheca cujusdam Sutoris cum illius Juvenibus procacitèr lusisse, ipsamque esse indolis valdè vivacis, & jocis amicam, itaut his stantibus parum honesta reputaretur; Pro hujusmodi enim effectu licet Fœmina corpore non sit vitiata, si tamen 12
ex depravatis moribus mentem corruptam habeat, non immeritò de inhonestate redarguitur, *Can. Proposito*, *et Can. Nec solo can.* 32 *quæst.* 5., *Paris. consil.* 160. *numer.* 22., *Gratian. discept. forens. cap.* 5. *num.* 44. *in fin.*, *Mantic. de conject. ult. vol. lib.* 11. *tit.* 19. *num.* 34. Itidemque satis explorata redditur disparitas status, conditionis, & divitiarum, cum non dubitetur Margaritam ortum habuisse à 13
pauperibus, & obscuri nominis Parentibus, qui ut de subsidiis ad alimoniam necessariis sibi ipsis consulant, serviles operas præstant, illudque etiam accedit, ut ejus Amita ab Amasio reddita prægnans editum fœtum in puteum dejecerit, ob quod horrendum facinus ad pœnam ultimi supplicii condemnata fuit, quamvis ex gratia Principis in perpetuum exilium illam deinde commutari obtinuerit, ut deponunt Testes *Summario num.* 9. *à litt. l. ad P.*

Præmissa juris dispositionem respiciunt, quod vero spectat ad probationes facti super commisso Stupro, si repetantur, quæ coram Judice prioris instantiæ Margarita adduxerat, hæc porro reducuntur ad juratam sui ipsius declarationem, necnon ad nonnullorum Testium fidem in vicinia, & per Civitatem publicam percrebuisse vocem, & famam Francisco tribuentem sequutam Margaritæ violationem. Siquidem ultra quod juramentum in supplementum plenæ probationis, utpotè præstitum post interpo- 14
sitam appellationem, vitio apertæ nullitatis remansit infectum, ad *Text. in Cap. Non solum de appellat. in* 6., *Rota dec.* 865. *n.* 4. *cor. Molines*, *& in recent. decis.* 257. *num.* 1., *&* 2. *par.* 17., & plenè circumscriptum virtute rescripti plenæ Signaturæ *de appellatione*, cujus virtus, & indoles exigit, ut de medio tollat, & revocet quid- 15
quid post editam Sententiam, & proposi-

positam appellationem gestum fuerit, ut firmat *Constantin. ad Statut. Urbis annot.52. num.291.*, *& seqq.* Præterea quoties contentio versatur, prout hic, circa Causam Matrimonii, quæ dicitur de gravioribus, cum adimat Hominis libertatem, eique indissolubile Conjugii vinculum injiciat, regu-
16 lariter non est locus delationi hujusmodi juramenti, *Gloss. in Cap. Mulieri verb. Absolutio in fin. de Jurejurand.*, *Mascard. de probat. in proœm. quæst.9. num.43.*, *Barbos. de offic.*, *& potest. Episcop. allegat.* 84. *num.* 10. *par.3.*, *Bonsin. ad Bonnim. general. cap.6. append. unic. num.12.*, *& 13. tom.1.*, *Rota decis.1. num.14.*, *& 15. titul. de Sponsal. coram Falconer.*, *& in Pampilonen. Sponsalium 16. Decembris 1726. §. Nec probatio coram clar. mem. Card. Cincio.*

Et licèt quandoque similes jura-
17 tæ declarationes pro aliquali adminiculo sperni non promeruerint, id certè actum non fuit, nisi ubi de integra Fœminæ honestate, & de æquali statu, conditione, & fortuna nulla emersit
18 ambiguitas; Ast ubi jure, meritoque dubitari valet de non illibata fama Stupratæ, & insuper innegabilia proferuntur documenta tam super immodica illius paupertate, quam super vi-
19 lissima conditione, & statu, ut superius fuit ponderatum, tunc unisonus omnium Doctorum famulatur assensus, ut sicuti in tali themate memorata declaratio confecta videtur ad augendum incrementum propriæ fortunæ, &
20 conditionis, & ad sese erigendam de Famula in Dominam, ita penitus veniat despicienda, ut probat *Ricciardel. Lyc. Eccl. cap.9. §.1. sect.2. n.2.*, *& 5.*

Maximè advertantibus veritati præfatæ declarationis plurimis magni ponderis defectibus, ac inverisimilitudinibus. Primo enim circa tempus fatetur, se passam fuisse Stuprum quadam nocte, qua ob continuam assistentiam infirmitati Valentinæ Creus ad reficiendas vires lecto se recepit, abs-
21 que eo, quod expresserit præcisum diem passæ de propria Virginitate jacturæ; Itidem supponitur, quoad locum, delictum evenisse in mansione contigua Cubiculo, in qua ægrota jacebat dicta Valentina cum persona eidem jugiter assistente, & tamen de gemitibus, & vocibus adeo innocentis Puellæ quidquam audiverunt nèc Valentina infirma, nèc persona eidem assistens, quod sanè valdè est inverisi- 22
mile; Et demum præmissis robur addit, ac firmitatem tarditas conquestionis non prius propositæ, quam post octo mensium spatium, & in actu discessus à Domo Francisci, signum ca- 23
lumniæ in Accusante, & innocentiæ in Accusato ex animadversis per *Ricciardel. Lyc. Eccl. cap. 17. §.8. num.62.*, *Panimol. decis.93. annot.2. num.20.*

Quod vero spectat ad Testes de publica voce, & fama constat, non ex alia causa eamdem habuisse originem, quam a mendacibus conclamationibus; & conquestionibus per Margaritam panditis in actu discessus ab illius Domo, & in odium dimissionis a famulatu, quin aliquid, vel minimum referant super indiciis proximis, aut remotis carnali conjunctioni. Quare 24
hujusmodi publicæ voci, & famæ magis deferendum non est, quam Margaritæ ejusdem Auctrici *Bonsin. inBannim. Gener. tom.1. cap.6. appendic. unic. num. 9.*, *Rot. cor. Falconer. decis.13. num.14. tit. de probat. & in dicta Pampilonen. Sponsalium 6. Decembris 1726. §. Testes coram clar. mem. Card. Cincio*; *& in Majoricen. Sponsalium prima Aprilis 1748. §. Quin repromissionis coram R. P. D. meo Bussio.*

Demonstrato ex præmissis non constare deStupro commisso per Franciscum, & multo minus de illius qualitate sub fide Matrimonii, confecta- 25
riè sequitur removendum quoque esse illius arrestum intra Civitatem Civitellæ, tamquam collabescens ex totali insubsistentia suppositi, super quo Judex anteactæ instantiæ idem injungendum fore præscripsit. Cæterum 26
idem Arrestum loco Carcerationis succedens ex traditis per *Caball. resol. Crim. cas.8. n.13.* initio judicii, nullis adhuc editis probationibus, præter unicam Defloratæ accusationem, rectè injungi nequiverat, *Farinac.* 27
cons.11. num.48., *& cons. 69. num.3. lib.1.*, *Honded. cons.107. n.15. tom.1.*,

S f *Scan-*

Scannarol. de visit. Carcer. lib. 2. §. 5. num. 7.

Et ita &c. unica &c.

EADEM CORAM EODEM

Super Subministratione, & sumptibus Litis.

Lunæ 6. Martii 1752.

SUMMARIUM

1 *Sumptus litis debentur, si concurrat assistentia boni juris, & petentis paupertas.*

2 *Non debentur Fœminæ contra assertum Stuprantem ab ipsa de Stupro calumniatum.*

DECIS. XIII.



Adversus Sententiam Vicarii Generalis Minoricarum, decernentem Margaritam Miret admittendam esse ad juramentum suppletorium super asserto patrato stupro a Doctore Francisco Creus sub fide Matrimonii, eumque adigendum ad contrahendas Nuptias in faciem Ecclesiæ, Causa conscendit ad Sacrum Tribunal, cumque enixè petente eadem Margarita, ultra dubium super negocio principali, alterum subscripserim = *An, & a quo tempore, & in qua summa sint subministranda alimenta, & sumptus litis* = eo in hodierna audientia Dominis meis exhibito, emanavit resolutio = *Pro Informante*, videlicet = *Negativè in omnibus* =

Duo enim extrema concurrere oportet, ut decernatur alimentorum subministratio, & sumptus litis, nimirum assistentia boni juris, & peten-
1 tis paupertas, ut sæpissimè firmavit *Rota*, & signantèr *in Romana Filiationis super alimentis* 28. *Januarii* 1726. §. *Licèt coram bon. mem. Nunez*, & *in Tyburtina Societatis*, *et Redditionis Rationis super expensis, et sumptibus litis* 8. *Maii* 1750. §. 2. *coram R. P. D. meo Caprara*; Admissa autem in hypothesi etiam paupertate Margaritæ, exulat certè a toto genere alterum extremum in bono jure repositum; quippè quia cum ex rationibus latè expositis in altera mea Decisione manifestè constiterit per injuriam insimulari Franciscum Creus de 2
prætensa violatione, & Stupro, sequitur indè boni juris assistentiam eidem Margaritæ amplius non favere, *Rot. coram Priol. decis. 36. num. 1., coram Benincas. decis. 345. num. 1., et coram Eminentissimo Card. Tanario dec. 272. num. 8.*

Et ita &c. unica &c.

EMINENTISSIMO BUSSIO

Majoricen. Sponsalium.

Lunæ 9. Aprilis 1753.

Confirmatoria duarum præcedentium.

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decis. 12.

SUMMARIUM

1 *Facti species* & n. seq.

3 *Vir honestus non præsumitur propriam deflorasse famulam.*

4 *Stuprum fuisse commissum cum promissione Matrimonii, probari debet validissimis argumentis.*

5 *Licet Stuprum probetur præsumptionibus, & conjecturis,*

6 *Talia tamen esse debent indicia, ut Judex firmiter, & prudenter credere possit fuisse commissum, et fidem Matrimonii fuisse præstitam.*

7 *Si Stuprata non sit fœmina vulgaris, et honestissimis antea moribus prædita, facilius ei creditur deponenti tam de persona Stuprantis, quam de Stupro posso sub fide futuri Conjugii.*

8 *Non dicitur Nobilis Fœmina famulatui addicta, quæque viliora in privata domo præstat servitia.*

9 *Non dicitur honesta famula, quæ solet vagari per Civitatem, etiam nocturno tempore, et etiam invitis Dominis.*

10 *Vel*

10 *Vel quæ in publica Caupona cyatum vini a Milite sibi oblatum non respuit.*
11 *Vel in Sutoris apotheca se jocis amicam ostendit.*
12 *Externa verecundia Virginum decor est.*
14 *Publica vox, et fama contra assertum Stuprantem ab ipsa Suprata, ejusque fautoribus pervulgata non est attendenda.*
15 *Testes honestiores, meliori scientiæ causa subnixi, et ad excludendum crimen inducti sunt aliis præferendi.*
16 *Famula non habet incorruptæ honestatis præsumptionem.*
17 *Ubi de Mulieris fide dubitatur, illius juramentum suppletorium ad probandum Stuprum sub afferta fide Matrimonii commissum non admittitur.*
18 *Maxime si sit nullum, ex quo fuerit præstitum pendente appellatione.*
19 *Item si reprobetur contrario Juramento asserti Stuprantis, cui sit major nominis integritas.*
20 *Querela Stupri octo Mensibus dilata falsitatis auget suspicionem.*
21 *Ad probandum Stuprum cum promissione Matrimonii non creditur Juramento Stupratæ patientis multas exceptiones, quæque suam fortunam ita quærit.*
22 *Nec arrestum asserto Stupranti ex hac causa inflictum substinetur, sed est revocandum.*

DECIS. XIV.

Ad Vot. VI. num. 50. & ad Vot. VII. num. 123.



Querelam Stupri, quod sub promissione Matrimonii a Doctore Francisco Creus se se passam fuisse supposuit Margarita ejus Famula, feliciter ipsa detulit ad Vicarium Generalem Insulæ Minoricæ, qui priùs ne dictus Franciscus a Loco Civitellæ discederet, præstari jussit cautionem librarum 2000., mox eum ad ineundum Matrimonium cogendum esse pronunciavit: Verum contraria postmodum sorte pugnavit in nostro Sacro Auditorio, ubi, quæ Vicarius Generalis injustè edixerat, revocata fuerunt per Sententiam R. P. D. Mei Amadei prævia Decisione *diei 6. Martii superioris Anni coram Eodem*, nèc quidquam hodie profecerunt conatus per Defensores Margaritæ coram Me viriliter adhibiti, eis quippè non obstantibus, DD. sub consueto Dubio interrogati Responderunt = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* = 1

Et sanè validitas, & justitia Sententiæ Rotalis omnimodam ejus confirmationem suadebant ex *Text. in Cap. Causam 14. §. Licet de Sentent.*, *& Re Judicat.*, cumque nullum de validitate esset inter Partes discrimen, justitia perspicuè eruebatur ex ipsamet institutæ actionis arduitate. Res 2 quippè est de Famula, quæ conditionem suam usque ad Domini Thalamum efferre cupiens, gravissimum ei Stupri crimen impingere non erubuit, & qualitatem insuper promissi Matrimonii superaddere adnititur: Cum verò id nedum adversetur juris præsumptioni pro Hominis præsertim non vulgaris honestate militanti, *Caball. resolut. crim. cas.* 200. *n.* 11., *& seq.*, 3 *Conciol. alleg.* 98. *num.* 28., *Rota in Placentina Separationis Thori 5. Junii* 1752. §. 5. *coram Me*, sed insuper vergat ad injiciendum perpetuum vinculum Matrimonii, validissimis undiquè argumentis evicendum esset, & quantacumque sit difficultas probationis in occulta, de qua agitur, materia nonnisi ex præsumptionibus, & 4 conjecturis ut plurimum eruendæ, ut ait *Rota ad ornat. Cardin. de Luca* 5 *tom.* 1. *lib.* 14. *decis.* 7. *num.* 9., *& in Leodien.*, *seu Aquisgranen. Sponsalium* 3. *Februarii* 1741. §. *Idque coram Reverendissimo P. D. de Thunn*, talia nihilominus proferre oportet indicia, ut Judex ex eis firmiter, ac prudenter Stuprum commissum, & fidem Matrimonii præstitam esse opinetur, alias non decet in Causa status nati- 6 vam Hominis libertatem adimente, ex incertis, vagisque conjecturis inconsultò judicare, ut promiscuè notat

Rota in Marianen., *seù Acien. Nullitatis Matrimonii* 3. *Decembris* 1736. §. *Ulterius coram Me*, *&* *in Tuden. Sponsalium* 20.*Jun.*1746. §. *Absque eo cor. R. P. D. meo Caprara*, *&* *in Tarentina Sponsalium* 30. *Junii* 1747. §. 1. *cor. bon. mem. Lana*, cum aliis in *Decisione R. P. D. Mei Amadei* §. *Asserit*, *&* §. *Quin*, *&* §. *Præmissa*.

Maximum verò pro Causis hisce dijudicandi fundamentum desumi solet à qualitate Mulieris, quæ si non inter vulgares Fœminas recenseri possit, & moribus anteà honestissimis prædita comperiatur, facilius suadere valet sese nèc de Stupri Auctore mentiri, nec nisi sub fide Conjugii viola-
7 ri passam esse *Rota in Feretrana Sponsalium super Remissoria* 28. *Junii* 1748. §. *Omnium*, *&* *seq. coram Me*, *&* *in Constantien. Sponsalium* 7. *Junii* 1751. §. *His igitur cor. R.P.D. Meo Matthæjo*; Ast qualitas Mulieris in casu nullum sanè ei favorabilis præsumptionis tribuere valet præsidium: Si enim loquimur de illius conditione, putida omninò est Nobilitatis jactantia, quoties constat Actricem sese Famulatui addixisse, & viliora quæ-
8 què in privataDomo præstitisse servitia His maximè accedentibus, quæ refert *Decisio R.P.D. Mei Amadei* §. *Plurimum* Sin autem loquimur de moribus, non utique sese Actrix talem probat, ut ejus vivendi ratio illibatam, omnique suspicione immunem evincat integritatem: Ipsa enim sola per Civitatem vagari, & etiam nocturno tem-
9 pore, & etiam invitis Dominis quandoquè consuevit: Ipsa in publica Caupona cyatum vini a Milite oblatum non respuit, & in Sutoris Apotheca se
10 jocis non inimicam ostendit; Ipsa demum externam verecundiam, quæ Virginum Decor est, non adeo rigidè
11 custodivit, ut non immò ingenitæ hilaritati plus æquo sæpius indulserit, quæ quidem omnia incorruptæ pudici-
12 tiæ rationi minus accommodata probat *Decisio R. P.D. mei Amadei* §. *Plurimum*, &consonat *Rota in Imolen.*, *seù Bononien. Filiationis super Successione* 27.*Januar.*1747. §. 6., *&* 11.*cor. Me*.

Exclusa itaque præsumptione favore Mulieris, acta adversus eam Causa videri potest, cum probationes in Stupri argumentum cumulatæ adeò infirmæ sint, ut ipsemet Vicarius Generalis in Sententia Margaritæ cæteroquin supra meri- 13
tum favente ex indiciis, & Testibus nonnisi semiplenam desumi posse dixerit probationem, quam tamen plenissimam reddi posse censuit ex delato Mulieri juramento: Et reverà nulla nèc remota, nèc proxima in toto, qua latè patet processu, legitur conjectura impudici amoris inter Actricem, ac Reum, & Testes dumtaxat proferuntur de asserto Stupro deponentes ex publica voce, & fama, quæ, utpotè ab ipsamet Actrice, ejusque Fauto- 14
ribus pervulgata, nil quidquam pro arduo, de quo agitur, effectu attendi meretur, ut ultra adductos *in Decisione R.P.D. mei Amadei* §. *Quod vero* firmat *Rota in Pampilonen. Sponsalium* 6. *Decem.* 1726. §. *Testes coram Cardinali Cincio*; Maximè quia Testes centenis in persona, & in dicto exceptionibus obnoxii, ulterius rejiciuntur a Contrariis favore Rei deponentibus, qui utpotè honestiori conditione præcellentes, meliori scien- 15
tiæ causa subnixi, & ad excludendum crimen inducti, fidem utiquè minus proferunt imminutam *Rota in Moguntina Sponsalium* 20. *Novembris* 1741. §. *Quin*, *&* *in Perusina Separationis Thori* 7. *Febr.* 1746. §. 2. *&* *seq. Utraque cor.R.P.D. meo Molino*.

Unica ergò Spes per Actricem reponitur in suomet juramento apud acta edito: Ast redit adversus illud qualitas non integerrima Mulieris, quæ ex hoc solum, quod vilis Famula est, 16
& incorruptæ honestatis præsumptione destituitur, perperam innititur suomet juramento, quod in hisce Causis nunquam admittitur, ubi de juratæ Mulieris fide quoquo modo dubitatur, 17
ut ait *Decisio R.P.D.mei Amadei* §. *Et licet*, & firmat *Rota in Amerina Sponsalium* 22. *Nov.anni* 1737. §. *Siquidem* *&* *seq. coram Card. Calcagnino*. Quod si semper verum est, gravius etiam urget in casu, ubi juramentum Mulieris utpotè pendente appellatione 18
præstitum, nullum fortè fuit, *ad Text. in Cap. Non solum de appellat.*, ubi

ubi ulterius in ejus reprobationem adest contrarium juramentum Viri, cui
19 major nominis integritas, majorem quoque fidem conciliat *Rota coram Falconer. tit. de Sponsal. decis.2. n.9. & in Feretrana Sponsalium 18. Martii 1748. §.6. coram Me*, ubi itidem quærela Stupri octo Mensibus ab eo passi dilata, falsitatis auget suspicionem, ut ait *Ricciardell. in Lyc. Ec-*
20 *clesi. cap.1. §.8. num.62., & seq.* ubi demum Mulieris declaratio circà passum Stuprum inverosimilis est in multis, quæ narrat *Decisio R. P. D. mei Amadei §. Maxime* quæque repetere non oportet, sed gravissimè obstant ne credatur Mulieri fortunam suam ex hujus generis declaratione quæritanti contra regulam, de qua *Bonfin. ad*
21 *bannim. general. tom.1. cap.6. append. unic. num.13., Rota in Firmana Donationis 30. Junii 1741. §. 14. coram Rmo P. D. meo de Vais Decano*.

Cum itaquè nullum ex his commissi Stupri, minusque promissi Matrimonii eruatur contra Franciscum Creus argumentum, non modo ipse ab ineundo exoso Conjugio absolvendus est, sed insuper omnimoda frui debet libertate discedendi a Civitate,
22 intrà quam ex injusto Decreto Vicarii Generalis jamdiù detinetur, ideoque Arrestum eidem inflictum revocare omnino oportet, ut concludit Decisio *R.P.D. mei Amadei*, ad quam plenissima inomnibus relatio habita fuit.

Et ità &c. Utraque &c.

EMINENTISSIMO PAMPHILIO

Postea Innoc.X.

Mediolanen. Sponsalium.

Veneris 14. Martii 1608.

ARGUMENTUM

Contrahens Sponsalia etiam jurata per verba de futuro non tenetur ad observantiam, si adsit legitima causa non observandi, quæ remittitur Judicis arbitrio.

SUMMARIUM

1 *Contrahens Sponsalia sive jurata, sive non per verba de futuro cogitur regulariter etiam per censuras contrahere Matrimonium per verba de præsenti*, & num.9.

2 *Fallit ista regula, si concurrat aliqua causa, quæ Judicis arbitrio legitima reputetur*, & n. 10. & seqq.

3 *Legitima causa non cogendi contrahere Matrimonium reputatur derogatio famæ, & bonoris recusantis contrahere proveniens ab illo, qui petit coactionem*, & num. 4.

4 *Item odium ortum ex prædicta infamatione, & de quo protestatur infamatus*.

5 *Item, si Sponsalia non fuerunt contracta bona fide, sed malis artibus*.

6 *Item si supervacanea sit futura monitio, & excommunicatio*.

7 *Matrimonia coactè contracta habent, ut plurimum, infelicem exitum*.

8 *Revocatio rerum, & actorum factorum a Procuratoribus non suffragatur principali, si facta sit tempore non congruo, vel ex consilio agentium, nec ista tollit diffamationem, odium, ac alia pro legitima causa abstinendi a coactione superius recensita*.

12 *Quomodo autem contrahantur Sponsalia per verba de futuro*.

13 *Si Sponsalia contracta sint inter conjunctos cum conditione, si Papa dispensaverit, sequuta dispensatione, requiritur novus consensus*.

DECIS. XV.

Aliàs decis.96. inter impress.cor.eod.

Ad Vol.III, num.28.51. & ad Vol.IV. n.142. & ad Vol.V. n.48. & seq.



Visum fuit Dominis Annam Mariam non esse cogendam ad contrahendum Matrimonium cum Marco Antonio, cum quo Sponsalia per verba de futuro contraxit, quamvis enim regula 1 sit contra ipsam, ut hujusmodi Sponsalia teneatur observare, possitque cogi

cogi etiam per censuras ad contrahendum per verba de præsenti *Cap. Ex literis il secondo Cap. Sicut Cap. Requisivit de Sponsalib. Cap. De illis il primo* ubi *Abb. & alii de Desponsat.impub.* sæpius tamen fuit resolutum, etiamsi Sponsalia sint jurata, abstinendum esse a coactione, ex causa, quæ Judicis arbitrio legitima reputetur, ut
2 tradit *Host.* quem cæteri sequuntur *in d. Cap. Requisivit*, ubi *Abb. n. 4. & in d. Cap. Ex literis num. 8. Silvest. in summ. verb. Sponsalia n. 10. Ruin. cons. 203. sub num. 5. vers. Et plus etiam lib. 1.* & fuit dictum *in Aquilegien. Sponsalium 10. Decembr. 1599. coram Emo Card. Pamphilio.*

In præsenti autem casu adesse legitimam causam Domini sunt arbitrati ex eo, quod ex Processu, & aliis pro Anna Maria deductis constat fuisse
3 per Marcum Antonium ejus famæ, & honori derogatum, dando articulos, & examinando testes super ignobilitate Patris, & infamia Matris, quæ infamatio circa honorem præbet justam causam recedendi a Sponsalibus, & recusandi cum illo Matrimonium contrahere juxta tradita in *d. Cap. Ex literis il secondo, & Cap. Requisivit de Spons.*; & in specie fuit dictum in causa *Hispalen. Matrimonii 10. Junii & 9. Decembris 1580. coram Rubeo, & in causa Ulixbonen. prætensi Matrimonii 7. Junii 1599. coram bon. mem. Litta.*

Præsertim quod, ut per suas literas mihi significavit Anna Maria, ita abhorret ab istis Nuptiis, & tali
4 odio Marcum Antonium prosequitur propter infamiam sibi ab eo ob prædicta irrogatam, ut illum habeat pro inimico capitalissimo, & potius sit passura mortem, quam cum eo Matrimonium contrahere, quæ etiam habetur pro legitima causa abstinendi a coactione *Doct. in d. Cap. Ex literis il secondo*, & ibi *Abb. num. 8. & in d. Cap. Requisivit num. 4. de Sponsal.* & tenuit *Rota in Toletana Matrimonii 27. Jan. 1595. coram Emo Card. Seraphino, & in Causis Ulixbonen. & Aquilegien. supra citatis.*

Accedit etiam, quod tàm ex prædictis, quàm ex substentatione litis colligitur, quod ipsa persistit in voluntate recedendi ab istis Sponsalibus, quæ etiam ex testibus ponderatis per 5
Informantes secundum aliquos ex Dominis non videntur bona fide contracta, neque ea libertate, quæ in illis requiritur, itaut ex hoc etiam videatur justa causa ab illis recedendi, & supervacanea futura sit omnis monitio,
& excommunicatio, quo casu Ecclesia debet abstinere a coactione, *juxta Doct. Collect. in Cap. 2. col. penult. vers. Credo tamen quod Ecclesia de Sponsal.* qui ait levissimam causam suf- 7
ficere propter infelices exitus, quos, ut plurimum, hujusmodi Matrimonia coacta sortiri solent, ut dicit *Text. in Cap. Requisivit in fin. de Spons.* & prosequitur *Gabr. cons. 186. num. 5. cum seq. lib. 2.* & tenuit *Rota in dicta Toletana, & aliis causis supra allegatis.*

Nèc Marco Antonio suffragatur, quod articuli fuerint eo inscio dati ab ejus Procuratoribus, & animo non injurandi, & quod fuerint revocati;
quia præter id, quod ipse perquisivit 8
testes, qui super illis deponerent, & revocatio fuit facta longè postquam Causa fuerat in *Rota* introducta, & potius de consilio suorum Agentium, quàm ex ejus voluntate, pro responsione fuit dictum ista non tollere diffamationem indè subsequutam, ne-
que odium Annæ Mariæ indè resultans, 9
& minus, quin habuerit justam causam abhorrendi ab istis Nuptiis, & recedendi a Sponsalibus, itaut propterea sit abstinendum a coactione ex allegatis &c.

In hac Causa alia decisio est coram Coccin. inter ejus impressas 437.

ADNOTATIO.

Num. 1. adde *Rot. coram Seraph. decis. 1112. num. 1. decis. 73. num. 4. post 2. vol. cons. Farinac., Buratt. decis. 311. num. 5. in addit., Coccin. decis. 389. num. 1., decis. 383. num. 2. parte 14. & decis. 142. num. 6. part. 15. recent.*

Num 2. *Buratt. dec. 311. num. 2.* & ibi *Adden. & decis. 412. num. 6., Cavaler. dec. 421. num. 3. dec. 447. num. 2. & dec. 520. num. 2., Cels. decis. 374. num.*

num.4. & 9. Coccin. dec.889. n.3.

Sponſalia enim non ſunt indiſſolubilia ſicut eſt Matrimonium, *dec.19. num.42. par.10. recen.*

Hinc ſi aliqua juſta, vel rationabilis irrepſit cauſa, propter quam alter ex Sponſis recalcitret devenire ad effectuationem Matrimonii, monendus adhuc eſt fraterna charitate, ne a Matrimonio divertat, ſed non cogendus juris gladio, *d. deciſ.19. n. 2, & 44.*

Cum Sponſalia contineant ſemper tacitam hanc conditionem, quatenus
10 res in eodem ſtatu permaneat,& dummodo juſta recedendi cauſa non ſupervenerit *Coccin. dec.437. num. 9. d. deciſ. 19. num. 5. & 40.*

Procedunt hæc etiamſi Sponſalia ſint jurata *Buratt. dec. 311. num. 1. Coccin. d. dec.437. num. 2. deciſ. 185. num.8. par.14. recen.*

Eò fortius ſi non ſint jurata, quo caſu mitius eſt agendum, & quævis cauſa quantumvis leviſſima admittitur *Cavaler. deciſ.447.num.7. & dec.468. num.3, Dunoz. jun. dec. 296. num. 12. d. deciſ. 19. num. 30. par.10.*

Odium vero inter Sponſos juſtè ſubortum pro legitima cauſa ad impediendum effectuationem Matrimonii inter cæteras canonizatur apud *Cavaler. dec.447. num.4.,coram Duran. deciſ.242. num.5.& ſeqq.& coram Celſ. dec.374. num.7.*, & in ſpecie odium proveniens ex diffamatione impudicitiæ, vel ex detractione honoris, *Duran. loc. cit. Cavaler. dec.421. num.4.*

Siquidem odium ſine ulla juſta cauſa ventosè allegatum, nullius eſſet relevantiæ ad hunc effectum, *Coccin. deciſ.889. num.5.*

Prout nec odij ratio attenderetur, ſi illam deduceret pars, quæ injuriam intulit, & e converſo pars, quæ injuriam recepit, Matrimonii executionem exquireret, *Cavaler. dicta deciſ. 421. num. 10.*

Legitima quoque cauſa reputaretur, ut advertitur in hac *Deciſione*, periculum ſcandali, vel mali exitus Matrimonii *Celſ. d. dec. 374. num.7.*, & de Sponſalibus contractis cum non totali libertate ad evitandos infauſtos eventus, ut plurimum, in his caſibus animadverſos tradit *Rot. in dicta deciſ.142. part.15. recent.*

Et regulariter, quæ ſit juſta cauſa ad diſſolvendum Sponſalia, relinquitur arbitrio prudentis judicantis 11
juxta facti circumſtantias, & varietates *Duran. deciſ. 242. num.2. & ſequentibus.*

Quomodo autem contrahantur Sponſalia vide *Cavaler. deciſ. 415. 12*
& 421.

Inter Conſanguineos, & Affines Sponſalia ſunt omnino improbata, etiamſi contraherentur ſub conditione obtinendæ diſpenſationis *Zarat. dec.108. n.25. Buratt. dec. 203. n. 5. dec.227. n.18. par.12. recent.*

Ideo obtenta diſpenſatione requiritur novus conſenſus *Zarat.* ubi 13
ſupra *Coccin. dec. 2222. n. 1. & ſeqq. d. dec. 227. n. 18.*

D. CARDIN. SEPAPHINO

Toletana Matrimonii.

Die Veneris 27. Januar. 1595.

A R G U M E N T U M

Sive Sponſalia ſint nuda, ſive jurata non eſt cogendus Sponſus renuens ad contrahendum Matrimonium quando adeſt juſta cauſa recedendi a Sponſalibus.

S U M M A R I U M

1 *Contrahens Sponſalia de futuro monendus eſt, & uſque ad cenſuras cogendus, ut per verba de præſenti contrahat, ſive Sponſalia ſint jurata ſive non, ſi non adeſt aliqua cauſa recuſationis, ut* n.4.

2 *In Sponſalibus juratis Eccleſia magis ſtudioſe compellit eum, qui juravit, ad contrahendum compulſione tamen moderata, non autem præciſa.*

3 *Debet Judex a compulſione deſiſtere, ſi renuens pertinaciter perſiſtat in recuſatione*, & n.6.

5 *Legitima cauſa non contrahendi Matrimonium eſt magnum odium, quo*

quo Sponsus Sponsam prosequitur vel e contra.

Item morbi gallici suspicio, ut numero 8.

7 *Coacta Sponsalia infelices solent sortiri exitus.*

9 *Exceptiones, quas mulier ante contracta Sponsalia notas non habebat, ex supervenienti notitia præbent justam causam Mulieri recedendi ab eis.*

DECIS. XVI.

Alias decis. 1112. *inter impress. coram eod. tom.*2.

Ad Vot. III. n. 28. sub n. 48. & ad Vot. IV. sub num. 55. & ad Vot. VII. n. 103. 112.



Uamvis regula sit pro Gaspare, quod contrahens Sponsalia de futuro monendus sit, & usquè ad Censuras cogendus ad contrahen-
1 dum per verba de præsenti, sive Sponsalia sint jurata, sive non *Cap. Ex literis il* 2. *& Cap. Sicut, & Cap. Requisivit de Sponsal. Cap. De illis il* 1.ubi *Abb. & alii de desponsat. impub. & in dict. Cap. Ex literis in* 3. *notab. Fel.n.in Cap.* 1. *num.* 12. *de pact. Covarruv. sup.*4. *Decretal.par.*1. *cap* 4. *in princ. n.*2.quamvis in Sponsalibus juratis Ecclesia magis studiosè
2 compellat eum, qui juravit, quamvis compulsione moderata, non autem præcisa *Abb. in Cap. Requisivit in fin. Felin. in d. Cap.* 1. *num.* 12. *de pact. Sylvester in verb. Sponsalia num.* 4. cum allegatis per *Gabriel. conf.* 186. *num.*10. *lib.*2. & parte persistente in recusatione pertinaciter Judex tenea-
3 tur a coactione desistere d. *Cap. Requisivit*, ubi *DD.supra allegati*; Hæc tamen regula limitatur, ut non pro-
4 cedat, ubi adest aliqua causa recusationis, propter quam debeat Judex arbitrari non esse procedendum ad coactionem, ut per *Jo:Andr. Hostiens. Butr. Ancharan.*, *Abb.*, *Præposit.*, & alios in *d. Cap. Requisivit Sylvest. in Summ. in verb. Sponsalia num.*10. *Lup. in Cap. Per vestras* §.8. *num.*15. *Covarruv. ubi supra num.*4. & fuit decisum in *Causa Valentina Matrimonii coram SS. D. N. Clemente VIII. anno* 1579. *& in Hispalensi Sponsalium coram bon.me.D. de Rubeis* 1580. & alias sæpius. In casu autem proposito visum est DD. sufficienter constare de causa, 5
quia ex testibus examinatis pro parte Mulieris constat eam abhorrere ab hujusmodi Nuptiis, & odio prosequi Gasparem, ita ut potius electura sit sese in flumen projicere, quam secum contrahere, & hæc est legitima causa desistendi a coactione, ut per *Abb.* supra *cit. in d. Cap. Requisivit num.*3. *& in d. Cap.Ex literis n.*8. *cum aliis*, quæ res comprobatur ex litis substen- 6
tatione per plures instantias, ex quo apparet frustratoriam fore excommunicationem propter obstinatum ipsius propositum *Collect. in Cap.* 2. *col* 2. 7
de Sponsal. solent enim coacta Sponsalia infelices sortiri exitus *Gabriel. d. cons.* 186. *num.* 9. & hoc præsertim, quia videtur satis justa causa subesse 8
recusationis propter morbi gallici suspicionem per ea, quæ tradit *Majol. de irregular. lib.* 2. *cap.* 19. & facit text. in *Cap. Quemadmodum* §. *Quid si post de Jurejuran.* & licet morbus iste non plenè probetur, cum de eo unus tantum testis deponat, tamen est Medicus, qui illum curavit, & satis videtur ad hunc effectum, quod Mulier vehementi suspicione affecta 9
hunc abhorreat; Accedunt aliæ exceptiones, quas non apparet notas fuisse Mulieri ante contracta Sponsalia, & ex supervenienti notitia potest recedere *Sot. lib.* 4. *sentent. distinct.* 27. *quæst.*2. *artic.*5. *vers. Nono quando alter*.

Et ita conclusum unanimiter per DD.

R.P.D.

R. P. D. ANSALDO

Albanen. Sponſalium ſuper Cenſuris

Lunæ 15. *Decembr.* 1710.

ARGUMENTUM

Ad Cenſurarum fulminationem deveniendum non eſt ad effectum cogendi Sponſam ad contrahendum per verba de præſenti Matrimonium, quando eadem Sponſa, vel expreſsè faſſa fuerit coram Ordinario, ſe velle potius Carceres, & Cenſuras ſubire, quam Matrimonium contrahere, vel quando habet juſtam, ac legitimam cauſam reſiliendi: Quæ autem dicatur juſta cauſa renuendi, habes fuſius in Deciſione, ubi etiam Nonnullorum opinio affertur, quod ſi Sponſalia non ſint jurata, rigorosè non obligant, & latè etiam examinantur, atque inter ſe conciliantur bini *Textus Canonici in Cap. Ex literis*, *& Cap. Requiſivit* primum *Alexandri III.* ſecundum *Lucii Papæ* pariter *III. de Sponſal.*

SUMMARIUM

1 *Sponſa, ſive Sponſus ſi recuſent Matrimonium contrahere, poſſunt remedio Cenſurarum juxta ſacros Canones compelli.*

2 *Sac. Rota contra Refractarios mandatorum, ſeu exequutorialium relaxare ſolet Cenſuras in aggravatoriis, ſeu declaratoriis.*

3 *Idemque facit A. C. in vim obligationis Cameralis contra ſolvere jurata debita detrectantes.*

4 *Vel penſiones Eccleſiaſticas a Summo Pontifice ſub præventiva comminatione eorumdem Cenſurarum in caſu reluctantiæ reſervatas.*

5 *Et licèt hæc omnia practicari ſoleant, quoties ita exigat Juſtitia, temperanter tamen Eccleſia eadem arma adminiſtrat, et quomodo?*

6 *Sponſa raro eſt ſub Cenſuris cogenda ad contrahendum Matrimonium, ſed potius monenda.*

7 *Conciliantur in hac materia Cenſurarum Text. in Cap. Ex literis, et Cap. Requiſivit de Sponſal.*

8 *Sponſus poſt copulam ſub promiſſione, ſive ſponſione contrahendi Matrimonium non excuſatur a poſtea ineundo idem effectivum Matrimonium ob quamlibet cauſam, & præſertim inimicitiæ ſubortæ inter Conſanguineos.*

9 *Niſi quoties ulterius cum altera Muliere Matrimonium in faciem Eccleſiæ contraxerit, tunc enim non irritatur ſecundum Matrimonium per Sponſalia, & copulam præcedentem.*

10 *Juſtitia cauſæ ad effectum reſiliendi ab initis Sponſalibus remittitur religioni, et arbitrio Judicis.*

11 *Quod procedit etiam circa juſtam cauſam litigandi, quæ excuſare poteſt a refectione expenſarum.*

12 *Legitima cauſa abſtinendi a coactione reputatur non interventus Sponſæ celebrationi Sponſalium, et defectus juramenti ab ea præſtiti.*

13 *Contrahens Sponſalia, ſive jurata, ſive non, cogitur regulariter etiam per Cenſuras contrahere Matrimonium per verba de præſenti.* *Limita ut* n. 16.

14 *Citati Text. in Cap. Ex literis, et Cap. Requiſivit de Sponſal., magnum conſtituunt fundamentum ſuper importantia juramenti.*

15 *Contractus, et promiſſiones exaratæ per Minores non attenduntur, ſed roboratæ juramento ipſos affligunt.*

16 *Sponſalia ſi non ſint jurata rigorosè non obligant.*

17 *Text. in Cap. Ex literis loquitur de Maſculo, Cap. vero Requiſivit loquitur de Fœmina, et ſic mitius inceditur ſi reſipiſcentia proveniat ex parte Mulieris.*

18 *Mulieres enim, quantò magis ab initio ſunt mobiles, et pronæ ad aſſentiendum.*

19 *Eò ex poſt pertinaciores fiunt.*

20 *Eccleſia facilius ſe abſtinet a coactione, mitiuſque incedit, ſi Mulier proteſtata fuerit ſe potius Carceres, et Cenſuras ſubire, quam nubere alicui.*

21 *Quæ dicatur justa causa in Muliere resiliendi a contrahendo Matrimonio de præsenti* , & n.25.

22 *Feminæ sicuti amari summoperè cupiunt* .

23 *Ita spretæ tantam concipiunt iram, ut insanire videantur* .

24 *Mutuus assensus recedendi a Sponsalibus inducitur , si nulla fuit facta reclamatio actui indicativo recessus ab iisdem Sponsalibus.*

25 *Unumquodque dissolvitur eo vinculo , quo colligatum est* .

26 *Censuras relaxat Ecclesia ad eum tantum finem ineundi experimentum , itaut si Sponsa post Ordinarii monitiones renuat , ad illarum fulminationem non est deveniendum* .

27 *In Matrimonio spirituali coactio licita non est , et sufficit Ordinarii exploratio ad hunc effectum adhiberi solita* .

28 *Quod procedit etiam in Matrimonio Carnali , cum de uno ad alterum Matrimonium valeat similitudo , et illatio* .

DECIS. XVII.

Alias decis.516. inter impress. cor.eod.

Ad Vot. III. sub num. 46. 53. & ad Vot. IV. num.145. & ad Vot.VII. sub num. 104. 5. Aut si post , & num.108. 114. 193.



Quemadmodum contigit in illa celebri *Viennen. Matrimonii* acriter exagitata inter duos nobilissimos Magnates , & Principes , *Sacrum quidem Auditorium sub die 25. Junii 1703. cor. R. P. D. meo Scotto* censuit *constare de Sponsalibus*, sed exitu, seu consequutivo effectu postmodum in substantia parum felici , quia non ob id subsequi potuit illudMatrimonium, cujus præciso intuitu celebrantur , seu præmittuntur hujusmodi Sponsalia ex rationibus uberrimè deductis in prædicta *Decisione R. P. D. mei Scotti* ; Ita pariter accidit in præsenti , nam etsi per contemporaneam resolutionem, seu *Decisionem hujus diei coram me* Rota existimaverit citra dubium justificata remansisse Sponsalia contracta inter Joseph , & Angelam , non ideò tamen credidit compellendam esse Angelam postea detrectantem ad ineundum Matrimonium cum Josepho, licet is imploraret auxilium brachii spiritualis mediante relaxatione Censurarum , quoniam Domini re maturè perspecta judicarunt *nullas esse relaxandas Censuras* .

Quantumvis quippè Sacri Canones velut , ut par est , Zelotypi Custodes religionis , & honestatis , summoperè invigilent, ut Fides data præsertim in materia concernente Sacramentum minimè rumpatur , & ideò prius Episcopalibus monitis , aliisve remediis , & subsidiariè deinceps Ecclesiasticis quoque Censuris perurgendum sæpesæpius injungant reluctantem implere promissa , sicuti rescribens Episcopo Pitavien. , ad quem delatum fuerat negotium ab alieno Episcopatu Sanctonensi , mandavit , & injunxit 1 *Alexander Tertius in Cap. Ex literis il secondo , alias 10. de Sponsalibus* , ibique *scribentes* , *Covarruv. in Epitom. lib. 4. decret. par. 1. cap. 4. Hieronym. Gabriel. in cons. 159. n. 1. lib.2. Soccin. Jun. cons.30. n.3. lib.2. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp.29.n.4. Guttier. Canon. quæst. in tractat. de Matrim. cap. 15. num.2. §. Tertia verior* cum aliis per *Rot.in dec.311.n.5. in addit.coram Burat.,dec.889.num.1. cor. Coccino , dec.383.num. 2. par.14. & decis.142. num.6.par.15.rec.* , necnon *dec.96. num.1. cor. Pamphilio* .

Ecclesia quippè veluti simplex Ecclesia nusquam custodienda more Castrorum , ut dicebat Ecclesiasticæ Assertor , & exemplum libertatis *Divus Thomas Cantuarlensis* quotidiè ejus spirituale præsidium , seu brachium implorantibus non desinit accommodare ; nam cessantibus de facto , vel de jure modis aliis assequendi justitiam , in quoddam subsidium , ut præmisimus , sæpe sæpius evaginat mucronem Censurarum , prout practicè videmus , ac dum in fermè continuis declaratoriis , & aggravatoriis, quas Sacera Rota relaxat contra Refractarios mandatorum , sive Exequutorialium Tri-

Tribunalis, nee non ipsemet A. C. in
vim Cameralis obligationis contra sol-
vere jurata debita detrectantes, vel
etiam pensiones Ecclesiasticas a Sum-
mo Pontifice sub præventiva commi-
2 natione earumdem Censurarum in ca-
su reluctantiæ reservatas, secundum
ea, quæ passim habentur respectu no-
strarum declaratoriarum *in dec. 1. de
Sentent. excom. coram Mobedana* ap-
probante praxim de qua *Vestrius in
cap. ult. lib. 1. num.* 19. & theoricam
*Felin. in Cap. Ad proban. n. 6. de Sen-
tent., & re judic., & cor. Seraph.
dec.* 551. *num.* 4. *in rec. dec.* 12. *n.* 1.
3 *par.* 11., necnon *in dec.* 1787. *num.* 3.,
& dec. 1193. *n.* 1. *cor. Emer. Jun.*, cir-
ca obligationem Cameralem ex addu-
ctis *per Card. de Luca de Judic. disc.*
40. *num.* 91., *& in annot. ad Sac.
Conc. Triden. disc.* 43. *n.* 9., *et* 11., *et
de Credit. in Summ. num.* 132. *Rota
4 post Zacch. de oblig. Camer. decis.* 118.
num. 1., *et dec.* 161. *ante num. pr.*, &
circa pensiones ex traditis per eum-
dem *Card. de Luc. annot. ad dictum
Sac. Concil. d. disc.* 93. *num.* 2. latè, &
in Romana pensionis ....
cor. R. P. D. meo Priolo.

Verum hæc omnia licèt practica-
ri consueta, quoties ita exigat Justitia,
temperanter adhuc Ecclesia eadem
arma administrat; nam sicut in mox
relatis exemplis quia fortè repugnan-
tes apparenter evincuntur sanè contu-
maces, sed intrinsecè per occulta im-
potentiæ motiva forsan possunt excu-
sari apud Deum, eadem proinde Ec-
5 clesia, quæ nullatenùs judicat de oc-
cultis, devenire non solet ad ulterio-
rem consummationem per declaratio-
nem ex. gr. incursus in execrabilem
insordescentiam, ob qusm valerent
inobedientes per annum tolerati laces-
siri ad declarandum, quid sentiant de
fide, secundum ea, quæ præ cæteris
in proposito Obligationis Cameralis
connotarunt *Card. de Luc. annot. ad
d. Sac. Conc. d. disc.* 43. *n.* 11. egregiè
Giballin. de Censur. disp. 2. *quæst.* 5.
conject. 7. *num.* 50. *vers. Responde igi-
tur*, *et versic. Ex quibus*.

Quamobrem benignè agens *Lu-
cius Tertius* in proxima nostri casus
hypotesi, & rigidam coactionem exu-
ens, de qua loquebatur Textus supra
relatus in *Cap. Ex literis* quodammo-
dò in oppositum rescripsisse videtur
Episcopo Rapalen. *in Cap. Requisivit* 6
17. *eod. tit. de Sponsalibus*, videlicet
*quod cum libera debeant esse Matri-
monia, monenda erat potius Mulier,
quam cogenda, cum coactiones diffici-
les soleant exitus frequenter habere*,
& id ipsum occasione mutui recessus
præcedenter per illa verba = *ne fortè
deterius indè contingat* = injunxerat
Exoniensi Antistiti *Innocent. Tertius
in Cap. Præterea alias* 2. *sub eod. tit.
de Sponsalibus*; quemadmodum pari-
ter ponderarunt *Abbas in Cap. Ex li-
teris il* 2. *n.* 80., *et Præposit. in præ-
dicto Cap. Requisivit n.* 2. & alii Scri-
bentes *Gabriel. cons.* 186. *num.* 8. *lib.* 2.
Rocc. in prax. for. Eccles. resol. 421.
n. 8. *Mantic. de tacit. lib.* 3. *tit.* 18.
num. 13. *Guttierez Canon. quæst. d.
cap.* 15. *n.* 2. §. *Tertia verior versic. Ni-
si attentis circumstantiis* cum aliis *in
Cadicen. Sponsalium* 21. *Aprilis* 1694.
§. *fin. cor. bo. mem. Ursino*; *In Lunen.
Sarzanen. Sponsalium* 28. *Junii ejus-
dem anni* §. *Ceterum cor. bo. me. Pio*, *&
in Viennen. prætensorum Sponsalium*
12. *Januar.* 1705. §. *Et quamvis cor.
R. P. D. meo Kaunitz*.

In hac igitur specie cujusdam an-
tinomiæ inter utriusque Canonis San-
ctionem *Domini* versantes, opinati
sunt, eam fore amplexandam solutio-
nem, cui fermè universa Schola Cano-
nistarum rationabilitèr adhæsit, & cui
superacessere practicæ ulterius dif-
finitiones nimirum, quod pro regula
accipiendus sanè veniat *Textus in d.* 7
Cap. Ex literis mandans compulsum
per Censuras Ecclesiasticas, pro limi-
tatione verò *alter Textus in prædicto
Cap. Requisivit*, ut nempè, juxta sal-
tem concurrente causa, abstinendum
sit a relaxatione Censurarum, quas de
cætero rectè, & benè *Alexander Ter-
tius in d. Cap. Ex literis* ordinaverat,
per ea, quæ, reliquis adductis, sub hac
conciliatrici distinctione examinantur,
atque firmantur per *Marc. Antonin.
var. resol. resol.* 2. *sub num.* 3. *vers. Ta-
men quando*, *Fontanell. de pact. nupt.
claus.* 12. *gloss. unic. n.* 6. *Rot cor. Seraph.
dec.* 1112. *num.* 4., *cor. Buratt. dec.* 311.

 n. 2.

n.2. & seqq., *& coram Cavaler. dec. 447. num. 1. & d. dec. 96. n.2. 6. & 7. cor. Pamphil*, ubi subditur exuberare etiam quandoquè levissimam causam, & concordant relati in *Comen. Sponsalium* 10. *Junii* 1705. §. *Ratio sic cor. R. P. D. meo Scotto*.

Applicando igitur ad rem, & præcisivè a casu, quo copula fuisset quoque sequuta sub promissione, sive sponsione contrahendi Matrimonium, in quibus terminis, accedente præsertim juramento, non amplius qualibet justa causa Sponsum excusat a postea ineundo idem effectivum Matrimonium, multòque minus illum valet obtegere ab emerita Censurarum ful-
8 minatione, prout signanter satis non est illa causa, cæteroquin præpotens, inimicitiæ subortæ inter Consanguineos, quemadmodum ostendit, & probat *Gabriel. in cons.* 159. *num.* 12. *& seqq. lib.* 2. cum successiva *Rotæ dec. cor. san. me. Clemen. VIII.* de quibus meminit *Ricc. In prax. for. Ecclesiast.*
9 *resolut.* 422. *&* 423. nisi quoties ulterius cum altera Muliere fuerit deinceps actuale Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, quo casu, neque Sponsalia, neque copula sufficiunt ad posterioris effectivi Matrimonii irritationem, ut cum *Navarr. in Manual. cap.* 22. *n.* 26. 28. *&* 76. *& Cap.* 25. *n.* 144. *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disp.* 40. *num.* 3. *Guttierez can. quæst. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 4., ac aliis firmat *Rot. in decis.* 19. *num.* 36. *& seqq. par.* 10. *rec. & in Viennen. Matrimonii* 25. *Junii* 1703. §. *Descendendo cor. R. P. D. meo Scotto*.

Profectò ex toto circumstantiarum complexu justam adfuisse, & adesse causam in Angela resiliendi ab initis Sponsalibus *Domini* reputarunt. Cum enim consimilis Justitia causæ
10 nequeat intra certos Cancellos, sive regulas subincludi, seu coarctari, sed ea remittatur religioni Judicis, & arbitrio, ut in hoc ipso proposito Sponsalium docuere *Guttierez in tract. de Matrim. cap.* 15. *n* 2. §. *Tertia vers. Quia totum hoc negotium*, & relatis *Card.*, *& Anton. de Butr. in suprad. Cap. Ex literis il* 2. *num.* 11. *& Abbate num.* 8. *Aloysius Ricc. in prax. compellendi Sponsos resolut.* 421. *n.* 9., & cæteris cumulatis firmat *Rot. cor. Seraph. in dec.* 1112. *num.* 4. *& dec.* 96. *n.* 2. *cor. Pamphil.*, necnon *in d. Comen. Sponsalium* 10. *Junii* 1705. *cor. Rmo D. meo Molines Decano*, & habemus in simili circa justam causam liti- 11
gandi in exteris Tribunalibus excusativam a refectione expensarum, quæ pariter ab justo arbitrio pendet Judicantis, ex traditis per *Rebuff. tract. de expen. art.* 1. *gloss. unica n.* 38. *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *centur.* 2. *cas.* 217. *n.* 1. *&* 2. *& per Card. de Luc. de Judic. disc.* 39. *num.* 7.

Animadverterunt in primis, quod agebatur de Sponsalibus, quorum celebrationi minimè fuerat Angela præsens, licet forsan, obsequendo Patri, 12
postea eadem Sponsalia ratificaverit per signa, & indicia; Tractabatur de iisdem Sponsalibus puris, simplicibus, & absque ullo Jurisjurandi munimine celebratis, quantumvis namque concors, seu saltem receptior videatur esse sententia existimantium idem jus 13
statuendum fore, sive Sponsalia fuerint jurata, sive non, ex congestis per *Sanchez de Matrim. disp.* 29. *n* 4. *in fine lib.* 1., & relatis *Textibus in dict. Cap. Sicut, et in Cap. Ex literis il* 2. *et in Cap. Requisivit de Sponsalibus*, docet *Ricc. in d. prax. cap.* 416. *num.* 4. *Mantic. de tacit. lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 5. cum cæteris allatis per *Rotam in d. dec.* 1112. *n.* 1. *et in d. dec.* 96. *n.* 1. *cor. Pamphil.*

Attamen denegari non poterat, quod admodùm considerabilis intercederet differentia inter unum, alterumve casum, non solum quia ambo Pontifices *Alexander, et Lucius* men- 14
tionem fecere præstiti Juramenti, tam in *d. Cap. Ex literis*, quàm respectivè in prædicto *Capit. Requisivit*, præcisè verò *Alexander Tertius* injungens Censuras magnum constituisse videtur fundamentum super importantia juramenti, ut ibi = *Quia igitur periculosum est contra suum juramentum venire* = quod & Ethnici in hiscemet Sponsalibus præmaximè venerabantur per illa carmina *Ovidii Epistola* 18.

Jure

Juro tibi sanè per mistica Sacra Dianæ
Me tibi venturam Comitem, Sponsamque futuram, & notavit quoque Gonzalez in dicto *Cap. Requisivit notab. secundo*.

Sed etiam quia volitat per omnia ora legale dicterium, quod duo vincula magis ligant, quàm unum, & de facto nonnè contractus, & promissiones exaratæ per Minores non atten-
15 duntur, sed roboratè juramento ipsos astigunt, ut in *celebri Authentica Sacramenta Puberum Cod. Si adversus vendit.*, ac revera non defuere censentes, quod si Sponsalia non sint jurata, rigorosè non obligent, ut in ordine ad primam propositionem præter literam *textus* prosequuntur *Gard. de Luc. de alienat. disc. 29. n. 13. & de donat. disc. 33. num. 17. Jor. de contract. minor. gloss. 19. §. 1. num. 18.* cum aliis *in dec. 200. num. 23. coram Bich. & dec. 3. num. 7. par. 19. recen.* & circa secundam liquet ex deductis per *Giovagnon. in cons. 16. num 36. & 39. versic. His ita stantibus* = ibi =
16 *Tum quia Sponsalia non fuerunt jurata* = *Gabr. cons. 186. num. 9. & 10. & per Spad. in cons. 152. num. 4.* cum aliis copiosè allatis per *Sanchez de Matrim. d. disput 29. num. 3.*

Observarunt quoque Domini, quod abscedere volens a Sponsalibus non erat in præsenti Masculus, sive Vir, verùm Fœmina duntaxat dissentiebat, idque videbatur maximè reflectendum, si non ad molliendam rigiditatem *Text. in Cap. Ex literis*, saltem ad requirendam minus validam, & fortem justitiam causæ in recusando, & quidem etiam alicui ex *Dominis* videbatur forsan posse facilè cum prædicta distinctione inter Sponsum, & Sponsam, Marem, & Fœminam de per se absque alio progressu conciliari
17 memoratam antinomiam, ex quo *Alexander* loquebatur de Masculo detrectante; *Lucius* vero de Fœmina in præcitato *Cap. Requisivit*, & casum quoque Maris, seu Viri percutiebat allegata ex parte Josephi resolutio
18 *Sac. Congr. Concilii in illa Signina Sponsalium 16. Maii 1705.* Mulieres etenim quantò magis ab initio sunt mobiles, & pronæ ad assentiendum, ut innuens de Eva ponderavit *Divus Gregorius* = ibi = *Quæ magis mobilitate animi, quam pravitate peccavit* = ita ex post fiunt pertinaciores: undè facilius verificatur ratio dicti *Cap. Re- 19*
quisivit loquentis, ut diximus de Muliere, *quod coactiones difficiles solent exitus frequenter habere*; Nam teste *Euripide in Edipo apud Stobeum, aliarum porrò rerum omnium inexpugnabilissima est Mulier, & Aristophanes in Lysistrata, nulla fera Muliere inexpugnabilior*, cum aliis apud *Tiraquell. de l. Connub., & marit. in 9. l. connub. gloss. 1. par. 9. n. 39.*

Potissimè in præsenti, quoniam præter declaratam hujusmodi pertinaciam, seu aversam voluntatem coram D. Vicario Civitatis Albani, ut inferius Angela per publicum quoquè instrumentum coram Notario expressè nuper protestata fuit, se paratam esse potius subire Carceres, & Censuras, quàm nubere Josepho, sicut fusè legebatur *in Summar. num. 11*, juncta successiva, & continuata substentatione litis, in quibus sanè, solisque terminis mitius agendum esse, præci- 20
puè in Sponsalibus non juratis, quodque Ecclesia facilius abstineat a coactione post *Abbatem in d. Cap. Requisivit in fin. de Sponsal. & Gabriel. cons. 186. num. 10. & seqq. lib. 2.* concludit *Rota cor. Cavaler. d. dec. 447. n. 4. & 7. & dec. 468. num. 2. & 3.* & concordat eadem *Rota cor. Pamphil. d. dec. 96. n. 4.* ubi ait hoc simplex motivum præbere justam causam abstinendi a coactione sub pœna Censurarum.

Cæterum hisce omnibus posthabitis, solumque præmissis ad sternendam mitiorem viam resolutioni, justam aliundè concurrisse causam *Domini* existimaverunt per easdemmet rationes suæ mutationis ab Angela patefactas in prædictomet publico recusationis instrumento, & ab extra etiam comprobatis; Sponsalia siquidem apparebant contracta usque de Mense Augusti cum receptione ad commodum promissæ dotis scut. 400. facta per Josephum; Abinde autem 21
citra fermè per annum de Matrimonio am-

amplius nihil ille egit, aut fuit loquu-
tus. Quinimmo nullum præbuit fu-
turæ Sponsæ specimen, sive signum
amoris, quin etiam eam medio tem-
pore aversabatur, & declinabat, quo-
ties in illam incidebat, sive obviam
ibat, unde præsertim in Fœmina cau-
sa hæc videbatur proportionata, ne
vellet amplius totam vitæ consuetudi-
nem mancipare cum Josepho, illique
sempiternum juxta monitum *divi Pau-
li* corporis sui dominium præbere; Ex
hujusmodi namque circumstantiis non
sine ratione subintraverat justa causa
indignationis, quæ fuit secundum fa-
bulas, & Poetam idonea ad parien-
dum incendium, & exscidium Trojæ =

Manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretæque
injuria formæ.

Itaut justè argueret per tam ce-
lerem exactionem dotis, & per adeo
oblongam effectuationem Matrimo-
nii; quod *venirent a dote sagittæ*,
quandoque verificaretur illud *Plauti*
in Tinummo = Spondes ergo tuam na-
tam Uxorem mihi? Spondeo, & mil-
le auri = nam sicuti amari summoperè
22 Fœminæ cupiunt, ut referens *Senecam*
de consolatione ad Albinam innuit *Ti-*
raquell. in tertiam l. connub. gloss. 1.
23 *par.*3. *num.*24. ita spretæ tantam con-
cipiunt iram, ut insanire videantur,
prout prosequitur idem *Tiraquell. in*
*d. l. connub. gloss.*1. *par.*8. *n.*18.

Accedebat in idem, quod Ange-
la introspiciens animum, & intentio-
nem Josephi parum sibi consonam an-
nulum ab eo receptum retromisit, pa-
lam coram Notario, & testibus decla-
rando nolle eum amplius in Sponsum
accipere: Cumque per duos menses
idem Joseph annulum retinuisset citra
ullum conquestum, aut alium motum
extrinsecum, ex hoc satis videbatur,
& ipse quodammodo resiliisse a præ-
cedentibus Sponsalibus ad normam
superius collaudati *Textus In Cap.*
Præterea alias 2. *de Sponsalibus*,
sicuti per non factam reclamationem
actui indicativo recessus a contractu
24 passim inducitur mutuus assensus in re-
cedendo ab eodem contractu, ut in
proposito *Goffred. d. Summ. tit. de*
Sponsal. num. 9. *Hostien. Cap.* 2. *de*
Sponsalibus in fine Innocent. Cap: Sicut
eodem tit. num. unico cum aliis quos
refert, & sequitur *Sanchez de Ma-*
*trim. lib.*1. *de Spons. disp.*52.

Eòque evidentius, quia in tan-
tum Joseph præterlapsis duobus men-
sibus a die retromissionis annuli, &
voluntatis palam declaratæ per Spon-
sam expergefactus institit pro observa-
tione Sponsalium, in quantum perti-
mescebat deveniendum esse ad rece-
ptæ dotis restitutionem ex ea obliga-
tione, quæ citra dubium resultat ex
titulo *causa data, causa resoluta*, &
de facto initi apparebant tractatus, per
quos Sponsus pollicebatur abscedere
a prætensa observatione Sponsalium,
quoties Sponsæ Pater vel ei condonas-
set partem pecuniæ receptæ, vel tri-
buisset delationem quatuor annorum
ad explendam illius restitutionem;
Proindèque cum tam in aperto evince-
retur, quod tota vis stabat in pecu-
nia, & non in Conjugio, justè Ange-
la diffentire visa est, unumquodque
enim dissolvitur eo vinculo, quo col-
ligatum est, ut bene ait *Text. In l. Ni-*
hil tam naturale ff. de regul. Juris 25
quem ad hunc præcisum effectum ex-
pendit *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *tit.*
*de Sponsalibus disp.*52 *n.*2.

Denium pro coronide intercede-
bat actus positivus explorationis ani-
mi Angelæ seriò factæ a prænominato
D. Vicario Albani de ordine *Sacr.*
Congregationis; Cumque Angela
constantissima perstiterit in sua relu-
ctantia, & consecutiva dissolutione
Sponsalium, utiquè superflua redde-
batur quælibet alia relaxatio Censu-
rarum: Ea etenim laudabiliter pra-
cticatur ad similitudinem quæstionis,
seu tormentorum, quæ profanè tri-
buuntur ad eruendam veritatem, ad
hoc scilicet, ut spirituali gladio per-
culsa Pars detrectans resipiscat, qua-
propter cum de hujusmodi spe nul-
lum apud DD. restaret ex præfata jam
facta exploratione, & experimento
vestigium, eo magis junctis postremò
amaritudinibus, jurgiis, & litibus
successive subortis, dixerunt, *non*
esse relaxandas Censuras, quæ ad
eumdem finem duntaxat ineundi ex-
perimentum Ecclesia præcipit, & ad-
mit-

mittit exemplo consimilis declaratio-
16 nis ut supra editæ *per Sac. Congregationem Concilii* relatæ per eumdem *Romanum sub die 15. Junii* 1700. *in illius discept.32. num.26.* ubi præcipit Ordinario, quod si post monitiones, suasiones, & diligentias Sponsa adhuc renueret, minimè ad rigorosam, & exactissimam coactionem deveniret, sicuti namque in Matrimonio Spirituali coactio licita non est, & sufficit Ordinarii exploratio rationabiliter ad hunc effectum adhiberi consueta, ita diversimodè in tam aperta renitentia practicandum nullo modo videbatur, cum de uno ad alterum Matrimonium valeat similitudo, & il-
17 latio, ut respectu primæ conclusionis, & praxis videre est apud *Tamburin. de Jur. Abbatiss. disput.4. quæst.3. n.9.* & relato *Sac. Concil. Trident. in cap. 17. Sess.25. de regular.* tradit *Pignatell. consult.173. num.129. tom.9.*, &
18 quoad secundam probant argum. *Text. in §. Sed, & hoc præsenti in Authent. de Sanctissimis Episcopis, Fulgos. cons. 53. num.1. & 2. vers Rursum Ancharan. cons.108. per tot. Covarruv. resolut. lib.1. cap.19. num.10. vers. Sed etsi alicui Mantic. de conjectur. lib.11. tit.18. num.29. Marant. respons. 1. num.100. par.2. Cancer. var. resolut. lib.1. cap. 24. num.21.* cum aliis quamplurimis congestis per *Ciarlin. Controvers. forens. lib.2. cap.218. num.6.*

Atque ita a primo ad ultimum omnibus simul junctis, & in unum conglobatis nullatenus, ut supra, dubitarunt DD. *negative* respondere.

Utraque &c.

EMINENTISSIMO SCOTTO

Albanen. Sponsalium

Vener. 26. Junii 1711.

Confirmatoria Præcedentis.

ARGUMENTUM

Sententia difformis a Decisionibus est nulla, quod tamen non verificatur in casu.

SUMMARIUM

1 *Sententia difformis a Decisionibus est nulla.*

2 *Si Decisio deneget relaxationem censurarum contra Mulierem renuentem adimplere Sponsalia, & Sententia illam absolvat ab observatione Sponsalium, Sententia est conformis Decisioni.*

3 *Ad effectum validitatis sententiæ sufficit sola implicita, & virtualis comprehensio, & conformitas cum Decisionibus.*

4 *Dissoluta dicuntur Sponsalia, si Sponsa declaret se velle potius subire carceres, & censuras, quam contrahere Matrimonium, & restituat annulum Sponsalitium a Sponso acceptatum.*

5 *Quo casu est absolvenda ab observatione Sponsalium.*

6 *Qui justè a contractu Sponsalium recedit, nullo Juris remedio ad illius observantiam compellitur.*

8 *Dissolutis Sponsalibus Dos est restituenda.*

9 *In Sententia possunt ea determinari, de quibus principaliter actum non fuit in Decisione, si veniant in necessariam consequentiam eorum, de quibus Decisio loquitur.*

10 *Sponsa, quæ ex justa causa recedit a Sponsalibus, subire non debet jacturam Dotis, sed est illi restituenda.*

11 *Data justa causa recedendi a Sponsalibus, & non contrahendi Matrimonium, restituendæ sunt arrhæ Sponsalitiæ.*

12 *Dos data censetur sub conditione futuri Matrimonii, quo non secuto, causa traditionis, & retentionis Dotis reducitur ad non causam.*

DECIS. XVIII.

Ad Vot. III. sub n.53.



Uplici suborta controversia inter Josephum & Angelam tàm quoad Sponsalium, inter eos initorum validitatem, quàm etiam quoad relaxationem Censurarum ad effectum cogendi Angelam ad contrahendum Ma-

Matrimonium per verba de præsenti , *Sac. Auditorium sub die* 15. *Decembris mox elapsi* totidem coram R.P.D. meo Ansaldo responsa dederat, videlicet = *constare de Sponsalibus = nullas vero relaxandas esse censuras* = & ad normam posterioris rescripti expedita Causa super Censuris per promulgationem Sententiæ Rotalis , mihique in ulteriori Instantia delegata, in hodierna illius propositione , forsan agnoscentes Defensores Josephi fundamenta quibus nitebatur Justitia dictæ Sententiæ , tamquam doctè , ac luculenter de more per R. P. D. meum Ansaldum in dicta *Decisione* extensa convelli non posse , totam vim faciebant super duabus nullitatibus adversus dictam sententiam oppositis , quibus tamen non obstantibus, sub cònsueto dubio consulti per me D. D. *pro illius confirmatione responderunt*.

Nun enim subsistere visa fuit prima nullitas , quod in Sententia pronunciatum fuerit Angelam absolvendam fore , & esse ab observatione Sponsalium, quando *in una ex Decisionibus* simpliciter dictum fuerat non esse relaxandas Censuras , *&* *in altera*
1 *ra* declaratum constare de Sponsalibus , undè Sententia tamquam difformis *a Decisionibus* collabescat ad tradita per *Card. de Luca in Relatione Romanæ Curiæ disc.* 32. *num.* 30. *Rot. decis.* 28. *num.* 3. *coram R. P. D. meo Ansaldo* ; Quoniàm præcipuum motivum denegandi relaxationem Censu-
2 rarum firmatum in *Decisione* , quæ Sententiam præcessit, illud fuit, quod Angela sufficientes , & justas habuerit causas recedendi a Sponsalibus , licet in suo genere perfectis , ut videre est *in dicta Decisione* §. *Applicando* , *&* §. *Observabant* , undè Sententia absolvens Angelam ab observatione Sponsalium non difformis , sed conformis dicitur *Decisioni* eo ipso , quod *Decisio* specificè declarat Angelam non teneri ad observantiam Sponsalium , sive , quod idem est , habuisse justam causam recedendi ab illis , cum tamen ad effectum validitatis Sententiæ
3 sufficiat sola implicita , & virtualis comprehensio , & conformitas cum Decisionibus *Rota decis.* 229. *num.* 7. *dec.* 381. *num.* 17. *part.* 17. *decis.* 164. *n.* 2. *part.* 18. *recen.*

Tantoque magis cum in eadem *Decisione* canonizata fuerit eorumdem Sponsalium dissolutio , nedum ex iteratis declarationibus Mulieris subeundi potius Carceres , & Censuras , quàm contrahendi Matrimonium cum Josepho ; Verum etiam ex restitutione Annuli Sponsalitii per eamdem Angelam facta coram Notario , & testibus , & a Josepho Sponso absque ulla conquestione acceptata , ex 4
quo mutuo Partium consensu dissolutis Sponsalibus , pernecessè consequebatur Angelam esse absolvendam ab illorum observatione , prout dictum fuit in Sententia , & declaratum in 5
Decisione §. *Potissimè* , *&* §. *Accedebant* .

Et hinc non relevat , quod ex sola denegatione relaxationis Censurarum , de qua loquitur *Decisio* , non possit fieri illatio ad omnimodam libertatem non observandi Sponsalia , cum supersint aliæ Canonicæ monitiones ad compellendam Mulierem , ut præstet Sponso datam fidem juxta dispositam *in Cap. Requisivit de Sponsalibus* ; Objectum enim vim faceret , ubi motivum denegandi Censuras stetisset in sola Juris , vel Judicis benignitate , prout sunt termini dicti *Textus in Cap. Requisivit* ; Secus autem quando , ut in præsenti , *Sacra Rota* ideò credidit non esse relaxandas Censuras, quia Mulier justam habuit causam recedendi ; qui enim justè a contractu recedit , nullo Juris remedio 6
ad illius observantiam compellitur, & de facto eadem *Decisio* firmat , attenta justa causa recedendi a Sponsalibus, & constanti reluctantia Mulieris, quaslibet monitiones esse superfluas , & non profuturas , ut videre est *ibidem* §. *fin*.

Ejusdem relevantiæ apparuit secunda nullitas, quod Sententia contineat condemnationem Josephi ad restituendum scut. 433. in causam Dotis recepta, de quo puncto non loquitur *Decisio* ; Etenim in eadem *Decisione* specificè agitur de restitutione Dotis occasione firmandi , quod Joseph desiderans potius Dotem , quam Conjugium,

gium, tunc solum Judicium instruxerat super observatione Sponsalium, ubi
7 per interpositos tractatus prævidit ex dissolutione Sponsalium dissolvi etiam Dotis traditionem *ex titulo: causa data, causa resoluta: ut in dicta Decisione* §. *Et evidentius*, tum, & fortius, quia cum ex facultate recedendi a Sponsalibus, illorumque dissolutione in eadem *Decisione* canonizatis, necessariò consequatur dotem esse restituendam, quia titulus reducitur ad non titulum, ideò ritè, & rectè condemnatus exstitit Joseph ad restitutio-
8 nem dictæ Dotis in dicta sententia Rotali, in qua validè possunt determinari ea; de quibus principaliter actum non fuit in *Decisione*, si veniunt in necessariam consequentiam eorum,
9 de quibus loquitur Decisio *Rota coram Roxas dec.* 385. *num.*8., *dec.*145. *n.*4. *coram Emerix Jun.*, *dec.*641. *num.*3. *par.*19. *rec.*, *& in Neapolitana Pensionis* 17. *Februarii* 1698. §.*fin. coram R. P. D. mea Ansaldo*.

Non relevante, quod saltem dicta condemnatio fuerit injusta, sive quia Pater Sponsæ, qui Dotem tradiderat, se obligavit ad faciendas diligentias, ut Filia ratificaret Sponsalia, quas fecisse non docetur, sive quia cum per Sponsum non steterit, quominus adimplerentur promissa, sed sola Sponsa renuat Matrimonium contrahere, & ideò non sit locus condemnationi ad restituendam Dotem, cujus jacturam potius subire debeat Mulier; Siquidem de subsecuta ratificatione Mulieris, ex qua oritur Patrem suam obligationem satis expressisse, abundè constat eo ipso, quod sub hoc eodem motivo ratificationis *Sac. Rota* in alio dubio respondit, *constare de Sponsalibus*, ut in eadem *Decisione* a Josepho obtenta, & acceptata; quo verò ad aliam partem objecti redit semper inculcatum principium, quod cum juxta sensum *Sacræ Rotæ* Angela justam habuerit causam
10 recedendi, nullam debet subire jacturam Dotis, quæ potius restituenda est a Sponso, qui dedit causam recessus; Contrariæ autem authoritates loquentes de Arrhis, & non de Dote potius retorquentur, quia si data justa causa recedendi a Sponsalibus, & non contrahendi Matrimonium, restituen- 11
dæ sunt etiam Arrhæ Sponsalitiæ, ut firmant ipsæ authoritates in contrarium laudatæ, & præ cæteris *Sanchez de Matrim. disp.* 36. *num.*2., *& 6. lib.*1., eo fortius restituendum erit, quod in causam dotis receptum est, cum Dos semper data censeatur sub conditione futuri Matrimonii; quo non sequuto, causa traditionis, & retentionis Dotis reducitur ad non causam *Card. de Luca disc.*1. *n.*9. *de Dot. Rocc. disput. Jur. cap.* 14. *num.* 36. *Rot. dec.* 500. *num.*5. *cor. Buratt.*

Et ita de cætero quoad Justitiam, cum super illa Informantes pro Josepho hodiè non insisterent, DD., quibus illam iterum subsistere visum fuit, in omnibus relativè se habentes ad *Decisionem* R. P. D. mei Ansaldi utraque Parte audita responderunt.

R. P. D. HERRERA

Pampilonen. Sponsalium
super Censuris

Lunæ 7. *Febr.* 1718.

ARGUMENTUM

Quando, & quomodo sit per Censuras procedendum contra renuentem adimplere Sponsalia de futuro cum copula subsecuta.

SUMMARIUM

1 *Renuens Sponsalia adimplere compellitur per Censuras.*

2 *Post quas, si adhuc adimplere detrectet, non est ulterius cogendus*, & n.6.

Etiamsi superaccessisset copula, n.13.

3 *Censuris utendum moderatè pro d. effectu, & sic contra vacillantem, non verò contra obduratum.*

4 *Matrimonium perficitur in mutuo Contrahentium consensu.*

5 *Quo deficiente, resolvitur in peccaminosum concubitum.*

7 *Gravis inimicitia, & odium inter Conjuges est causa sufficiens ad divortium.*

8 *Item ad effectum resiliendi a Sponsalibus de futuro.*

Vu 9 *Et*

9 *Et sic pro abstinendo ab ulteriori, & finali coactione renuentis.*
10 *Stuprans sub fide Matrimonii est compellendus ad fidem servandam.*
11 *Sponsalia de futuro ante Concilium Tridentinum per copulam subsecutam transibant in verum Matrimonium, ita ut renuens omnino erat cogendus.*
12 *Hodie tamen ex d. Concilio irrita declarantur Matrimonia aliter celebrata, quam coram Parocho, & Testibus.*
14 *Ideoque renuens post Censuras adimplere Sponsalia cum copula subsecuta, cogitur solum ad congruæ Dotis constitutionem.*
15 *Et alterius ad dictæ Dotis augmentum, quo passæ Deflorationis vitium compensetur, et Mulier Virum sibi æqualem inveniat.*
16 *Arbitrio Judicis remittitur spatium temporis, quo sponsor sub Censuris est relinquendus.*
17 *Post annum ejus insordescentiæ proceditur a Sacra Inquisitione tamquam contra suspectum de hæresi.*
18 *Censuræ pro medicina, & ad resipiscentiam adhibentur.*
19 *Ideò ne contrarium operentur, ubi proficuæ non comperiantur, absolutio ab illis etiam non petenti est concedenda.*
20 *In praxi tamen solet absolutio per annum, et aliquando etiam ultra differri.*

DECIS. XIX.

Alias decis. 39. inter impress. cor. eod.

Ad Vot.III. num.52. & ad Vot.VII.num. 100. 103. 108. 118. & ad Vot.IX. num.177.



Enuente Joanne Baptista Vidaurre parere judicatis Rotalibus, quibus condemnatus extiterat ad Matrimonium de præsenti contrahendum cum Anna Maria ab eo sub spe futuri Connubii deflorata, ad Censurarum relaxationem contra ipsum deventum fuit ad terminos *text. in Cap. Ex literis il 2. de Sponsal.* Verumtamen cum iis non obstantibus pertinaci, semperque magis averso, & obdurato animo a dicto Matrimonio abhorreret, ideò prius coram Ordinario, & deindè in Tribunali nostro coram R.P.D. meo Crispo institit pro absolutione a dictis Censuris, eamque post ferè annalem decursum reportavit sub conditione constituendi eidem Annæ Mariæ dotem in tertia parte excedentem quantitatem illam, quæ inspecta dictæ Annæ qualitate, ejusque loci, & Familiæ consuetudine congrua dici possit, ut ex geminis *Decisionibus* ante Decreti Rotalis prolationem a dicto R. P. D. meo Crispo editis *sub die 28. Junii proximè præteriti, & 31. Julii immediatè subsequentis*; A quibus reclamans D. Anna Maria ad Signaturam Justitiæ, novam impetravit Commissionem mihi directam cum clausula = *De appellatione suspensis Censuris* = In cujus sequelam Dubio hodiè proposito; An dictum Decretum Rotale esset confirmandum, vel infirmandum, pro illius confirmatione, juxta modum tamen inferius recensendum, responsum habui.

Confirmatione siquidem dignum visum fuit Decretum prædictum, ne dum attenta incontroversa illius validitate, verum etiam spectata ejusdem Justitia promanante ex eo, quia licet sponsor ad implendam Matrimonii fidem etiam per Censuras sit compellendus juxta definitionem ab Alexandro III. propositam in *d. Cap. Ex literis il 2. de Sponsal.* & notavit *Rot. in Albanen. Sponsalium super Censuris 15. Decembr. 1710. § Applicando cor. Rmo Ansald. & in Majoricen. Censurarum 16. Febr. 1715. §. Quemadmodum cor. Emo D. Card. Scotto*, hujusmodi tamen compulsio non debet esse ita præcisa, omnimoda, & absoluta, ut etiam contra propriam voluntatem ad Matrimonium omnino sit astringendus, sed cum ea moderatione, quod si adhuc post Censurarum relaxationem, promissam fidem implere, Sponsaliaque de præsenti contrahere constantissimè renuat, finaliter ulterius per easdem Censuras cogendus non sit juxta alteram mitiorem Sententiam Lucii III. in *Cap. Requisi-*

quisivit de Sponsal. per quam ita tradunt *Gloss. in Cap. Ex literis il 2. verb. Compellas de Sponsal. & in Cap. 1. verb. Excommunicatusque de Adulter. & Stupr. Præposit.* & alii Scribentes in *d. Cap. Requisivit num.* 20. *de Sponsal. Menoch. cons.* 786 *num.* 8. *& seqq.*, *Germon. de Sac. Immunit. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 86. *& seqq.*, *Ricc. in prax. par.* 4. *resolut.* 422. *num.* 7. *Fontanell. de pact. nupt. clauf.* 12. *gloss. unic.*, dixitque *Rot. cor. Seraphin. decis.* 1112. *num.* 1., *cor. Cavaler. decis.* 526. *num.* 1., *cor. Dunozz. Jun. decis.* 296. *num.* 9. *& in Albanen. Sponsalium super Censuris* 15. *Decembr.* 1710. §. *Quamobrem cor. Rmo P. D. meo Ansaldo Decano.*

Censuræ enim, aliaque remedia a Sacris Canonibus ad prædictum effectum adinventa moderatè in his casibus, & per modum medicinæ, seu monitionis sunt adhibenda per Judi-
3 cem ad compellendum eum, quem videt simplicitate sua vacillantem, non vero illum, quem obduratum agnoscit, ut ex *Fortu. in Cap.* 1. *de pact. col.* 40. *num.* 30. *declarat.* 6. ait *Gabriel.*
4 *cons.* 186. *num.* 14. *lib.* 2. *Rot. in d. Majoricen. Censurarum* 16. *Januar.* 1715. §. *Quemadmodum cor. Emo D. Card. Scotto* ne Matrimonium, quod in mutuo utriusque Contrahentis consensu perficitur, & substantiatur *Cap. Cum locum*, *Cap. Veniens*, *& Cap. Consuluisti de Sponsal. Sanchez de Matrim. lib.* 4. *disput.* 6. *num.* 1. *Panimoll. decis.* 102. *num.* 1. *Rot. in Aprutina Validitatis Matrimonii* 30. *Aprilis*
5 1708. §. *Et ratio est cor. Emo D. Card. Scotto* ex finali præcisa, & omnimoda ista coactione mediantibus Censuris dicto essentiali consensu destitutum remaneat, ac consequenter nullum, irritumque reddatur, & in peccaminosum concubitum convertatur juxta communiter ponderata per *Card. Zabarell. in eod. Cap Requisivit de Sponsal. Menoch. cons.* 786 *num.* 3. *Giovagn. cons.* 16. *num.* 30. *lib.* 1. *Covarruv. var. resolut. tom.* 1. *tit. de Sponsal. par.* 1. *cap.* 4. *sub num.* 5. *Ricc. in prax. par.* 4. *resolut.* 422. *num.* 6. *Leo Thesaur. for. Eccles. par.* 2. *cap.* 9. *num.* 21.

De constanti vero, nimiaque Joannis Baptistæ reluctantia in contrahendis cum Anna Maria prædictis Sponsalibus, satis perspicuè apparuit ex iis, quæ usquemodo in præsenti Causa contigerunt; Ipse enim potius quàm invisum, sibique numeris omnibus exosum Matrimonium contrahere,
non dubitavit diuturnam, dispendiosamque litem etiam cum omnium expensarum refectione subire, annalem ferè excommunicationem, & duri Carceris squallores per sex, & ultra menses substinere, a quibus dimissus, longam & terra, marique periculosam peregrinationem ad Urbem assumere non trepidavit pro absolutione a dictis Censuris obtinenda, & demum bonis ejus omnibus sub arcto sequestro positis a Patriis laribus exul, extremam fere necessitatem actualiter etiam substinere haud perhorrescit; Ista enim omnia quemadmodum fi- 6
xam, immotamque ejusdem Joannis Baptistæ designant aversionem a Sponsalibus prædictis, ita satis justam perhibent causam, ne ille ad eorum effectuationem præcisè, & finaliter per Censuras sit compellendus ex notatis per *Gabriel. cons.* 186. *num.* 7. *& seqq. lib.* 2. *Rota coram Cavaler. decis.* 368. *num.* 2., *coram Celso decis.* 374. *n.* 7., *coram Seraphin. decis.* 1112. *n.* 3., *coram Dunoz. Jun. decis* 296. *num.* 9., *in Viennen. prætensorum Sponsalium* 12. *Januarii* 1705. §. *Et quamvis coram bonæ memoriæ Kaunitz, in Albanen. Sponsalium super Censuris* 26. *Junii* 1706. §. *Tantoque magis coram Eminentissimo Domino Cardinali Scotto*, & resolvit *Sac. Concilii Congregatio in Bononien.*, *seu Parmen. Sponsalium* 15. *Junii* 1700. *& in Senogallien. Sponsalium* 1. *Septembris* 1714.

Concludentius, quia dubitari non potest, quin ex tot, tantisque divexationibus ad Instantiam dictæ Annæ Mariæ per Joannem Baptistam passis, gravis inimicitia, & magnum odium inter ipsum, & Annam prædictam fuerit subortum, ex quo sicuti sufficiens 7
ratio desumitur pro divortio inter Conjuges decernendo juxta firmata per *Rot. in recent. decis.* 706. *num.* 1. *part.* 1. *decis.* 337. *num.* 19., *& seqq. part.* 12., *decis.* 185. *num.* 4., *& seqq. part.* 14. *decis.* 115. *num.* 18. *part.* 18., *decis.*

decis. 1092. *num.*11. , *& seq. coram Pen. & decis.*242. *num.*12. *coram Du-*
8 *ran.*; Ita plusquam sufficiens habetur causa pro resiliendo a Sponsalibus de futuro, veluti notant *Sanchez. de Matrim. lib.*1. *disp.*58. *num.*1., *& seqq., Rota decis.*242.*num.*11.*coram Duran., decis.*311. *num.* 4. *coram Buratt.* , *decis.*374. *num.*11. *cor. Cels.* , *dec.* 266. *num.*11. *cor.Dunozzett. Jun.*, *dec.*96. *num.*15. *cor. san. mem. Innoc. X.* , *decis.*889. *num.*5. *cor. Coccin.* , *in recen. dec.*249. *num.* 13. *par.* 14., *& in Comen. Sponsalium* 10. *Junii* 1705. §.*Concurrente cor.Rmo Domino Moli-*
9 *nes Generali Hispaniarum Inquisitore*; Et consequenter pro abstinendo a præcisa , & finali coactione , cum majus malum sit Sponsum ad Matrimonium de præsenti cum perpetuo odio compellere , quam Sponsalium fidem frangere , quemadmodum monent *Abb. in Cap. Requisivit num.*4. *de Sponsal. Guttier. de Juram. confirmat. par.* 2, *cap.* 51. *num.*4. *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disput.* 29. *num.*4. *Rot. in Melevitana Sponsalium* 20. *Maii* 1696. §.*Et quatenus cor. bo.mem. Pio* , *& in Baren. Sponsalium* 22. *Junii* 1711, §. *Quibus cor. R.P.D. meo Lancetta*.

Præcisam , & finalem istam coactionem non convincente oppositione, quod hic non agatur de simplici promissione , sed de fide data cum copula subsecuta , in quibus sanè terminis
10 sicuti Anna Maria Stupro se subjecit , reportata prius fide de Matrimonio contrahendo , ita dum ipsa ex parte sua promissa , mutuamque adimplevit obligationem , ad id etiam præcisè compellendus sit Joannes Baptista Stuprator , sic exigente necessitate reciprocæ obligationis , sive mutui Contractus ob promissionem jam ex parte Mulieris adimpletam mediante copula subsecuta juxta notata per *Guttier. de Matrim. cap.*10. *sub num.*13.*vers. Sed verius Less. de Just. & Jur.lib.*2. *cap.*10. *dubit.* 2. *Bonaccin. Oper. Moral. tom.*1. *tract. de Matrim. quæst.*1. *punct.* 2. *sub num.*8. *vers. Secus dices Fontanell.de pact.nupt. claus.*5.*gloss.*5. *par.*1. *num.*31. *Raynald. observat.Crimin. tom.*4.*ad cap.*23.*supplet.*5. *n.*61. *Rot. in recent. dec.*163. *per tot.par.*9. *& dec.*76. *num.*2. *et dec.* 108. *et* 148. *pariter per tot. cor. Benincasa* cum ibi aliis in objecto relatis.

Ista siquidem penitus extranea visa sunt a præsenti inspectione , in qua in dubium haud revocatur , quod Stuprans sub fide , & promissione Matrimonii Stupratam ducere teneatur , itaut ad Matrimonium contrahendum compelli debeat , hoc enim definitum jam fuit per rem judicatam Rotalem, qua Joannes Baptista sponsor ad Matrimonium cum Anna Maria contrahendum adactus remansit , sed unicè res est,an dictus Joannis Baptista postquam condemnatus fuit ad dotis congruæ constitutionem etiam in tertia parte pluris eo , quod Anna Maria habere potuisset inspecta Loci, & propriæ Familiæ consuetudine , carceribus etiam diu mancipatus remansit , poitisque sub sequestro universis ejus bonis , in extrema ferè necessitate exul a Patria constitutus , & demum Ecclesiasticis Censuris innodatus , ulterius præcisè, & finaliter ad invisum, exosumque Matrimonium sit compellendus; In his enim terminis certum 11
est , quod licet ante *Concilium Tridentinum* , quando Sponsalia de futuro per copulam subsecutam in verum , & reale Matrimonium transibant , præcisa , & omnimoda intraret coactio ad servandam fidem Sponsæ jam traditam *Abb. in Cap. Præterea num.*4. *de Sponsal.*, *& in Cap. Ex tenore num.*4. *de testib. Fagnan. in Cap. Is , qui fidem num.*1. *& seq.*, *& in Cap. Tuæ fraternitati n.*13. *de Sponsal. Geminian. cons.* 61. *num.*6. *vers. Ad contrarium Federic. de Sen. cons.* 193. *circ. med. vers. Item cohabitando Castrens. cons.*155. *num.*1. *lib.*2. *Add. ad decis.* 431. *num.*66. *par.* 4. *tom.*2. *recen. Rot. in recen. decis.* 163. *n.* 6. *par.* 9.

Hodiè tamen cum post dicta Conciliaria Decreta in *Cap.*1. *sess.* 24. *de reformat. Matrim.* sublata , & irrita 12
declarata fuerint quæcumque Matrimonia , nisi coram Parocho , & testibus celebrata extiterint , veluti ex pluribus *Sacræ Congregationis Concilii resolutionibus* advertunt *Gionagnon.*

gnen. consf.67. num.31. & seq., *Barbos. in Collectan. ad Concil. Trident. cap.1. num. 131. Guttierez de Matrim. cap.40. num.13. & cap.81.num.11.Rot. in recen. dec.132. n.7. par.4. tom. 2. & dec.19. num.36. & seq.*, *par.* 10. Ideo si post adhibita contra refractarium remedia illa a Jure, & sacris Canonibus adinventa, ipse adhuc in
13 sua reluctantia perseveret, finaliter ulterius per Censuras, subsecuta copula non obstante, cogendus non est ex bene firmatis per *Gabriel.cons.186. num.25. lib.2. Dicastillo de Matrimon. tit. de Sponsal. disput.1.dub.10. n.16. Navarr. in Manual. cap.16. num. 18. Philiarc. de Offic.Sacerd. tom.1. lib.4. cap.17. n.1. cum seq. Nald. in Summ. verb. Virgo num.3. Reginald. in prax. lib.31. cap.35. num.255. Rot. cor. Duran. dec.242. num.13. & in Majoricen. Sponsalium* 16. *Januarii* 1715. §. *Exulante cor. Emo D. Card. Scotto*,
14 sed unicè contra ipsum procedi poterit ad pœnam determinatam in *Cap.* 1. & 2. *de Adulter. et Stupr.* consistentem in traditione congruæ dotis, veluti ponderant *Fagnan. in Cap. Pervenit num.2.et 3.de Adulter. et Stupr. Card. de Luc. de Matrim. disc.3. n.23.* & prosequitur *Rot. in d. Majoricen. Sponsalium* 16. *Januar.* 1715. §. *Exulante cor. Emo Scotto*. Ad quam profecto dotis constitutionem Sacrum Auditorium in præcedenti Rotali Decreto hodie confirmato, Joannem Baptistam jam condemnavit, illam etiam augendo ad tertiam partem pluris eo,
15 quod Anna Maria inspecta loci, & ejus Familiæ consuetudine consequi valuisset; idque ad hoc, ut vitio ejus corruptionis per tale augmentum suppleto, seu compensato, Virum dignum, & æqualem sibi invenire valeat, quemadmodum in his terminis practicandum esse monent communiter *Scribentes in d. Cap.1. de Adulter. et Stupr. Farinacc. de delict. carn. quæst.187. num. 229. Menoch. de arbitr. cas.188. n.18. et seqq.*, *Fontaneil. de pact. nupt. claus. 5. gloss.5. par.1. & 2. num.16. Cord. de Luc. de Dot. disc.142. num.74. Rot.dec.74.n.3. cor. Penia*.

Nec petitam absolutionem, & respectivè Decreti Rotalis confirmationem præpedire demum valuit objecta modicitas temporis, quo Joannes Baptista Censuris innodatus remansit, per solum nempè spatium novem mensium; Ponderatum quippè 16
fuit, quod cum nullum tempus super hoc in Jure præfinitum habeatur, sed illud remissum sit arbitrio Judicis, ut ait *Gloss. in Cap. 2. de Adulter. & Stupr.* = ibi = *Quoad communionem Sacramentorum quousque visum fuerit Superiori* = Idcirco, ne in Censurato 17
illa detur insordescentia, ob quam post annum a Sacro, tremendoque Inquisitionis Tribunali pro suspecto de hæresi haberi posset, quemadmodum definivit *Sac. Concil. Triden. sess. 25. cap.3. in fin. de refor.* & advertit *Prima Decisio R. P. D. mei Crispi §. Nec obstare*, ubi addi possunt *Menoch. de arbitr. cas.416. num. 52. Farinacc. de Hæretic. quæst. 192. num. 23. Rot. cor. Manzaned. dec.610. num.2.* & consequenter Censuræ, quæ pro medicina, & ad resipiscentiam in hisce casibus adhiberi solent, ut probat *Sanchez de Matrim. lib.1. disput.29. sub num. fin.* contrarium potius operentur effectum, ut advertit *Rot. cor. Manzaned. dec.610. num.2.* talis utique absolutio a Censuris, quæ ad nihilum proficere comperiantur, nedum petenti, verum etiam nec postulanti 18
venit elargienda, juxta communiter 19
notata per *Butr. in Cap. Ex literis il 2. num. 12. Bolch. in Cap. Præterea num. 7. vers. Compelli autem de Sponsal Gabriel.cons.186. num.3. & seqq.*, *lib. 2. Sanchez de Matrim. lib. 1. disput.29. num. 8. Guttierez de Juram: par.1. cap. 51. num. 84.Bellett.disquisit. Cleric. par.1. tit. de favor. Cleric. real. §.2. num. 34. Adden. ad Buratt: dec. 311. sub num.5. Rot. cor. Duran: dec.242. num. 13. & cor. Manzaned; dec. 610. num.1.*

Verum tamen est, quod sicuti 20
absolutio prædicta de praxi saltem per annum, & aliquando etiam in longius tempus differri consuevit, quemadmodum constat ex *dec.610. num.1.cor. Manzaned.*, *& in Majoricen. Sponsalium super Censuris 16.Januar.1715. §. Quemadmodum cor. Emo D. Card. Scot-*

Scotto Ita ad hoc ut commodum istud aliqualiter anticipatæ absolutionis compensatum in aliquo remaneat, existimarunt Domini Joannem Baptistam teneri prius eidem Annæ Mariæ reficere omnes expensas etiam extrajudiciales, idque ratione illius arbitrii, quod Judicantis religioni in hoc commissum esse probant Jura supra relata, quibus addi potest *Gabriel. conf. 186. num. 15. lib. 2.*

Et hic fuit modus, quem supradictæ resolutioni placuit adjungere Utraque &c.

EMINENTISSIMO CELSO

Colonien. prætensi Matrimonii.

Lunæ 27. Martii 1662.

ARGUMENTUM

Sponsalia si fuerint concludenter probata, tunc est locus coactioni, nisi concurrant legitimæ causæ, prout sunt diversitas Religionis, odium, inimicitia, periculum scandali, mali exitus, & similes.

SUMMARIUM

1 *Sponsalia debent plenè, & concludenter probari.*

2 *Sponsalia, si non probentur, non est locus coactioni.*

3 *Sponsalia non contrahuntur, nisi mediante consensu utriusque Sponsi.*

4 *Sponsalia si fuerint contracta, nihilominus non est locus coactioni, quando concurrunt legitimæ causæ.*

5 *Matrimonia per vim contracta sortiuntur infelicem exitum.*

6 *Sponsalia non sustinentur, si uterque Sponsus non sit Catholicus.*

7 *Sponsalia adimpleri non debent, si inter Sponsos adsit odium, & inimicitia, & timeri possit periculum scandali, & mali exitus.*

8 *Item si Sponsa sit suspecta de Magia, & de veneficiis.*

9 *Et circa causas intrat arbitrium Judicis.*

DECIS. XX.

Alias dec. 374. inter impress. cor. eod.

Ad Vot. IV. num. 143. & ad Vot. V. num. 8. & ad Vot. VII. num. 72. 97. 99.



NON constat de Sponsalibus, sub quorum prætextu asseritur secutam fuisse copulam inter Joannem, & Margaritam. Nam illa debent 1 plenè, & concludenter probari, ut inquit text. in *Cap. 1.* & ibi *gloss. de Clandest. desponsat. Dec. cons. 133. num. 2. Rot. dec. 471. num. 1. & seqq. part. 2. recen. & decis. 258. num. 2. part. 4. tom. 2.*

Unde firmarunt DD. Joannem non esse cogendum, nam deficiente probatione, & non existentibus Spon- 2 salibus non est locus coactioni *Cap. Mulieri 34.* juncta *gloss. in figuratione casus, & in verb. Absolutio de Jurejur. Alex. cons. 143. per tot. lib. 2. Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 36. num. 13. Rot. dec. 207. num. 1. & seqq. par. 1. recen.*

Non obstant responsiones datæ ad positiones, quia si benè considerentur, illæ important negationem, 3 non autem confessionem; Et quatenus in tertia, & quarta idem Joannes dicit credere se petiisse Margaritam in Uxorem, addit tamen, quod id fecit incidenter, & non animo deliberato, quodque si fuisset requisitus, Matrimonium adimplere, illud recusasset; Unde non potest dici, constare de Sponsalibus, dum deficit promissio reciproca, & mutuus consensus, sine quo illa non contrahuntur, prout in fortioribus, etiamsi fuerit secuta copula, probat *Text. in Cap. Tua nos 26. de Sponsal. & Matrim. Soccin. Sen. cons. 119. num. 1. lib. 3. Sperell. dec. 95. num. 9. & 10.* & firmavit *Rot. dec. 471. num. 1. & seqq. par. 2. rec. & dec. 163. n. 10. & 11. par. 9.*

Sed cessat difficultas, quia concurrunt plures, & legitimæ causæ, 4 ex quibus, etiamsi constaret de dictis Spon-

Sponsalibus, & adesset juramentum, nihilominus Joannes non esse cogendus, ut est text. expressus in *Cap. Ex literis* 10. *in fine* = ibi = *Nisi rationabilis causa obstiterit* = *de Sponf.*, *& Matrim. Mantic. de tacit. lib.* 3. *tit.* 17. *num.* 6. *& seqq.* ubi *num.* 12. reddit rationem, quia Nuptiæ per vim contractæ infelices, & perniciosos exi-
5 tus sortiuntur, *Menoch. de arbitr. Jud. caf.* 455. *num.* 1. Et hanc conclusionem pluries firmavit *Rota* ut *coram Seraph. dec.* 1112. *num.* 2. Et indubitatam dicit *Buratt. dec.* 311. *num.* 1. *Sa: Me: Gregor. dec.* 376. *num.* 5. *Cavaler. dec.* 447. *n.* 1. Et latissimè adductis rationibus, & cumulatis innumeris authoritatibus comprobat *Decis. in Calaguritana prætensi Matrimonii* 11. *Febr.* 1647. *coram Rmo D. meo Papiensi*.

Causæ autem non possunt contro-verti, & inter alias potissimum movit
6 Dominos diversitas Religionis; Cum Joannes sit Catholicus, Margarita vero Lutherana; unde talis promissio tanquam de re turpi, & propter periculum perversionis Conjugis Fidelis, & lapsus ipsius in infidelitatem nullo modo sustineri valet *Can. Cave cum duob. seqq.* 28. *quæst.* 1. *Covar. de Sponsal. & Matrim. par.* 2. *cap.* 6. §. 11. *num.* 1. *Pont. de Matrim. lib.* 7. *cap.* 46. *num.* 7. & pluribus comprobat *Sanchez eod. tract. lib.* 7. *disput.* 71. *n.* 5. *& disput.* 72. *num.* 3. *& seqq. Ricciul. de tur. person. extr. grem. Eccles. exist. lib.* 2. *sub num.* 8. *vers. Tertia conclusio*.

Concurrit etiam odium, & inimicitia inter prædictos absque ulla spe
7 reconciliationis. Nam quando adest periculum scandali, vel mali exitus, seu quod Matrimonium sequatur in perniciem, non est procedendum ad coactionem, ut advertit *Gabr. conf.* 186. *num.* 7. *& seqq. lib.* 2. *Menoch. conf.* 99. *num.* 45., aliosque cumulat *Marc. Antonin. var. resol. lib.* 1. *resol.* 2. *n.* 8. & firmavit *Rota coram Coccin. dec.* 437. *a n.* 1. *Buratt. dec.* 311. *n.* 3. *Duran. decis.* 242. *n.* 2. *& seqq.*

Et demum, quod Mulier præ-
8 dicta est valdè suspecta de Magia, & inquisita de veneficiis, ut deponunt *Testes in Summ. num.* 2. Adeout ex prædictis, & aliis causis adductis per Informantes, quæ DD. visæ fuerunt justæ, & rationabiles, nullo modo Joannes veniat cogendus; nam circa eas intrat arbitrium Judicis, ut notat 9
Giovagn. conf. 16. *num.* 16. *lib.* 1. *Buratt. d. dec.* 311. *num.* 2. *Duran. decis.* 242. *num.* 4.

Et ita altera tantum &c.

R. P. D. MELTIO

Calaguritana prætensi Matrimonii.

Lunæ 11. *Febr.* 1647.

ARGUMENTUM

A Sponsalibus meritò recedi potest justa, & legitima subsistente causa, quarum quamplurimæ hic numerantur; justissima autem causa esse dicitur fornicatio Mulieris, quæ bene probata remanet ex testibus specificè deponentibus de auditu, & a quo audierint; & maximè juncta publica fama, & aliis adminiculis, & conjecturis, cæterisque actibus præparatoriis, proximè proportionabilibus, congruis, & ordinatis ad copulam, de quibus latissimè tractatur, & licet ista per se non essent sufficientia, tamen simul juncta sufficere firmatur. Item justa Parentum, & Consanguineorum indignatio; Imminens periculum exhæredationis; Odium capitale inter Sponsos, eorumque disparitas.

SUMMARIUM

1 *Matrimonium contractum per Sponsalia de futuro, ex quibus justè impediatur, ita ut Vir ad illud ineundum cogi non possit.*

2 *Sponsalia Contrahentes sunt quidem monendi, ut ad Matrimonium deveniant, non tamen cogendi, si aliqua subest causa, ex qua licitum sit recedere.*

3 *Ecclesia solet abstinere a coactione, & qua-*

& quarè ? & num. 41.

4 *Nuptiæ coactæ, ut plurimum, exitus malos habere solent.*

5 *Sponsalia habent in se tacitam conditionem, si res in eodem statu permanserit, & si justa causa ab eis recedendi non superveniat.*

6 *Mulier si post Sponsalia cum alio fornicetur, Vir habet justam causam recedendi a Sponsalibus.*

7 *Sponsalia ex quibus causis justè dissolvantur, arbitrio Judicis remitti solet.*

8 *Sponsalia justè dissolvuntur ex mala fama, & impudicitia Mulieris probata, ante dicta Sponsalia.*

9 *Copula carnalis est difficilis probationis.*

10 *Et in sensu testis immediate non cadit.*

11 *Probatur etiam præsumptione, & ex sola fama, & ex probationibus imperfectis.*

12 *Item probatur ex conjecturis.*

13 *Conjecturæ semper admitti solent in his, quæ sunt difficilis probationis.*

14 *Copula carnalis probatur saltem in genere per testes etiam singulares, & de credulitate deponentes.*

15 *Maximè dum agitur civiliter pro dissolvendis Sponsalibus.*

16 *Copula carnalis ex quibus probata remaneat.*

17 *Fornicatio Mulieris quando probata remanet ex testibus.*

18 *Testes quando faciant indicium ad probandam fornicationem Mulieris.*

19 *Copula carnalis ex quibus adminiculis, & conjecturis subsecuta resultat.*

20 *Probatur ex actibus præparatoriis proximè proportionabilibus, congruis, & ordinatis ad ipsam copulam.*

21 *Sponsalia etiam jurata dissolvuntur per fornicationem Mulieris.*

22 *Ignorantia circa impudicitiam, & inhonestos mores Mulieris in Sponso pro dissolutione Sponsalium ex quibus probetur.*

23 *Ignorantia præsumitur in Juvene teneræ ætatis maximè respectu eorum, quæ occultè fiunt, ne alicui patere possint.*

24 *Ex imparitate personarum dissolvuntur Sponsalia.*

25 *Ignorantia Sponsi circa impudicitiam Mulieris an sufficiat ad dissolvenda Sponsalia.*

26 *Sponsalia non dissolvuntur ob fornicationem, & morbum præcedentem.*

27 *Licet jurata possunt dissolvi, si concludenter apparet de fornicatione Mulieris etiam post Sponsalia.*

28 *Juramentum non adeo firmat Sponsalia, ut non liceat ab eis recedere justa causa accedente.*

29 *Ad ea perficienda non est cogendus, qui simpliciter promisit se non ducturum in uxorem aliam mulierem, quam Sponsam.*

30 *Quæcumque levissima causa sufficit pro recessu a Sponsalibus non juratis.*

31 *Promittens aliquam ducere in Uxorem, id servare tenetur.*

32 *Copula carnalis operatur, ut Sponsalia transeant in Matrimonium.* Intellige, ut n. 36.

33 *Sponsalia contracta mutuo consensu, unius dissensu solvi non possunt.*

34 *Matrimonium controhere vigore Sponsalium quando quis non teneatur.*

35 *Frangenti fidem fides frangatur.*

37 *Matrimonia, quæ non sunt celebrota præsente Parocho, & testibus irritantur per Conc. Trident.*

38 *Matrimonia contracta per carnalem copulam voluntariam, dicuntur præsumpta.*

39 *Matrimonia præsumpta de Jure sunt sublata.*

40 *Et a Sponsalibus mutuo consensu contractis, stante justa causa, recedi potest.*

42 *Sponsalia non sunt indissolubilia sicut Matrimonium.*

43 *Ecclesia potest, & debet dissimulare ne ad coactionem Matrimonii procedatur, legitima subsistente causa.*

Ex quibus dicta legitima causa deducatur, n. 45.

44 *Dum adest justa causa resiliendi a Sponsalibus, Judex debet tantum recu-*

recusantem monere , ut ad Matrimonium deveniat .

46 *Fornicatio à Muliere ex quibus adminiculis , & conjecturis colligatur commissa .*

47 *Adulterium probatur per testes deponentes de auditu , & a quo audierint .*

Amplia ut num.48.

49 *Testes de auditu in materia fornicationis suffragantur pro dissolutione Matrimonii per Sponsalia contracti .*

50 *Fornicatio Mulieris probatur per testes de auditu , juncta publica fama , quod inhonestè viveret, & esset malæ conditionis .*

51 *Fornicatio præsumitur continuata, dum non probatur emendatio .*

52 *Fornicatio resultat ex adminiculis, & conjecturis , quæ quatenus singula non prodessent , tamen simul juncta juvare debent .*

53 *Matrimonium contractum per Sponsalia , quando quis non possit cogi ad illud perficiendum .*

54 *Quæ causæ sufficiant pro recessu a Sponsalibus .*

55 *Ab illis recedi potest propter odium capitale exortum inter Sponsos .*

56 *Et propter indignationem parentum, & consanguineorum Sponsi.*

57 *Item propter imminens periculum exhæredationis Sponsi .*

58 *Et ex maxima disparitate Conjugum ratione natalium.*

59 *Matrimonia infelices exitus habere solent , quando inter impares contrahuntur .*

DECIS. XXI.

Alias dec.19. par.10. recen.

Ad Vot.IV. num.144. & seq. , & n.165. & ad Vol.V. num.48. & seq. & n. 51. & seq. & n.57. 61. 62. 64. & ad Vol. VI. n.4. 8. 32. 36.64.71. & sub. num.145. & ad Vot.VII. num.95. 97. 208.



IN hac causa sub die 13. Martii 1643. coram me fuit resolutum Joannem de Anguiano esse cogendum ad ineundum Matrimonium cum Angela Zaldivar
vigore Sponsalium de futuro , quæ
inter eos fuerant contracta , ac pro-
missiones factæ per dictum Joannem
de contrahendo Matrimonio cum ea-
dem Angela , & non cum alia , ut ap-
paret *ex Summ.* prædictæ propositio-
nis, maximè quia inter eos postea se-
quuta fuit carnalis copula. Reproposita
sub hac die Causa ad instantiam Joannis
recessum fuit a decisis ex noviter de-
ductis , & probatis per eumdem vigo- 1
re remissoriæ illi concessæ . Primo
enim fuit probatum d. Angelam non
solum ante dicta Sponsalia non fuisse
virginem , verum etiam postea vitam
inhonestam duxisse , quæ habita fuit
pro justa causa impediendi , ne Joan-
nes recusans tale Matrimonium ad il-
lud cogi possit , cum jure cautum re- 2
periatur Contrahentem cum aliqua
Sponsalia esse quidem monendum , ut
ad Matrimonii effectuationem deve-
niat , non tamen ad illud esse cogen-
dum , si aliqua subest causa , ex
qua Vir a Sponsalibus etiam resilire
prætendat , *Cap. Ex literis il secondo
in fin.* = ibi = *Nisi rationabilis causa
obstiterit &c.* = & ibi *gloss. & DD.
& Cap. Requisivit de Sponsal. M.Ant.
resol.2. sub num.3. vers.Tamen quando
adest vera , & rationabilis causa
lib. 1. Fontanell. de pactis nuptial.
claus.12. gloss. unic. num. 6. Menoch.
de arbitr. cas. 455. num. 1. Giovag.
cons.16. num. 19. & 36. lib. 1. Gabr.
cons.186. num.1. et 8. lib. 2. Menoch.
cons.786. num.1. Seraph. dec.1112. n.4.
vers. Hæc tamen regula , et dec.1258.
num.1. Burott. dec. 311. num. 1. et de-
cis. 412. num. 6. vers. Tertio , et in
recent. dec.207. num. 9. vers. Adver-
tebant omnes DD. par.1. et coram bo.
me. Coccino dec. 437. num. 1. et seqq.*
relat. *per Rubr. in suis annot. ad dec.
431. n.79. par.4. tom.3. recent.* Ecclesia 3
namque solet abstinere a coactione Ma-
trimonii , ratio enim est , quia Nuptiæ
coactæ, ut plurimum exitus malos ha- 4
bere solent *Cap. Requisivit in fine* , &
ita not. *Gloss., & DD. extra de Spons.*
& ibi *Abb. num.3. Sanch. de Matrim.
disp.10. num. 10. vers. 4. limita , &
disp.29. num. 4. vers.Probatur autem
lib.1. Mantic. de tac., & ambig.lib.3.
tit.17. num.12.* = ibi = *Nam Nuptiæ*

per

per metum &c.=& num.17. M. Anton. resol.2. num.7. vers. Secunda erit causa, & seqq. lib. 1. Gab. d. cons. 186. a num. 7. vers. Secunda est conclusio, & seqq. usque ad fin. lib.2. Giovagn. eod. cons.27. Rimin. jun. cons. 362. num.50. vers. Coactis nuptiis, Seraph. decis.893. num.33. vers. Nam, et decis.1112. num.7. vers. Solent enim, Burott. dec.311. num.2. vers. In proposito autem, et seqq. et in rec. decis.207. num.9. vers. Idcoque si etiam plena par.1., et cor. Papa Greg. XV. dec.376. n.5. vers. Et licet, & ibi Adden. n.9. = ibi = Cum Nuptiæ coactæ etc.= Sponsalia autem in se habent
5 tacitam conditionem, si res in eodem statu permanserit, & si causa justa ab
6 eis recedendi non superveniat, prout justissima videtur, si Mulier post illa cum alio fornicetur Cap. Quemadmodum de jur. jur. ubi gloss. in verbo Oculos Hostien. n.8. Jo: Andr. n.13. Ancbar. n.3. Abb. n.9. & cons.48. n.8. lib.1. Sanch. de Matrim. disp. 29. num. 4. Mant. de tac. & ambig. lib.3. titul.17. num. 19. vers. Ex hoc aut deducitur Rota dec.437. n. 9. circa fin. & decis. 242. num.3. = ibi = Et ratio est &c. = coram Durano Seraph. dec.1112. n.9.

In præsenti vero casu quamplurimæ ex parte Joannis adducuntur causæ pro prætensa dissolutione horum Sponsalium, quæ autem sint justæ
7 Judicis arbitrio remitti solent DD. in d. Cap. Ex literis, & Cap. Requisivit extra de Sponsal. Sanchez de Matrim. disp.29. num.16. = ibi = Totum enim id etc. = Menoch. de arbitr. Jud. cas.455. num.2. vers. Et Judicis arbitrio Fontanell. de pact. nupt. claus.12. gl. unic. n.6. M. Anton. var. resol. lib.1. resol. 2. num.11. Surd. cons.364. n.9. = ibi = Quæ tamen æstima &c. = Gabr. dict. cons.186. n.2. vers. Vel quando, Giovagn. d. cons. 16. vers. Et quoniam lib. 1. Rota penes Buratt. dec. 311. n.2. vers. Quæ autem dec. 397. n. 2. vers. Cum tamen par. 1. divers. & coram Papa Greg. XV. dec. 386. num. 6. & dec.447. n. 2. vers. Quæ causa coram Card. Caval. & dec.451. num.3. par.4. recen.

8 In primis autem DD. valde justa causa visa fuit pro tali dissolutione illa, quæ oritur ex mala fama, & impudicitia ejusdem Angelæ probata, ante dd Sponsalia per d. Joannem prorsus ignorata, ut patet ex ejus Summ. num.1., dum primus Testis deponit se habere, & tenere pro certo Angelam fuisse, & esse Mulierem impudicam; secundus Testis refert se audivisse ab Uxore Matthæi de la Scaga, Angelam modo cum uno, modo cum altero locutam fuisse; quo casu, cum co- 9
pula sit difficilis probationis, ut inquit Rimin. jun. cons.247. n.5. = ibi = Quod ex quo = Socc. jun. cons.32. n. 12. 13. & 23. lib.2. Dec. cons.577. num.2. Onded. cons. 15. num. 30. vers. Tum etiam quia vol. 1. Farin. in prax. crim. quæst. 136. c.1. num. 4. par. 2. tom.2. Burot. dec.530. num. 9. = ibi = Quæ tamquam difficilis, &c. = & agatur de probando eo, quod certitudinariè ex sui natura sciri, & cognosci nequit, cum secretè, & non palam,
nèc in hominum conspectu fiat, & actus 10
copulæ in sensum testis immediatum non cadat Ceph. cons. 82. n.30. & seq. lib.1. Ferret. cons.389. num.14. Onded. consil.15. num.26. usque ad 34. Farin. d. quæst. 136. n. 34. Alex. cons. 169. num.12. lib.6. propterea ad illam pro-
bandam admittuntur qualescumque 11
probationes etiam præsumptivæ, & ex sola fama, & etiam imperfectæ, quæ
uniuntur ad constituendam plenam 12
probationem. Immò conjecturæ suffi-
ciunt, cum semper admitti soleant in 13
his, quæ sunt difficilis probationis. Masc. de probat. concl.452. num.5. 10., & 12. Sanch. de Matr. lib.10. disp. 12. num.46. Farin. d. quæst.136. c.1. n.2., & c.3. num.74., & in tract. de test. quæst.64. num.223., & seq. Mant. de tac., & ambig. lib.8. tit.14. num.8. Rimin. jun. d. cons.274. num. 6.7.8., & 13. Onded. d. cons.15. n.28., & 32. = ibi = Et propterea, &c. = Buratt. dec.530. n.9. & post 2. vol. cons. Farin. dec. 35. n. 3. = ibi = Etiam in
his, &c. = & dec. 72. num.2. Ideo di- 14
cti Testes etiam singulares, & de credulitate deponentes illam probant saltem in genere. Bart. in l.2. §. Idem labeo num. 5. ff. de aqua pluv. arc. Mascard. d. concl.452. num.13. Onded. d. consil. 15. num. 33. vers. Ideo Te-

stes,

fies, *Pacen. Matrimonii 5. Mar-*
tii 1520. coram S. D. N. in §. Acce-
dente etiam; *quod cum ad fornicatio-*
nem Buratt. dec.255. num.9. vers. Et
est regulare Farin. de test. quaest. 64.
15 *n.223. vers. Limita 17. & seq.* maxi-
mè dum agitur civiliter, ut in præ-
senti casu pro dissolvendis Sponsali-
bus, *Farin. d. tract. de test. d. q.64.*
num. 229. & in prax. crim. d. q. 136.
num.18. = ibi = , *Et copula carnalis*,
quando agitur civiliter, *&c.* = *Idem*
Farin. cons. 25. num.1. = ibi = *Ubi de*
crimine agitur civiliter, *&c.* = *Et*
cons.23. num.6.
16 Remanet eò magis d. copula
probata ex depositione d. primi Te-
stis, dum testatur audivisse a Petro de
Rivarola Scholari ipsum carnalem co-
pulam cum Angela habuisse; Secun-
dus Testis pariter deponit audivisse a
Joanne de Minoro ipsum quoquè co-
pulam cum d. Angela habuisse, ac
idem fecisse Martinum Gil; Tertius
Testis deponit audivisse ab Andrea de
Anguiano eamdem Angelam tractatus
17 impudicos habuisse cum dicto Petro,
qui Testes cum specificè deponant, &
a quo audierint, probant ipsius Ange-
18 læ fornicationem, & faciunt indicium
Gloss. in Cap. Præterea vero conscios
de testibus, *Hostien. ibi n. 1. Ferret.*
cons. 168. n.15. in fin. vers. Devenia
ad aliam speciem probationis, *& n. 1.*
& seq. Ferret. consil. 168. num. 20.
per tot. Ceph. cons.82. num.30. = ibi =
Asserit se intellexisse =, *& num.31.*
19 = ibi = , *Ubi etiam aliquod specifi-*
cant, *&c.* = Prout de reiteratis oscu-
lis etiam, & amplexibus, dum Ange-
la invitabat dictum Petrum ad cœ-
nam, dum simul sæpe cœnare sole-
bant, deponit d. primus Testis asse-
rens ulterius vidisse dictam Angelam,
& Petrum nocturno tempore in locis
suspectis, dum ipsa descendebat ad
aperiendam eidem Petro portam do-
mus, ut ab ea exire posset, & de di-
20 ctis osculis, & amplexibus deponit
etiam secundus Testis, qui actus cum
sint præparatorii proximè proportio-
nabiles, congrui, & ordinati ad ipsam
copulam, utique illam probant *ex tex.*
in Cap. Ex literis ubi *gloss. in verbo*
utere debeant, *gloss. in l. Quod ait ff.*
ad l. Juliam de Adul. Bart. ibid. n. 1.
Alex. in l.1. n. 19. vers. Exemplum in
probat, *ff. Si cert. pet. Lup. alleg. 5.*,
loquens de amplexu *Farin. dict. quaest.*
136. cap. 1. num. 109. ubi *num. 124.*
loquitur de conviviis, *& num.130.* de
osculis *& num.136. de* amplexu *Rim.*
jun. d. cons. 274. num.9., *& seqq.* lo-
quens de dictis actibus, & aliis simili-
bus *Ferret. d. cons. 168. num.3.* = ibi =
Per unum amplexum = *Dec. cons. 577.*
num.10., *& 11. Mascard. de prob. concl.*
452. num. 16. & 18. Buratt. dec.530.
num. 10., *& vers. 4. Ex cohabitatio-*
ne Unde cum dicta Angela probe- 21
tur ab alio cognita, talis fornicatio
sufficit pro Sponsalium dissolutione,
etiamsi illa fuissent jurata, & firmat
Mant. de tacit., *& ambig. lib.3. tit.17.*
num. 19. vers. Nam si Sponsa.
Ignorantia autem circa impudi- 22
citiam, & inhonestos mores Angelæ
probatur, dum ipse erat originarius
Oppidi S. Ascentii, quod distat ab Op-
pido de Onnante, in quo degebat
Angela spatio 45. milliariorum, ideo
illius qualitatem, vitam, atque mo-
res nescire poterat; Tum quia, & jam
ipse erat valdè juvenis, ac teneræ 23
ætatis, quæ in eo magis facit præsu-
mere ignorantiam, maximè respectu
eorum, quæ adeo occultè fiebant, ut
alicui patere nequirent, *Cap. Præsu-*
mitur de reg. jur. in 6. l. Verius ff. de
probat. Surd. cons.7. n.35. & cons.28.
num. 100. Seraph. dec. 916. num.9. Greg.
dec. 511. num. 19. & 519. num. pari-
ter *19. Caval. dec. 189. num.6.*, *& in*
rec. dec. 136. num.3. par. 1. Mascard.
de prob. concl. 880. num. 2. Concurrit
etiam inverisimilitudo, quod Juvenis 24
nobilis Mulierem impudicam ducen-
do, se, domumque suam perpetuo
dedecori subjicere voluisset, ut ad-
vertit *Sanchez de Matrim. lib. 1. disp.*
63. num.3., *& seqq. Majol. de irre-*
gul. lib. 1. cap. 33. n. 4. Giovag. d. cons.
16. num. 42. vers. Quis enim honestæ
conditionis est tam fatuus, & li-
cet non desint, qui sentiunt causas 25
prædictas tangentes Mulieris impudi-
citatem, quamvis a Sponso ignoratas
non sufficere ad dissolvenda Sponsalia
juxt. text. in Cap. Quemadmodum de
jur. jur. ubi firmat Sponsalia minimè 26

27 dissolvi ob fornicationem, & morbum præcedentem *Paladanus* 4. *quæst.* 27. *ar.* 3. *num.* 33. Tamen dum concludenter apparet de tali fornicatione etiam post d. Sponsalia, ut in præsenti casu, illa benè possunt dissolvi, & benè distinguitur per eumdem *text. in Cap.*
28 *Quemadmodum* ubi *Doctores* etiamsi fuerint jurata, vinculum enim juramenti non adeo firmat Sponsalia, ut non liceat ab eis recedere justa accedente causa, *Text. in Cap. Præterea il primo*, & apertius *in dicto Cap. Ex bis Silvan. et in d. Cap. Requisivit de Sponsalib.*, & prædictis in locis *Cardin. Butr. Abb. et Præpos. M. Marcin. resol.* 2. *n.* 4. *lib.* 1. *Fontanell. de pact. nupt. claus.* 12. *num.* 6. *Molin. de just. et jur. disp.* 272. *fol.* 120. §. *Deinde si Mulier*, *Sanch.* qui multos citat *de Matrim. lib.* 1. *disput.* 29. *num.* 4. = ibi = *Ubi dicitur non esse cogendum*, *etc.* = *et disput.* 63. *n.* 3. *Pont. eodem tract. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 2. *Silvest. in verbo Sponsalia n.* 10. *Lup. in Cap. Per vestras*, §. 8. *n.* 15. *Covarr. super* 4. *decret. port.* 1. *cap.* 4. *Menoch. consil.* 786. *num.* 10. *et* 13. *Giovagn. d. cons.* 16. *num.* 19. *et* 42. *vers. Tum quia*, *etc. Gabr. d. cons.* 186. *n.* 1. *Surd. consil.* 364. *num.* 7 = ibi =, *Nisi rationabilis causa* = *Seraph. d. dec.* 1112. *n.* 4. *et* 1258. *n.* 1. *Cocc. dec.* 437. *num.* 1. *et seqq. Cavol. dec.* 447. *num.* 1. *et dec.* 1. *num.* 1. *vers. Et licet part.* 1. *divers.*, *et coram Papa Gregor. dec.* 376. *num.* 5., & ibi *Adden. num.* 9. *vers. Quando tamen etc.*, *Romana Sponsalium* 9. *Febr.* 1629. *coram bo. me. Pirovono*; hancque opinionem, uti veriorem firmat *Sanch. de Matrim. disput.* 29. *num.* 4. *vers. Tandem* = ibi = *Et ideo* = Ubi plures referuntur DD. *et loco su-*
29 *pra citato n.* 5. *vers. Verius tamen etc.* At in præsenti casu cessat ista quæstio, cum nullibi appareat de juramento Joannis, qui solummodò promisit se non esse in Uxorem ducturum aliam Mulierem, quam d. Angelam, & propterea eo minus est cogendus ad perficienda dd. Sponsalia, *Seraph. de privil. jur. priv.* 38. *n.* 2. *Sanchez d. disput.* 29. *num.* 3. = ibi = *Et ita a contrario sensu*, *etc.* = *Giovagn. d. cons.* 16, *n.* 36. & 39. *vers. His ita stantibus* = ibi = *Tum quia Sponsalia non fuerunt jurata*, &c. = *Gabr. cons.* 186. *num.* 9. & 10. *Rot. dec.* 447. *num.* 7. & 468. *n.* 3. *coram Card. Caval.* In 30
Sponsalibus autem non juratis etiam quæcumque levissima causa sufficit ad effectum ab illis recedendi, *Gabr. d. cons.* 186. *n.* 6. *Giovagn. dicto cons.* 17. *num.* 47. *Franch. Morch. dec.* 534. *n.* 8. *M. Anton. d. tract. lib.* 1. *resolut.* 2. *num.* 12. *vers. In Sponsalibus autem*.

Non obstat, ut Joannes ex eo, 31
quod promisit Angelam ducere in Uxorem, teneatur illi fidem servare, ut firmatur in Decisione, quæ revidetur *sub* §. 1. *vers. Et nihilominus* &c., & ut referunt *Add. per Rub. in d. dec.* 331. *num.* 58. & 59. maximè cum post dd. 32
Sponsalia fuerit etiam sequuta copula carnalis, quæ operatur, ut Sponsalia transeant in Matrimonium, *ut in ead. nostra dec. vers. Quod eo magis Grat.* 33
discept. foren. cap. 555. *Add. per Rub. loc. cit. n.* 66. Maximè, dum a principio fuerunt mutuo consensu Sponsalia contracta, non possunt illa hodiè unius ex Conjugibus tantum dissensu dissolvi, ut *in ead. dec. d.* §. 1. = ibi = *Et dum a principio* &c. = & *dd. Addent. per Rub. ibid. num.* 67. 68. 69. & 70. 34

Nam, ut dicebatur, dum Joannes cum Angela ad Sponsalia devenit sub credulitate, quod ipsa esset Virgo, cum talem eam se finxerit, ac illius impudicitiam ignoravit, & hac deceptione non obstante, etiam post contracta Sponsalia, ipsa non servavit ei fidem, cum inhonestè nihilominus vixerit, iste pariter non tenetur Matrimonium contrahere vigore Sponsalium, nèc ipsi Angelæ fidem perseverare ex trita illa sententia frangenti fidem, fides frangatur eidem 35
L. Cum proponas, *la seconda*, *Cod. de post. Rom. in l.* 3. §. *Possideri num.* 7. *de acqu. possess. Mantic. de tacit. & ambigu. lib.* 3. *tit.* 16. *num.* 22. *Altogr. cons.* 5. *num.* 1.
Quod autem in Decisione in hac Causa emanata dicatur Sponsalia transire ad Matrimonium sequuta postea copula, illa loquitur in suis terminis, scilicet, ut hoc servaretur ante *Conc. Trident.*, quæ juris dispositio cum modò correcta reperiatur per ipsummet 36

Sac.

Sac. Trid. Concil. Sess. 24. *de reform.*
37 *Matrim. cap.* 1. ubi irritantur Matrimonia, quæ non sunt facta præsente
38 Parocho, & Testibus cum alias dicantur præsumpta propter illam carna-
39 lem copulam voluntariam, ideo de jure sunt sublata, ut sæpius declaravit *Sac. Congreg. Concilii* ad tradita per *Navarr. in Manual. cap.* 21. *sub n.*26. *vers. Tertio pro alterius n* 28. *vers. E contrario*, & *num.*85., & *cap.*25. *num.*144. *Tho. Trevis. decis.*20. *num.*1. *lib.*1. *Menoch. de præsumpt. lib.*3. *præsumpt.*1. *n.*99. *M. Anton. lib.*1. *resol.*28. *num.*13. *vers. Nam hodiè*, & *resol.* 76. *num.*1. 4. & 5. *Surd. cons.*364. *num.*54. *vers. Hæc verò. Giovag. cons.*67. *n.*31. 33. & 37. *Rota in Tullen. Sponsalium* 22. *Junii* 1620. *coram Cardin. Sacrato in ordine* 232. *num.*7. ibique juris dispositio *par.*4. *tom.*2. *recen.* Et licet a princi-
40 pio Sponsalia fuerint mutuo consensu contracta; tamen dum postea Judex animadvertit partem recusantem Matrimonium habere justam causam ab illis resiliendi, stante hac justitia causæ, pars resiliens immunis redditur ab obligatione illa perficiendi, ut inquit *Gutier. de Matrim. lib.* 11. *cap.*14. *num.*6. *vers. Quod si unus*, &c. *Sanchez de Matrim lib.*1. *disput.*52.
41 *num.*4. Cum Sancta Mater Ecclesia timens summoperè infaustos eventus coactarum Nuptiarum se abstineat a
42 coactione cum Sponsalia non sint indissolubilia, sicut est Matrimonium; Ideo legitima subsistente causa, ut dicebatur, Ecclesia potest, & debet dissimu-
43 lare, ne ad coactionem procedatur, ut præter adducta *in* §.1. = ibi = & *isto casu* &c. = scribit, *collect. in d. Cap. Resol.* 2. *versic. Credo tamen, quod Ecclesia de Sponsal. Mantic. de tacit.*, & *ambigu. lib.*63. *tit.*17. *n.*8. & 18. *dd. Adden. ad decis.* 331. *num.* 79. *M. Anton. d. resol.*2. *num.*7. Atque ita
44 Judex, dum subest justa causa, debet tantum recusantem monere *d. Cap. Ex literis*, & ibi *DD. omnes Abb. in Cap. Requisivit num.*4. *de Sponsalib. Alex. consil.*212. *n.*5. *vol.*5. *Anton.* alios re-
45 ferens ad *resol.*2. *n.* 4.; Ulterius constat enim de gravi indignatione Parentum Joannis, & Consanguineorum, de odio, ac maxima animi aversione in Sponso contra Sponsam excitatis, necnon de imminenti scandalorum periculo, ac de maximo infelicis exitus timore casu, quo sequatur tale Matrimonium, prout de his omnibus deponit 8. Testis eodem *Summ. n.*5. *et* 4. Idemque deponunt 4. 5. 11. 12. 14. *et alii* 20. Testes examinati vigore remissoriæ, quorum dicta comprobantur ex Epistola Ordinarii Calaguritani super his omnibus attestantis.

Quod autem d. Angela post dicta Sponsalia inhonestè vixerit, & fornicationem commiserit colligitur *ex* 46
Summ. Joan. *num.*2. *et* 3., ubi plures testes deponunt de illius inhonestate, scilicet de osculis cum diversis amantibus, quod permanebat continuò in domo Martini, quod iste dixerit cum eadem pernoctasse, quod illa fuerit malè tractata ab ejus Matre ob illius inhonestatem, quod Mater objurgabat Amasium, ad quem de nocte ipsa confugiebat, de altercatione inter Amasium, & Angelam, & quod ista dabat ex platea signa Amasio, quod Martinus Gil olim Amasius rixabatur cum Andrea novo Amasio propter amorem Angelæ, quæ omnia in his terminis, & alia similia considerantur *per Ferrett. in d. suo cons.*168. *n.*19. *vers. pen. adduct.* = ibi = *Aliam speciem Judiciorum, quæ ex alieno auditu etc.* = & *n.*20. firmat Testes deponentes de auditu, & a quo audierint 47
probare adulterium, ut a contrario sensu firmatur per *Mantic. dec.*767. *num.*5. *Rimin. Jun. consil.* 398. *n.*38.
Maximè cum dd. Testes credant, quod 48
audierint *Cap Quoties*, & ibi *Butr. et Aretin. col. pen. vers. Circa secundum de testib. Natta cons* 172. *num.*7. *Cephal. cons.*250. *n.* 25. *Rimin. Jun. d. cons.* 398. *num.* 29. *vers. Verius.* Et
dum non agitur ad plenum præjudi- 49
cium separationis vinculi, ut in præsenti casu, in quo Matrimonium nondum fuit contractum, dd. Testes suffragantur, ut firmat idem *Ferrett. dict. cons.*168. *num.*20. *vers. Non obstat* &c. qui licet de auditu deponant, juncti
tamen cum fama publica, quod d. An- 50
gela esset malæ conditionis, & inhonestè viveret, probant illius fornicatio-

51 tionem, quæ præsumitur continuata post Sponsalia, dum non probatur emendatio *dicto cons.* 168. *num.* 20. *versic. Concurrunt etiam*; Quæ omnia cum sint apta negotio, de quo agitur,
52 & verosimilia, faciunt adeo vehementem, & violentam præsumptionem, ut debeant inducere animum ad credendum talem fornicationem,& quatenus supradicta singula non prodessent, tamen simul juncta juvare debent *Cap. fin. de success. ab intest Cap. Cum causam de probat. Cap. Ex literis, de præsumpt. et dict. consil.* 168. *n.* 20. *cap. fin.* Unde cum ex supradictis, & ex aliis actibus ex eodem *Summ.* appareret, & concludenter appareat de inhonestate d. Angelæ, & de justa causa in Joanne Matrimonium cum
53 exrecusandi, nullo pacto ad illud ea cogi posse videtur *d. Cap. Quamquam de Jure jaran.* ubi *Abb. et cæteri DD. duc. in Epitom. de Sponsal. part.* 1. *cap.* 5. *n.* 2. *Menoch. de arbitr. cas.* 414. *num.* 5. *Menocb. cons.* 786. *numer.* 16. = ibi = *Attamen, et causæ jam supra connumeratæ, &c.* = *num.* 25. §. *respondebam, vers. Ex quo sequitur, Rota decis.* 451. *num.* 4. *vers. Et licet part.* 4. *recentior.*

Ex hac autem fornicatione Ange-
54 læ plures eliciuntur causæ, quæ sufficiunt, ut jure merito recedi possit a supradictis Sponsalibus.

Quarum prima est odium capita-
55 le exortum inter prædictos, quod valdè venit attendendum, *Cap.* 2. *& dict. Cap. Requisivit* ubi *Abb. num.* 4. *de Spons. Menoch. de arbitr. Jud. lib.* 2. *cent.* 5. *cas.* 455. *n.* 3. *vers. Et hi admoventur & cons.* 787. *num.* 25. = ibi = *quod quando Sponsus &c.* = *M. Anton. d. resol.* 2. *num.* 8. *& resol.* 28. *n.* 13. *in princ. lib.* 1. *Rota decis.* 207. *num.* 9. = ibi = *Stante precipuè quod inter ipsum, & Isabellam, &c.* = *par.* 1. *rec.*

Altera est asserta indignatio Pa-
56 rentum, & Consanguineorum, ut apparet *ex eodem Summar. num.* 4. quam valdè ponderant *Abb. in d. Cap. Requisivit Guttier. Canon. quæst lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 17. *et seqq. Avers. de Matrim. quæst.* 8. *sect.* 14. §. 5. *vers. Et inter hæc damna Anton. resolut.* 2. *num.* 9. *dict. resol.* 28. *num.* 13. *vers. Tum ob indignationem, Giovagn. d. consil.* 16. *n.* 43. *vers. Tertio quia Menocb. cons.* 787. *n.* 76. = ibi = *Quod fortius est Patrii dissensus* = *et num.* 26. 57
et tandem dixi, etc. Ex qua indignatione imminet periculum exhæredationis, ut deponunt Testes examinati in *Processu Remiss.* videlicet primus super 5. *folio* 203. secundus *fol.* 212. tertius *fol.* 220. quintus *fol.* 233., qui quidem metus, ut præbeat justam causam recedendi a Sponsalibus tradit *Bart. in l. Si ob turpem n.* 6. *ff. de cond. ob turp. caus. Anton. d. resol.* 2. *n.* 10. *Fontanell. de pact. nupt. claus.* 12. *glos. unic. num.* 7. = ibi = *Quando adesset timor, &c.* = *Giovagn. dicto cons.* 16. *num.* 17. = ibi = *Quando Filius &c.* = *Seraph. dec.* 1258. *n.* 2. *Gregor. XV. dec.* 376. *&* ibi *Adden. num.* 6. = ibi = *Habetur tamen pro justa causa* = *& cor. Cavaler. dec.* 447. *num.* 2. = ibi = *Velle eam exhæredare, &c.* = *& decis.* 468. *num.* 1. *& in Tullen. Matrimonii* 13. *Maii* 1596. *coram Penia vers. Et in casu proposito*, = ibi =, *Et tunc propterea* = *post dict. resolut.* 1. *Anton.* 58

Adest etiam alia causa resultans ex maxima disparitate Conjugum ratione natalium, *ut ex eod. Summ. n.* 6., ubi apparet de nobilitate Joannis, & *num.* 7. de vili conditione Angelæ, quam magni facien. idem *Anton. d. resol.* 2. *n.* 5. *Sanch. de Matrim. disp.* 14. *n.* 3. *Fontanell. de pact. nupt. claus.* 12. *num.* 7. *Menoch. præsumpt.* 10. *num.* 4. *lib.* 10. *& cons.* 786. *num.* 11. *&* 12. *Gabr. d. cons.* 186. *num.* 3. *vers. Et ex maxima disparitate, Cas. de Graff. dec.* 2. *num.* 5. *tit. de Sponsal.*, *&* 59
Add. ad dec. 331. *num.* 81. Matrimonia enim infelices exitus plerumque habere solent, quando inter impares contrahuntur *Menoch. cons.* 385. *n.* 6. *circa fin.*

Et ita Joanne tantum informante fuit resolutum, &c.

D. CARD.

D. CARD. SERAPHINO

Tullen. prætensi Matrimonii

Die Veneris 16. *Januarii* 1598.

ARGUMENTUM

Timor exhæredationis est causa sufficiens pro recessu a Sponsalibus.

SUMMARIUM

1 *Præsumitur lata Sententia, & ab ea appellatum, si is, cui incumbebat actorum productio, eadem acta producere neglexerit.*

2 *Non potest quis compelli ad executionem Sponsaliorum, stante justa causa ea non adimplendi.*

3 *Justa causa est timor exhæredationis.*

4 *Papa, qui habuit notitiam Decreti, & litis pendentiæ coram alio Judice, signando commissionem, causam ab eo Judice avocare censetur.*

DECIS. XXII.

Alias decis. 1258. *inter impress. cor. eod. tom.*2.

AdVot. IV. n.162. & ad Vot. V. n.48. 61. & ad Vot.VI. n.35. & ad Vot.VIII. num.41.



Omini sine ulla difficultate censuerunt commissiones suffragari Domino Joanni Valleæ ad effectum imponendi perpetuum silentium Parti adversæ, cui juxta earum penultimæ tenorem fuit præfixus terminus ad transportandum acta, quæ non transportavit hactenus; Ideo non verificantur objectiones, quæ fiunt non fuisse latam sententiam a Bisuntino, neque fuisse interpositam appellatio-
1 nem ad *decis. Ægid.* 100. *Caputaq.* 129. *lib.* 1. *Cæsar de Graff.*2. *de rescript.* quia cum de istis constare non possit, nisi per Actorum productionem, quæ ex forma rescripti incumbebat Annæ, sibi imputet, si non produxerit *Cap. Constitutus in princ. de rescript.* sed neque productio relevaret, cum commissio, cujus vigore instat procedi Joannes, non fundetur in appellatione, sed in pendentia litis in Rota, de qua constat ex lectura commissionum, & in negotio hujusmodi Pars adversa non fovet bonum Jus, cum ipse non possit compelli ad 2
executionem Sponsaliorum prætensorum, ex quo extat causa justa non adimplendi, ut habetur in *Cap. Requisivit de Sponsal. Gabriel. cons.*188. *num.* 7. *et* 8. *lib.* 2. quia Parentes Joannis eum exhæredare volunt casu quo tale Matrimonium contraheret, 3
juxta Statutum Lotharingiæ, quæ causa visa est relevans ad recusationem implementi Sponsalium in *Causa Tullen. Matrimonii cor. R.P.D. meo Penn.* & super hac materia plures aliæ in Rota fuerunt factæ decisiones, quæ referuntur per Informantes. Neque obstant deducta contra commissiones, quia cessant stante ultima commissione proposita in plena Signatura Sanctissimi, in qua hæc omnia deducta, & rejecta fuerunt *Felin. in Cap. Nonnulli* §. *Sunt et alii vers. Tertio videtur de rescript.*, & nihilominus satis est, 4
quod Papa habuerit notitiam Decreti provisionalis, & litis pendentiæ coram Bisuntino, nam rescriptum hoc casu habet vim avocationis, quatenus opus esset *Rot. decis.* 3. *de appellat. in Nov. Felin: in Cap. Super literis num.* 12. *de rescript.* Non obstat, quod Anna nolit uti ultima commissione, quia Joannes procedit in vim præcedentis. Quare conclusum pro impositione perpetui silentii.

EMI-

EMINENTISS. CALCAGNINO

Amerina Sponsalium

Lunæ 22. Novembr. 1737.

ARGUMENTUM

Ad probanda priora Sponsalia pro secundis infirmandis non sufficiunt probationes vagæ, & ambiguæ, sed requiruntur in suo genere perfectæ, & undiquè concludentes, nèc sunt perfecta Sponsalia, nisi constet de reciproca utriusque Sponsi repromissione.

SUMMARIUM

1 *Facti species*, & num. 2.
3 *Ad probanda priora Sponsalia pro infirmandis secundis non sufficiunt probationes vagæ, & ambiguæ, sed indispensabiliter esse debent in suo genere perfectæ, & undiquè concludentes.*
4 *Actores, & collitigantes per proprias depositiones nihil probant.*
5 *Frater pro Sorore ad testificandum admitti non debet.*
6 *Testes Famuli, & familiares non sunt integræ fidei ad probandum Sponsalia in favorem propriæ Dominæ.*
7 *Testes singulares non probant.*
8 *Neque Testes deponentes de auditu.*
9 *Neque Testes mendaces, ac sibi ipsis contrarii.*
10 *Ut constet de Sponsalibus requiritur probatio promissionis utriusque Sponsi.*
11 *Plerumque præsumitur, quod Virgo passa non fuisset Stuprum, nisi prius intercessisset reciproca futuri Matrimonii promissio.*
Limita, *ut* num. 12.
13 *Ex mutua inter Virum, & Mulierem consuetudine Sponsalia probata dici non possunt.*
14 *Plerumque Mulieres Stuprum patiuntur non tam Connubii spe, vel fide, quam potius ob propriam sexus fragilitatem, et Amasiorum illecebris, et pertinaci obsequio devictæ.*
15 *Maximè quando sit Mulier infimæ conditionis, Vir autem nobilitate conspicuus.*
16 *Nobiles Viri non præsumuntur velle fœdare propriam nobilitatem vilium Fœminarum Conjugiis.*
17 *Sed propriarum Familiarum splendorem cuicumque voluptati, vel quæstui, ac etiam vitæ anteferendum existimant.*
18 *Præsumitur Sponsa Sponsalibus renunciasse, si acceptavit a Sponso donationem, ut majori facilitate nubere, et optimam occasionem invenire posset.*
19 *Nuptiæ coactæ tristes plerumque exitus habere solent.*

DECIS. XXIII.

Ad Vot. V. num. 8. & ad Vot. VII. num. 61. 71. 109. & ad Vot. IX. num. 233.



Atrimonium ineundum inter Evangelistam Naccium, & Luciam Boccarinam perturbare studuit Francisca Gatta, cui adhærentes duo Germani Fratres apponendum curarunt in Cancellaria Episcopali Civitatis Ameriæ solitum = *Nihil transeat* = sub ea excitata prætensione, quod d. Naccius pluries eamdem stabili Connubio sibi jungere promiserit, quod data futuri Matrimonii fide eam defloraverit, quodque dato etiam Annulo eamdem ipsam sibi subarraverit in Sponsam: sed causa cognita, Vicarius Generalis Amerinus removendum mandavit d. obstaculum, ac edito decreto declaravit d. Naccium in statu libero reperiri, ac proindè Matrimonium cum alia quavis Muliere sibi benevisa juxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ contrahere posse. 1

Decretum hujusmodi, cognita ejus Justitia, coram A. C. confirmari promeruit: interpositaque ulteriori appellatione ex commissione Signaturæ Justitiæ mihi directa dubium hoc mane proposui = *An constet de Sponsalibus in casu &c.* = quod dubium, frustra dilationem petente Francisca, pro Informante resolutum est. 2

Siquidem nullis certis probationibus demonstratum est d. Sponsalia inter Evangelistam, & Franciscam inita fuis-

ta fuisse, neque hoc in Judicio sufficiunt probationes vagæ, & ambiguæ, sed indispensabiliter requiruntur in suo genere perfectæ, & undiquè concludentes per *Text in Cap. Mulieri* ibique *Gloss. ver. Absolutio de jure jur. Cap.* 1. ubi *Gloss. de Clandest. Despons.* cum cæteris *in Surrentina Sponsalium* 8. *Februar.* 1730. §. *Propterea cor. Reverendissimo Domino meo Harrrach Episcopo Nitrien.*

3

Perfectas vero, & concludentes hujusmodi probationes nullatenus implere possunt gemini Fratres d. Franciscæ; Nam isti hac in Causa figuram gerunt Querelantium, sive Actorum, ut liquet ex actu appositionis d. impedimenti in Curia Episcopali Civitatis Ameriæ, & ex decreto d. Vicarii Generalis Amerini, & ex Sententia A.C.;

4 Notissimi verò Juris est, Actoribus, vel Collitigantibus non licere per proprias depositiones Jura sibi parare, ac probationes perficere ex *notat. per Felin. in Cap. Insuper num. 6. de Testibus, & per Rot. dec.* 174. *num.* 4. *cor. Cavaler. & dec.*742. *n.*6. *par.*18. *recent.*

Præsertim cum d. Collitigantes, sive Querelantes sint Fratres d. Franciscæ: Quo in casu de eorum attestationibus nulla fides habenda est, nam propter naturalem affectionem Frater

5 pro Sorore ad testificandum admitti non debet, ut observat *Farinacc. de Testibus, quæst.* 54. *n.* 25. *Rot. dec.* 54. *n.*12. *part.* 17. *recent., dec.* 17. *n.*12. *coram Ansold., & inter recollect. ad Ornat. Cord. de Luc. dec.* 17. *num.* 7. *lib.* 4. *tom.* 2. & in specie *in Leodien. Matrimonii* 28. *Junii* 1720. §. *Et sane cor. bo. me. Foscaro*, ac in fortioribus terminis, quod nec etiam Servi, ac Familiares habendi sint integræ fidei, ex quo apparent fautores asser-

6 torum Sponsalium, relatis concordantibus, dixit *Rot. in Majoricen. Sponsalium* 10. *Junii* 1735. §. *Porrò coram R. P. D. meo Crescentio.*

Sicuti verò nulla spes, ac fundamentum reponi potest in Testimoniis dictorum Fratrum, ita neque ullum perfectæ probationis gradum attingere valent Testes omnes coram

7 A. C. formiter interrogati: Omnes siquidem, vel sunt singulares, & proinde contra eos facit literalis *Textus in Cap. Licet causam* ibique *Gloss. in verb. Singulare de probat. l. Ob carmen §. final. ff. de Testibus Bart. in Cap. Nihil obstat de verbor. sign. Rot. dec.*89. *n.*4. *coram Emerix, & dec.* 12. *n.* 12. *cor. Caprara*, & passim; Vel simpliciter 8 referunt de auditu, & ita contra eos pariter facit alter *Text. in l. Testium Cod. de Testibus, & Rot. dec.* 1823. *num.*58. *coram Coccin., dec.*1251. *n.*5. *coram Emerix Jun., et dec.* 676. *n.*13. *coram Caprara*, & alibi millies, vel deniquè sunt mendaces, ac sibi ipsis contrarii, & sic nulla eisdem fides præstanda est per *Rot. dec.* 52. *n.* 8. *coram Peutinger. dec.* 82. *num.* 26., *et* 27. 9 *part.* 18. *dec.*431. *n.*21. *part.* 19. *recent., et dec.* 8. *num.* 15. *tom.* 1. *coram Ansal.* cum aliis *in d. Majoricen. Sponsalium* §. *Quinimo cor. R. P. D. meo Crescentio.*

Ast quatenus etiam iidem Testes omnibus his exceptionibus majores forent, non tamen aliquid ad Actricis intentum conferrent. Nam licet ex eorum depositionibus erueretur d. Evangelistæ sponsio, seu promissio, nihil tamen refertur de Mulieris reciproco consensu, seu repromissione, & proinde ad effectum, de quo agitur, nihil ex Testimoniis hujusmodi concludi potest: Quandoquidem, ut de Sponsali- 10 bus constet, non satis est docere de alterius sponsione, sed requiritur, ut probetur reciproca utriusque repromissio *per Text. in leg.* 1. *ff. de Sponsal. Card. de Luc. de Matrim. disc.*19. *num.* 4. cum concordan. *in d. Majoricen. Sponsal.* §. *Cum enim cor. R.P.D. meo Crescentio.*

Argui autem nèc potest d. Mulieris repromissio ex subsecuta defloratione, ex qua plerumque præsumitur, 11 quod Virgo haud passa fuisset stuprum, nisi prius intercessisset reciproca futuri Matrimonii promissio; quandoquidem in facto non probatur, quod Francisca sui copiam Evangelistæ fecerit: Minusque probatur, quod id sub data, receptaque Matrimonii fide contigerit. His autem deficientibus copulatim probationibus nullum validum pro assertis Sponsalibus argumentum con- 12

Yy stitui

ſtitui poteſt. Nam alias etiam ſi de
mutua inter Virum, & Mulierem con-
13 ſuetudine certi eſſemus, neque Spon-
ſalia probata dici poſſent, ex animad-
verſis per *Rot. deciſ.* 682. *num.* 13. *co-
ram bo.me. Lancett.*, *& in d. Surren-
tina Sponſalium* §. *Nec pariter funda-
mentum coram Reverendiſſimo P. D.
meo Harrach.*

Plerumque enim Mulieres ſe ſe
Viris ſubiciunt non tam connubii ſpe,
vel fide, quam potius captæ proprii
ſexus fragilitate, ac devictæ amaſiorum
14 ſuorum illecebris, ac pertinaci obſe-
quio, ut benè obſervatum fuit per
Rot. in dicta Majoricen. Sponſalium
confirmat. 25. *Novembris* 1735. §. *De-
ficiebat cor. eodem R. P. D. meo Cre-
ſcentio*, quod facilius quidem præſu-
mere eſt in oppoſita ſpecie, in qua
15 præſupponitur Mulierem eſſe infimæ
conditionis, Virum verò eſſe propria
nobilitate conſpicuum; Nobiles quip-
pe Viri, haud facilè vilium Fœmina-
16 rum Conjugiis propriam Nobilitatem
fœdare velle præſumuntur: Nam ii
propriarum Familiarum ſplendorem,
ac decus cuicumque voluptati, vel
17 queſtui, ac vitæ etiam propriæ ante-
ferendum exiſtimant, *ad Text. in leg.
Iſti quidem ff. quod met. Cauſ. leg. Re-
præhendenda Cod. de Inſtit.*, *& ſub-
ſtit. leg. Quiſquis Cod. de Poſtulando
Garz. de Nobilitat. Hiſp. part.* 4. *c.* 9.
num. 3. *et per Rot. deciſ.* 907. *num.* 10.
tom. 3. *part.* 2. *coram Molines*.

Cui, & in facto accedit, quod
dictus Evangeliſta Naccius per publi-
cum Inſtrumentum Anno 1725. dictæ
Franciſcæ Gattæ donavit Domum
quamdam poſitam in Civitate Ameriæ
una cum omnibus, & ſingulis mobili-
bus in ea exiſtentibus ad deſignatum
effectum, ut illa majori facilitate nu-
bere, & optimam occaſionem inveni-
re poſſet, eamque Donationem dicta
Franciſca ſubindè acceptavit: Et proin-
dè etiamſi conſtitiſſet à viginti quin-
que retrò Annis, ut Actrix prætendit,
datam fuiſſe Matrimonii fidem, validum
ex dicta Donatione, ejuſque accepta-
tione argumentum reſurgit, quod Do-
18 nataria Juri ſibi parto ex aſſertis Spon-
ſalibus ultrò renunciaverit, eaque mu-
tuo conſenſu diſſoluta remanſerint, ut
in debilioribus arguit *Rota coram Za-
rat. deciſ.* 208. *num.* 22. *et in recen.
deciſ.* 185. *par.* 4. *et in d. Surrentina
Sponſalium* §. *His denique accedebat
coram Reverendiſſimo Harrach*.

Iſtaque omnia majorem longè vim
reſumere viſa ſunt, perpenſo præſer-
tim effectu, pro quo a dicta Franciſca
hæc actio inſtructa eſt. Quandoqui-
dem hic prætenſorum Sponſalium ca-
nonizatio petitur ad eum certè effe-
ctum, ut alia Sponſalia ſolemniter
inita inter d. Naccium, & Luciam Boc-
carinam diſſolvantur, & reſpectivè
idem Naccius omnibus Juris remediis
ad ineundum cum ipſa Franciſca Ma-
trimonium cogatur. Aſt pro hujuſmo-
di effectu aures haud faciles præbendæ
viſæ ſunt, potiuſque ex ſaniori conſi-
lio enitendum eſt, ut ab hujuſcemo-
di coactionibus abſtineatur. Nam Nu-
ptiæ Judicibus cogentibus initæ triſtes
plerumque exitus habent, & infeli- 19
ces, lugubreſque perſæpe effectus pare-
re ſolent, *Text. in Cap. Requiſivit de
Sponſal. Gloſſ. in Cap. Ex literis il* 2.
verb. Compellas tit. eodem, et in cap. 1.
*verb. Excommunicatuſque de Adulter.
et Stupr. Præpoſit. in d. Cap. Requiſivit
de Sponſal. Menoch. conſil.* 786. *num.* 8.
et ſeqq. Rot. deciſ. 526. *num.* 1. *coràm
Cavaler. et in Albanen. Sponſalium
ſuper Cenſuris* 15. *Decembris* 1710.
§. *Quamobrem coram bon. me. Anſald.*,
*et in Pampilonen. Sponſalium ſuper
Cenſuris* 7. *Februarii* 1718. §. *Confir-
matione coràm bo. mem. Herrera*, *et
in dicta Surrentina Sponſalium* §. *Cum
igitur coram Reverendiſſimo Harrach*,
et in dicta Majoricen. Sponſalium 10.
Junii §. *Profectò*, *et in Confirmato-
ria* 25. *Novembris* 1735. §. *Cæterum
coram R. P. D. meo Creſcentio*.

Et ita unica &c.

R. P. D.

R. P. D. LANCETTA

Baren. Sponsalium.

Veneris 26. Junii 1711.

ARGUMENTUM

Sponsalia quomodo ex testibus intervenisse probentur, & quinam consensus requiratur ad effectum canonicæ coactionis, & ex quibus odii causis sint dissolvenda.

SUMMARIUM

1 *Sponsalia concludenter probari debent, et quare.*
2 *Sponsalia etiam valida penitus dissolvuntur, si legitimæ supervenerint causæ.*
3 *Testes quando in dicto ad Sponsalia concludenda non attendendi sint.*
4 *Sponsalia dari nequeunt, non constito de mutuo Contrahentium consensu, licet ex unica parte deficiat.*
5 *Pro Sponsalibus requiruntur consensus, et voluntas efficax, et deliberata, nec probantur ex actibus æquivocis, et verificabilibus in velleitate Sponsalium de futuro.*
6 *Sponsalia non concludunt depositiones testium* = che la voleva sposare = basta l'hò da affidare = che ci andava a fine di Matrimonio = *et quarè?*
7 *Consensus ad Sponsalia requiritur de præsenti.*
8 *Obligatio Sponsalium ad effectum coactionis non oritur a desiderio Sponsalia contrahendi.*
9 *Promissio desponsandi, et ipsa Sponsalia maximè inter se differunt.*
10 *Sponsalia non probant verba meticulosè, et ad alium effectum prolata.*
11 *Repromissio, et consensus mulieris in Sponsalibus, præter expressum, desumitur re, literis, et signis.*
12 *Repromissionem Sponsæ non probant munuscula ad aliud referibilia.*
13 *Nec sola domestica conversatio.*
14 *Effectuationi Sponsalium locus non est, cum concurrunt causæ odii, quæ enunciantur.*
15 *Coactioni Canonicæ locus non est, cum Sponsalia vel non sunt probata, vel dissolvi debent, et quomodo contra.*

DECIS. XXIV.

Alias dec. 682. inter impress. cor. eod. tom. 3.

Ad Vot.V. n.8. & ad Vot.VII.n.66. 68.71.73.



Vitus Dominicus Italianus, qui adversus Antoniam Stallonam a Vicario Generali Baren. Sententiam favorabilem super exclusione Sponsalium reportaverat, dicta Stallona appellante, contrariam ejus revocatoriam hic in Curia a R.P.D.Bernino passus fuit cum prefixione quoque termini ad contrahendum sub pœna censurarum, qui ideò minimè acquiescens huic secundo judicato, Causa in ulteriori instantia ad nostrum Tribunal devoluta, & mihi commissa, curavit disputari dubium = *An constet de Sponsalibus, et sit locus Canonicæ coactioni* = illoque per me proposito in hodierna audientia *negativum* in omnibus *responsum* a Dominis habui.

Existimarunt etenim, quod Sponsalia in casu, de quo agitur, careant illa concludenti probatione necessaria in hac Causa status, & tollente nativam hominum libertatem, ut ex *Text. in Cap.* 1. ibique *Gloss. de Clandest. desponsat. Rot. dec.* 374. *num. primo coram Cels.*, & quod in omnem casum tales supervenerint causæ, ex quibus data etiam Sponsalium existentia, censenda sint penitus dissoluta ex novissimè firmatis per *Rot. in Albanen. Sponsalium super censuris* 15. *Dec.* 1710. §. *Applicando cum seqq. coram R.P.D. meo Ansaldo* confirmata 22. *Junii proximè præteriti. coram R. P. D. meo Falconerio.* 1 2

Constitit autem Dominis Testes inductos Sponsalia non probare, nam

præter exceptiones personales ab informantibus cumulatas, alias plures patiuntur in dicto, utpotè quia depo-
3 nunt inverisimilia per eumdem præmeditatum sermonem, vocant in contestes alios, qui illos excludunt, & loquuntur de auditu, in quibus casibus haud est ambigendum testibus nullam fidem esse præstandam *Rot. decis.297. num.7. part. 19. rec.*, *& in Pisauren. Molendinorum super manutentione 17. Junii 1707. §. Nec relevant coram Rmo Kaunitz Episcopo Lubaren.*

Advertendo signanter, quod neque deponunt de mutuo, ac reci-
4 proco Contrahentium consensu, sine quo impossibile est Sponsalia admittere, licet ex unica tantum parte deficiat *de Luc. de Matrim. disc.8. num.8. & seqq. Rot. coram Zarat. decis. 108. num.21. & dec.142. num.4. cum seqq. part. 15. rec.*

Et licet deponant de aliquibus actibus, ex quibus videretur posse inferri ad probationem Sponsalium,
5 tamen cum sint æquivoci, & possint verificari in quadam velleitate Sponsalium de futuro, non sufficiunt ad hunc effectum, pro quo requiritur consensus, & voluntas efficax, ac deliberata pluribus cumulatis *Rot. in Luceorien. Matrimonii 3. Apr. 1708. §. Et ratio est cor. R.P.D. meo Scotto.*

Sicut minus efficacem volunta-
6 tem secumferunt verba de quibus iidem Testes deponunt = *Che la voleva*
7 *Sposare* = *Basta l' hò da affidare* = *Che ci andava a fine di Matrimonio* = eo quia non indicant illum consensum
8 volitum de præsenti, sed solum ostendunt quoddam desiderium Sponsalia contrahendi, adeout ex isto præcisa obligatio ad effectum coactionis nullatenus orta dici possit ad tradita per *Sperell. dec.95. n.10 Panimoll. dec.23. n.6. Rot. dec.267. n.5. part. 18. rec.* ea solida
9 ratione, quia maximum intercedit discrimen inter promissionem desponsandi, & ipsamet Sponsalia *Sanchez de Matrim. lib.1. disput.18. num. 13. Rot. dicta decis.267. n.5. par.18. rec.*

Fortius quia præfata verba, ut prosequuntur in eorum depositione dicti Testes, emissa fuerunt occasione minarum, quæ ei inferebantur de periculo vitæ, si ad notitiam Parentum Antoniæ actus præcedenter expressi devenissent, undè sicuti meticulosè, atque ad alium effectum prolata ad intentum nullo modo possunt inser- 10
vire *Paris. cons.58. num.56. & seqq. lib. 4. latè Sperell. dec.5. per tot.*

At non solum probatus non remanet ex prædictis consensus Viti Dominici, sed nec etiam constat de repromissione, & consensu Antoniæ, cum de eo Testes non deponant, & quamvis vera sit conclusio, illum desumi 11
posse etiam aliundè, nempe re, literis, & signis *Rot. in Colonien. Matrimonii 2. Junii 1709. §. Etiamsi consensus coram R. P. D. meo Falconerio*; tamen in præsentibus circumstantiis nihil de istis habetur.

Non re, quia quædam munuscula maximè dum referri possunt ad aliam causam, ut in hypothesi, consensum non probant, *Rot. d. dec.267. num. 15. part. 18. rec.* Non epistolis, 12
nec signis, quia illæ non dantur, ista non probantur, & sola domestica conversatio ad hunc effectum attendi 13
non valet *Rot. in Lunen. Sarzanen. Sponsalium 28. Junii 1694. §. Neque sufficientior coram bo. me. Pio.*

Quibus addi posse videbatur, quod in omnem casum tales concurrunt causæ odii inter Partes, ut locus 14
esse nequeat effectuationi Sponsalium, quatenus adessent; Concurrunt enim querela data ab Antonia in Curia Baren. contra Vitum Dominicum, & è converso carceratio Patris, & Fratris Antoniæ facta ad instantiam Viti, dissensus parentum ejusdem Viti, quoad hoc Matrimonium, ac tandem substentatio hujus litis per plures annos, quæ omnia profectò simul juncta ad effectum de quo res est, sufficiunt, ut in durioribus terminis firmavit *Rot. coram Buratt. decis. 311. & in recen. decis.185.* utrobique *n.3. part. 14.*

Constito igitur ex hucusque dictis, quod vel Sponsalia non sunt probata, vel dissolvi debent, necessaria resultabat consequentia, non esse sci- 15
licet locum canonicæ coactioni, quæ solum conceditur, quoties de Sponsalium existentia dubitari non possit, ex

, ex latè deductis in *citata Albanen. Sponsalium super censuris* 10. *Decembris* 1710. *cor. R. P. D. meo Ansaldo*. Et ita unica tantum &c.

R. P. D. EMERIX JUN.

Melevitana Matrimonii

Veneris 4. *Febr*. 1695.

ARGUMENTUM

Stuprans sub fide Matrimonii tenetur præcisè ducere Stupratam, nèc liberatur sese exhibendo promptum dotare, nisi odium, & capitales inimicitiæ invicem subortæ suadeant abstineri a Matrimonio ad evitanda majora scandala.

SUMMARIUM

1 *Stuprum probatur ex testibus deponentibus de familiari conversatione, amplexibus, osculis, aliisque inhonestis actibus effectuatis inter Stuprantem, & Stupratam.*

2 *Confessio tam Stuprantis, quam Stupratæ probant Stuprum.*

3 *In materia difficilis probationis admittuntur Testes etiam singulares, & domestici.*

4 *Præsertim quando Testes sunt numero plures, et singularitas non est obstativa.*

5 *Stuprans tenetur alternativè desponsare, vel dotare Stupratam.*

6 *Stuprans sub fide, et repromissione Matrimonii tenetur præcisè desponsare Stupratam.*

7 *Limita quando promissio Matrimonii non fuit simplex, sed in certum casum collata.*

8 *Non eveniente casu, in quem fuit facta promissio, Promissor non tenetur ad ejus implementum.*

9 *Odium, et inimicitiæ capitales subortæ inter Stuprantem, et Stupratam excusant ab effectuatione Matrimonii.*

10 *Vita inhonesta Stupratæ superveniens post Stuprum liberat a ducendo, non a dotando.*

11 *Obligatio dotandi Stupratam succedit pro aliquali restauratione damni per Stupratam passi.*

12 *Adversus factum proprium nemo audiri debet.*

13 *Declaratio a Carcerato emissa intra Carceres ad finem sese eximendi a Carceribus non est attendenda.*

14 *Limita, nisi extra Carceres fuerit successivè ratificata.*

DECIS. XXV.

Alias decis. 1226. *inter impress. cor. eod. tom.* 3.

Ad Vot. VII. num. 86. & sub num. 95.



Duo Judicia fuerunt instituta adversus Carolum, unum criminale in Curia Castellaniæ ab Archangelo Patre DorotheæStuprum passæ, in quo Carolus condemnatus fuit ad eam desponsandam, vel dotandam, & alterum civile ab ipsa Dorothea coram Vicario Generali, a cujus interlocutoria, super quodam emergenti lata, interposita per ipsam appellatione, & Causa mihi commissa, ac in vim remissoriæ Rotalis confectò processu super Stupro dedi dubium. *An Carolus teneatur eam desponsare, vel dotare?* Et Domini sub eadem alternativa affirmativè responderunt.

Stuprum enim probatur ex depositionibus plurium Testium formiter examinatorum, qui testantur non so- 1
lum de frequenti accessu Caroli ad Dorotheæ domum, de familiari conversatione cum ipsa, una cum subsecutis, & reiteratis per plures vices amplexibus, osculis, aliisque inhonestis actibus; verum etiam de confes- 2
sione emissa tàm a Stuprante, quam a Stuprata, & signanter de illius sollicitudine, & cura alendi prolem ex ea nascituram, diligentiisque peractis ad effectum reportandi consensum a Patre pro nuptiis. Non relevante, 3
quod Testes sint singulares, & domestici, quoniam hujusmodi etiam Testes admittuntur in hac materia difficilis probationis, præsertim quando singu-

4 singularitas non est obstativa, & Testes sunt numero plures, ad trad. *in Cap. Ex literis 12. de præsumpt. Hostien. in Cap. Præterea de Testib. Rot. decis.143. per tot. coram Buratt. & in Colonien. nullitatis Matrimonii 1. Julii 1693. coram R. P. D. Molines, & 25. Junii proximè preteriti*, §. *Non obstat coram me*.

Probato autem Stupro, palàm est Stuprantem teneri, vel despon-
5 sare, vel dotare Stupratam, *juxta Text. in Cap.1. & 2. de Adulter. Abb. in d. Cap. 1. num. 4. Ancharan. ibid. num. 5. Clar. in §. Stuprum num. 3. vers. Quero, & in Avenionen. dotationis 2. Maii 1687. §. In hodierna coram bo. me. Benincasa & 16. Januarii 1693. §. Et profectò coram R.P.D. meo Molines*.

Neque obstat, quod hic agatur non de simplici Stupro, sed de Stu-
6 pro secuto sub fide, & repromissione Matrimonii, quo casu cogendus est Stuprator Stupratam ducere, ex quo ipse ita se obligavit, & ista sub hac promissione præcisè Stuprum passa fuit, *Ciarlin. controv. forens. cap. 174. n. 60. lib. 2.* cum aliis relatis in alia hujus Causæ *Decisione* super Remissoria §. *Relevantia* coram me.

7 Tum quia promissio non fuit simplex, sed in certum casum mortis Patris collata, ut deponit primus Testis super quinto, *Summario Dorotheæ n. 1.* & super tertio, *Summario restrictus Testium Caroli num. 1. litt. l.* & octavus super duodecimo, *Summario ejus-*
8 *dem restrictus n. 1. litt. GG.*, qui cum adhuc non evenerit, nequit hodiè Carolus cogi ad ejus implementum *ad Text. in l. Cedere diem ff. de verb. signif.* & in his præcisis terminis *in Cap. fin. de Sponsal. in 6. Rot. coram Cerro decis.761. num.7.*

Tum etiam quia, eum ipse fuerit ab eodem Archangelo Dorotheæ Patre criminaliter accusatus, & ex hac causa spatio duorum annorum in Carceribus detentus, & graves expensas sustinuerit, dici debet inter
9 eos odium, & inimicitia suborta, ob quæ ille cogi non debet ad effectuandum Matrimonium, ut tradunt *Ciarlin. controv. forens. cap. 179. num. 78. & 79. Tondut. resol. civil. cap. 189. a num. 2. tom. 1. Rot. decis. 142. num. 3. part. 14. recen.*

Minus subsistit, quod Carolus immunis evaserit ab onere dotandi Dorotheam ex capite successivæ ipsius 10
inhonestatis. Quoniam hæc non probatur ex Testibus ad hunc finem adductis, tamquam plurimas exceptiones patientibus, latè recensitas per Scribentes pro Dorothea; & probata non relevaret, quia liberat quidem ab onere ducendi, non autem consti- 11
tuendi dotem, quæ inservit quodammodo in restaurationem damni per Stupratam passi *Thesaur. quæst. forens. 97. num. 1. Thor. vot. dec. 66. n. 69. 70. & 73. par. 2. Card. de Luc. in supplem. tom. 2. tit. de dot. disc. 170. a num. 2. ad 5.*

Eòque fortius quia Carolus, postquam fuit in hac Causa per Sententiam Curiæ criminalis Castellaniæ condemnatus, vel ad ducendam, vel ad dotandam Dorotheam, declaravit velle illam dotare, & pro adimplemento factæ electionis fidejussores præstitit *Summaria Dorotheæ num. 2. & 3.*, un- 12
dè adversus proprium factum non videtur in præsenti audiendus, *Cap. Quod semel placuit de reg. Jur. in 6. Rot. coram Cerro dec. 654. num. 5.*

Nec suffragatur, quod hujusmodi declaratio, & acceptatio Sententiæ emanaverit tempore, quo ipse in Car- 13
ceribus detinebatur, ac proindè, tamquam per metum emissa, & ad se a carceribus liberandum attendi non mereatur: Quoniam objectum diluitur ex ratificatione acceptationis per Carolum facta extra Carceres *Sum-* 14
mario ipsius n. 4., quæ, uti emanata tempore non suspecto, & post terminatum judicium criminale, & civile introductum *dicto Summario num. 4. litt. A.* sicuti patefecit liberum ejus animum dotandi Stupratam, ita antecedentem acceptationem non meticulosam, sed voluntariam, & liberam fuisse demonstrat.

Et ita decisum fuit &c. Utraque Parte, &c.

R.P.D.

R. P. D. EMERIX JUN.

Melevitana Matrimonii.

Veneris 1. Julii 1695.

Confirmatoria præcedentis.

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decisione.

SUMMARIUM

1 *STuprator tenetur alternativè ad dotandam, vel ad ducendam Stupratam.*

2 *Si tamen Stuprum processit prævia promissione Matrimonii, tenetur præcisè ad ducendam sub pœna Censurarum.*

3 *Debet tamen ad hunc effectum constare de Sponsalibus veris cum promissione scilicet, & repromissione.*

4 *Et repromissio est necessario probanda, etiamsi secuta sit copula.*

5 *Potest tamen Judex in hac materia ex justis causis abstinere a coactione.*

6 *Justa causa est odium irreconciliabile superventum inter Stuprantem, & Stupratam ex quo possint oriri scandala.*

7 *Item apertus, & fortis animus Stuprantis potius moriendi, quam ducendi.*

DECIS. XXVI.

Alias dec. 1285. inter impress. cor. eod. tom. 3.

Ad Vot. V. num. 8. & ad Vot. VII. num. 71. 72. 99. 103. 106. & ad Vot. IX. num. 178.



ADversus resolutionem promulgatam sub die 4. Februarii præteriti, in qua dictum fuit Carolum alternativè teneri vel ad dotandum, vel ad nubendum, & successivam ejusdem Caroli paritionem mediante electione Dotis, reclamans, Dorothea, obtinuit hodie proponi dubium: *An esset standum, vel recedendum a decisis?* frustra tamen, dum perpensis rursus maturè facti circumstantiis, recessum obtinere non valuit.

Firmum siquidem apparuit fundamentum præteritæ Decisionis in eo situm, quod Stuprator satis proprium crimen purgare dicitur, si per Stuprum cognitam alternativè dotet, aut 1 ducat, *juxta Text. in Cap. 1. & 2. de Adult.*, quos ita esse intelligendos ex generali consuetudine, præter adductos in eadem Decisione §. *Probata autem* communiter notant *Ruin. cons. 189. num. 8. lib. 2. Joann. Guttier. quæst. Canonic. lib. 1. cap. 37. num. 11. Rub. in adnotat. ad dec. 31. num. 111. par. 4. tom. 2. Gomez ad ll. Taur. 80. num. 7. vers. Sed his non obstantibus. Mori. in empor. Jur. part. 1. tit. 1. quæst. 6. num. 25. vers. Ut obiter dicam, Barbos. in Jus Canonic. in dict. Cap. 1. num. 7. de Adulter. Tondut. resolut. benef. cap. 184. num. 1. & seqq.* plenè *Rot. decis. 779. numer. 3. & sequenti part. 4. diversorum.*

Et licet conclusio frequentiori Doctorum calculo solum firmetur, quoties agitur de Stupro simplici, non autem de qualificato cum explicita 2 promissione Matrimonii, quasi tunc ratione damni illati, & promissionis violatæ, cesset electio, & fiat locus coactioni causativæ, mediantibus scilicet Ecclesiasticis censuris ad litteram *Text. in dicto Cap. 1. de Adult. & Cap. Requisivit* juncta *gloss. & D. D. de Sponsal.*

Tamen ad retardandum hujusmodi censurarum usum duplex in præsenti concurrere visa fuit circumstantia, prima nempe fundata in defectu probationis Sponsalium tàm ex parte 3 Viri, dum testes ad hoc inducti, vel illam penitus excludunt = ibi = *Non hò mai inteso dire, che l' interrogante avesse mai detto d' hover Desflorata Dorotea sotto promessa di prenderla per Moglie = Summario præteritæ positionis &c. Caroli num. 1. Litt. I.* vel non deponunt de promissione pura, sed solum de conditionali, & quidem post obitum Patris, ut observatum fuit in præcedenti Decisione §. *Tum quia*, quàm etiam ex parte Mulieris, quæ non probatur unquam acceptasse pro-

promissionem Caroli, imo nèc fuisse præsentem, & repromisisse, prout deberent; cum Sponsalia non contra-
4 hantur sine mutuo utriusque consensu *l.* 1. *&* 2. *ff. de Sponsal. Cap. Nostrates* 30. *quæst.* 5. etiamsi sequatur copula *od Text. in Cap. Tua nos* 26. *de Sponsal., & Matrim. Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disput.* 1. *num.* 7. *Sperell. decis.* 95. *num.* 9. *&* 10. *Rot. coram Celso dec.* 374. *num.* 3.

Et altera in superveniientia novæ causæ, quæ quoties est justa, & pro
5 tali probatur a Judice, cujus arbitrium in hac materia plurimum versatur, ut inquit *Rot. coram Gregor. dec.* 376. *num.* 5. justum quoque præbet fundamentum recedendi a Sponsalibus, tametsi illa essent, prout in præsenti non sunt, plene probata, & jurata *Cap. Ex litteris* 10. = ibi = *nisi rationabilis causa obstiterit* = *& Cap. Requisivit*, ibique DD. communiter *de Sponsal. & Matrimon. Rot. dec.* 19. *num.* 2. *& seq. part.* 10. *recent.*

Causa autem non una, sed plures in hac facti specie concurrunt, sive respiciamus ad carcerationem, quam Carolus passus est per biennium, & ultra, sive ad litis contestationem, acerrimamque illius sustentationem per decennium, sive denium ad examen Testium super diffamatione Dorotheæ; ex quibus omnibus simul junctis odii adeo irreconciliabilis semina præsumuntur exorta, ut in casu Matrimonii inter eos jungendi per compulsum censurarum periculum gravium scandalorum sit verisimiliter pertimescendum, ac ideo longè melius videatur ab ulteriori coactione
6 desistere ad notata per *DD. in d. Cap. Ex litteris Gabr. dicto cons.* 186. *n.* 7. *& seqq. lib.* 2. *Rot. dec.* 207. *num.* 9. *part.* 1. *recent.* Præsertim post apertè declaratum a Carolo animum velle prius subire quodlibet præjudicium, quam nunquam Matrimnnio copulari cum Dorothea *Abb. in d. Cap. Ex litteris num.* 8. *Fortunat. in Cap.* 1. *n.* 30. *declarat.* 6. *de pact.* ubi monet Judicem, ut compellat eum, quem videt in sua simplicitate titubantem, secus eum, quem cognoscit constanti animo reluctantem, ne præbeatur occasio spretus Censurarum *Gabr. dicto cons.* 186. *num.* 5. *&* 14. *lib.* 2. *Rot. decis.* 185. *num.* 5. *part.* 14. *recent.*

Et ita &c. Utraque &c.

EMINENTISSIMO PRIOLO

Camerinen. Sponsalium

Vener. 12. *Junii* 1711.

ARGUMENTUM

Vir, qui Fœminam defloravit, & eum ea deinde Sponsalia contraxit, illam in Uxorem ducere tenetur.

SUMMARIUM

1 F*Acti species*, & num. seqq.
4 *Vir, qui promisit sub obligatione Camerali, & mediante Apocha coram Parocho, & duobus Testibus exarata, Mulierem in Uxorem ducere, datam fidem servare tenetur.*
5 *Et ad id per Censuras compelli potest.*
6 *Minor, qui sine solemnitatibus Apocham Sponsalium juramento vallatam exaravit, Sponsalia adimplere tenetur.*
7 *Maximè si major effectus post quinquennium non reclamavit.*
8 *Sed potius propriam obligationem ratificavit.*
9 *Licèt Sponsa præsens non fuerit confectioni Apochæ Sponsalium, nihilominus Sponsalia perfecta dicuntur, si tam ante, quam post Sponsalium promissionem illius consensus non defuit.*
10 *Consensus Mulieris ante Sponsalium promissionem non deficit, si sub spe futuri Matrimonii se deflorari permisit.*
11 *Nèc deficit subsequens, si apposuerit impedimentum adversus Sponsum contrahendi Nuptias cum aliis Mulieribus.*
12 *Parentes possunt contrahere Sponsalia pro Filiis absentibus.*
13 *Si in Apocha Sponsalium promissa fuerit Dos solvenda intra biennium, quatenus non solvatur, obligatio contrahendi Matrimonium non corruit.*

14 *Quan-*

14 *Quando expirato termino appoſita in Apocha Sponſalium ad contrahendum Matrimonium, Sponſalia nihilominus non diſſolvantur.*

15 *Propter querelam Stupri porrectam a Patre Mulieris Stupratæ adverſus Stuprantem, hic non excuſatur ab illa deſponſanda, pro ut antea promiſerat.*

16 *Querela Stupri, uti remedium inductum a Jure pro effectuatione promiſſarum nuptiorum, non eſt causa ſufficiens pro illis dirimendis.*

17 *Liberatur promiſſor ab adimplemento promiſſæ fidei, quando adſunt cauſæ urgentiſſimæ, ex quibus vel odium capitale, vel ſcandala inter Conjuges oriri poſſunt.*

18 *Nec impotentia ſolvendi dotem promiſſam, nec ætas Mulieris jam provecta liberat Sponſum ab ea deſponſanda, quando ipſe opportuno tempore non fuit ſollicitus de conſtitutione dotis, nec de ineundo Matrimonio per verba de præſenti.*

19 *Maximè cum jam ſequuta fuit copula.*

DECIS. XXVII.

Ad Vot.V. ſub. n.9.& ad Vot.VII. n.167.



1 POST quam Laurentius Schietti per Apocham Matrimonialem Sponſalia contraxerat cum Maria Roſa Razzanti, quam anteà defloraverat, renuens illam executioni demandare, quinimò cupiens Matrimonio jungi cum altera Muliere, inſtetit coram Vicario Camerini prò remotione ſoliti impedimenti ad inſtantiam dictæ Mariæ Roſæ appoſiti, votique compos effectus fuit; verum interpoſita appellatione per ſuccumbentem coram R. P.
2 D.A.C. Cerro, hic, prævia revocatione Sententiæ de Partibus, declaravit Laurentium teneri, & obligatum eſſe ad Matrimonium contrahendum cùm Maria Roſa per verba de præſenti; A qua Sententia per lapſum fatalium in judicatum tranſacta, & poſtmodum devoluta ad noſtrum Tribunal, propoſui hodie dubium. *An conſtet de re judicata, ſeu potius de Cauſis reſtitu-* 3
tionis in integrum, & affirmativum, quo ad primam partem, negativum, quo ad ſecundam reſponſum accepi.

Motivum reſolutionis fuit, quod cum Laurentius promiſerit ſub obligatione Camerali, & mediante Apocha coram Parocho, & duobus Teſtibus exarata, prædictam Mariam Roſam in Uxorem ducere, datam fidem ſer- 4
vare tenetur ad *Text.in Cap.Ex literis il ſecondo de Sponſal. Rot. coram Cavaler. deciſ.* 415. *num. primo, et per tot. Adden. ad deciſ.* 431. *num.* 59. *& ſeqq. part.* 4. *recent. tom.* 2. Adeòut in caſum recuſationis compelli etiam poſſit per Cenſuras, ut io puncto aliàs 5
firmavit *Rot. coram Gregor. deciſ.* 376. *num.* 1. cum ibi relat.

Haud obſtante, quod prædicta obligatio emiſſa fuerit ſinè ſolemnitatibus tempore, quo Laurentius erat Minor, ac proiodè nullius ſit roboris, & efficaciæ; Siquidem hujuſmodi de- 6
fectus opponi non valet contra Apocham juramento vallatam, per ea quæ ad rem tradit *Sanchez de Matrim. lib.6. diſput.*363. *n.*13. *in fine*, maximè quia Major effectus non ſolum 7
poſt quinquennium minimè reclamavit, quod ſufficere videtur ad *Text. in l. fin. Cod. ſi major factus rat. hab. Cancer. var. reſol. part.*2. *cap. primo num.*34. *Ciarlin. controv. foren. lib.*2. *cap.* 196. *num.* 28., *&* 29. *Cyriac. controv.*308. *a num.*4. ſed potiùs propriam obligationem ratificavit, atquè coovalidavit, ut deponunt Teſtes *Summ.* Mariæ Roſæ *num.*4. *litt. B. C.* 8
& tenent DD. ſupra relati.

Nullius quoquè relevantiæ viſa eſt altera exceptio, quod nempè in confectione prædictæ Apochæ noo intervenerit conſenſus, & præſentia Mariæ Roſæ, ſed ſolùm Joannis Baptiſtæ Patris, quapropter nulla quoquè reputari debeat ex hoc capite; Etenim advertebatur, quod licèt in ipſo actu non interfuerit expreſſus illius conſenſus, attamen non defuit tacitus tàm antè, quàm poſt Sponſalium promiſſionem, qui ſatis ſuperque repu- 9
tatur ad effectum de quo agitur adno-

tat per *Card de Luc. de Dot. disc. 78. num. 11. Sanchez de Matrim. tit. de Sponsal. disput. 23. qu. 3. n. 16. et 17. Panimoll. dec. 23. annot. 2. a num. 11.*

Et sanè antecedenter nullus major desiderari potest assensus, quàm
10 ille præstitus per Mariam Rosam, dùm sub spe futuri Matrimonii passa est se a Laurentio deflorari; subsequentem verò ad exuberantiam concludebant, non solùm depositio es Testium, sed ipsamet oppositio impedimenti con-
11 trahendi Nuptias cum aliis Mulieribus, quod citrà illius voluntatem appositum fuisse præsumi nequit. Quod eo facilius admittebatur, quia ratione publicæ honestatis in Jure vetitum non est, quinimo concessum, quod Parentes possint Sponsalia contrahere prò Filiis absentibus, qui sufficit,
12 quod non contradixerint ad hoc ut ad effectum produci possint ad *Text. express. in Cap. unico de desponsat. Impub. in 6.*, & sequitur *Rot. decis. 538. num. 6., & decis. 621, a n. 13. part. 18. rec.* cum cæteris suprà relatis.

Vindicata ex his validitate Apochæ prædictæ à controversis exceptionibus, frustrà denuò contra illam opponebatur, quod executioni demandari nequeat uti concepta sub conditionibus contrahendi Matrimonium intrà biennium cum certa, & determinata Dote per Joannem Baptistam Patrem promissa, quæ proindè cùm adimpleta non fuerint, resoluta remanserit obligatio; Etenim animadvertebatur prædicta omnia in sepè laudata Apocha exposita potiùs fuisse per modum modi, quàm conditionis, namquè Dos fuit intrà biennium promissa, ad hoc ut per hanc congruam dilationem faciliùs illa constitui posset,
13 atque post illam cederet dies solutionis, non verò expiraret obligatio, ut quotidiana docet experientia, & firmat *Text. in leg. Sicut §. Non videt ff. quib. mod. pign. vel. hypot. Castren. in l. Qui hoc anno prop. fin. ff. de verbor. significat. Rot. dec. 213. num. 37. par. 19. rec.*

Terminus autèm ejusdem biennii prò contrahendo Matrimonio censendus pariformitèr appositus prò congrua dilatione correspectiva Dotis constitutioni, ut simili modo potiùs 14
deberet effectuari eo elapso, quàm extingui obligatio, quemadmodum quotidiè practicari videmus; Idquè potissimum dicendum venit, quia idem Laurentius, defluxo prædicto biennio, adhuc continuavit quotidiè cum Maria Rosa conversari, & semper per ipsum stetit quominus Matrimonium intrà statutum tempus non adimpleretur, dùm multifariam per Joannem Baptistam Patrem, & per Mariam Rosam fuit ad id requisitus, & impulsus, ut deponunt Testes *Summario num. 2. 4. & 5.*

Multoquè minùs merentur attendi causæ, quæ prò recedendo à præfata obligatione per Laurentium adducuntur, nam illa resultans ex Querela Stupri per Joannem Baptistam Pa- 15
trem porrecta adversus illum nullius est efficaciæ, primo quia hæc non processit ab ipsamet Maria Rosa, cui factum proprii Parentis præjudicare nequit; Secundò quia, cum illa sit remedium à Jure inductum prò effectuatione promissarum nuptiarum in casu dissensus, nunquam ab eadem oriri po- 16
terit sufficiens causa prò illis dirimendis, aliàs enim nunquàm renuens effectuare Matrimonium posset cogi judicialiter sivè in Civilibus, sivè in Criminalibus, ut considerat *Rot. coram Ludov. dec. 376. n. 6. & 7., cor. Cavaler. dec. 421. num. 10. & dec. 497. num. 2. par. 1. divers.*

Similitèr inallegabiles apparuerunt aliæ desumptæ ex impotentia Mulieris constituendi Dotem in Apocha promissam ob illius paupertatem, & ex superventa ejusdem provecta ætate annorum 42. minùs propria ad nuptias contrahendas, animadversum namquè fuit illas non esse talis relevantiæ, quæ movere possent animum Judicis ad liberandum Laurentium ab adimplemento promissæ fidei, dùm pro hoc effectu mereantur tantum attendi causæ urgentissimæ, & ex quibus vel o- 17
dium capitale, aùt scandala inter Conjuges oriri possent, cujus proindè farinæ non sunt superiùs expositæ; sibiquè solùm imputari debet Laurentius, si postquàm contraxerat Sponsalia per verba de futuro non fuit sollicitus de

con-

constitutione Dotis, & Sponsalia per verba de præsenti executioni deman-
18 dare, vivente adhùc Joanne Baptista illius promissore, & dùm Mariæ Rosæ juvenilis ætas efflorescebat.

Et in hunc sensum faciliùs D. D. inclinarunt, attenta copula, & defloratione sequuta sub spe futuri Matrimonii, quod si non sequeretur ad reparandam honoris jacturam, non levia
19 oriri possent scandala, quibus propterea æquiori, quo potest modo per Judicis prudentiam est occurrendum, ut ad rem consideravit *Rot. cor. Ludov. dec. 376 in fin.*

Et ita &c, Utraque &c.

EMINENTISSIMO MATTHÆJO

Constantien. Sponsalium

Lunæ 7. Julii 1751.

ARGUMENTUM

Læsio præbet fomentum restitutioni in integrum. Vir qui data fide futuri Conjugii Puellam Stupravit, eam ducere tenetur.

SUMMARIUM

1 *Facti species, & n. seqq.*
4 *Læsio præbet fomentum restitutioni in integrum.*
5 *Validitas, & justitia Sententiæ excludit læsionem.*
6 *Pro validitate Sententiæ standum est, donec contrarium ostendatur.*
7 *Citatio ad Sententiam præsumitur non omissa, quoties Procurator judicialiter comparuit, præsens fuit publicationi Sententiæ, & ab ea, nulla emissa protestatione super nullitate ex defectu Citationis, appellavit.*
8 *Substantia, atque perfectio Sponsaliorum consistit in reciproco Maris, & Fœminæ consensu, ac mutua promissione de contrahendo Matrimonio.*
9 *Nulla melior probatio, quam propria oris confessio.*
10 *Sponsalia nedum expressè, sed etiam tacitè contrahi possunt.*
11 *Si alter ex Contrahentibus per verba expressa promittat Matrimonium inire, repromissio alterius a conjecturis, & signis extrinsecis argumentatur.*
12 *Sponsalia non a verborum formula, sed a reciproca voluntatis significatione de consensu præstito substantiam desumunt.*
13 *Quando constat de promissione Stuprantis Puellam, si hæc sub tali promissione Stupro consensit, satis constat de ipsius repromissione.*
14 *Honesta mulier præsumitur se Stupro subjicisse sub spe futuri oblati Conjugii.*
15 *Si Fœmina Stuprata sit sub promissione futuri Conjugii, stuprator non habet optionem dotandi, aut nubendi, sed ad illam desponsandam absolutè est cogendus.*
16 *Fortius si Stuprata prægnans reddita fuerit, & partum ediderit.*
17 *Documenta absque citatione Partis extracta, nec in prima, nec in secunda, sed solum in ulteriori instantia producta, tamquam informia, seu tamquam furtinè exhibita fidem non merentur.*
18 *Crimen furti commissum a Patre Puellæ antequam Sponsalia contraheret non est causa legitima, cur sponsus recedat a Sponsalibus, quando illud Crimen se ignorasse non probat.*

DECIS. XXVIII.

Ad Vot. V. sub num. 9. & ad Vot. VII. num. 59. & 71. §. Quæ tamen.



POSTQUAM sub ineundi Conjugii fœdere Catharina Fux sui copiam fecerat Gaspari Suess, cùm Iste fidem servare jam fœcundatæ Mulieri abnuisset, in Jus vocatus ab ea fuit coram Commissario Episcopali Constantiæ, qui, utraque Parte audita, definitiva Sententia pronunciavit Sponsalia qui- 1
dem inter eos inita fuisse cum subsecuto Stupro; Sed optionem tribuit Viro, aut dotandi, aut in Uxorem Ca-

tharinam ducendi. Judicatum hoc neutri ex Partibus arrisit; qui propter devoluta Causa ad Reverendissimum Helvetiorum Nuncium, alteram is Sententiam protulit, in qua Gasparem ad eam nubendam adegit. Et quamvis per Succumbentem appellatio interposita fuisset, ob lapsum tamen fatalium Sententia hæc auctoritatem rei
2 judicatæ assumpsit, itaut volente postmodùm Gaspare appellationis Causam prosequi, non alitèr Commissionem mihi directam obsignari obtinuit, quàm cum clausula = *De Causis* = cui cohærentèr hodiè sciscitatus sum a DD. in consueto Turno Jusdicentibus = *An constet de Re judicata, seu potiùs de Causis restitutionis in integrum* = Et licet Gaspar dumtaxat Jura sua deduxerit, Catharina verò, utpotè impar ad impensas propositionis subeundas differri responsum deprecaretur, quousquè sibi per eumdem Gasparem scut. 50. subministrarentur ad tramites rescripti Sacri Tribunalis jamdiù emanati: Nihilominùs cum PP. noverint ex his, quæ a Viro allata fuere
3 documenta, deceptæ Mulieri Jus esse Ipsum cogendi ad contrahendum cum ea Matrimonium, ideò proposito Dubio respondere non hæsitarunt = *Affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundum* =.

4 Læsionem siquidem, quæ dumtaxat apta est petitæ in integrum restitutioni fomentum præbere, ut cæteris relatis dixit *Rot. in Romana, seu Prænestina Immissionis in genere 5. Junii superioris anni §. Sanè vero coram Me*, palàm excludit validitas, &
5 justitia Sententiæ, quæ sub hodierna cadit censura, Validitas namque, etsi in discrimen per Gasparis Defensores revocaretur ex prætenso defectu Citationis, cæteroquin necessariæ in Sententiæ promulgatione, attamèn in assumpti probatione penitùs deficere visi sunt, dùm nullo legitimo id evice-
6 runt monumento; Quod sanè sufficeret ad illius validitatem vindicandam, pro qua semper standum est, donec contrarium ostendatur. Fortiùs tamen validitas hæc ex eo apparuit, quod Gasparis Procurator non solùm præsens fuit Sententiæ publicationi, sed, quod magis est, hac secuta, statim ab ea appellavit, nulla protestatione emissa super prætensa nullitate ex defectu Citationis ad Sententiam, & Judex hujusmodi appellationi detulit, reverentiales apostolos in forma elargiendo. Ex hac igitùr Procuratoris ipsius Gasparis judiciali comparitione, & præsentia secuta in eadem præcisa die, & hora, qua Sententiæ publicatio facta noscitur, sicuti præsumitur eumdem revera ad audiendam definitivam Sententiam citatum fuisse,
sicque de illius futura promulgatione 7
scientiam acquisivisse, ità proposita nullitas apertè profligatur, ad perpensa per *Cost. de Fact. scient. & ignorant. tit. aut sciebat &c. dist. 66. centur. 2. n. 12. Ubert. de Citat. cap. 13. tit. an, & quando defectus num. 144. & sequen., Rot. decis. 1140. num. 3. & seq. coram Emerix Jun., & decis. 261. num. 3. & seq. coram Ubald. & decis. 36. num. 6. coram Merlin., & in Baren. Deliberationis 10. Januarii 1738. §. Spreta coram clar. me. Card. Calcagnino.*

Sic vindicata Sententiæ validitate, illius profectò justitia in dubium revocari nequit, cum satis constet de Sponsalibus initis Catharinam inter, & Gasparem. Horum enim substantia, atque perfectio sistit in reciproco Maris, & Fœminæ consensu, mutuaque promissione de matrimonio con- 8
trahendo ut per *Textum in Cap. Tua de Sponsalibus, & leg. 1. ff. de Sponsal., & in Can. Nostrates 30. quæst. 5.* inquit *Rot. in Constantien. Sponsalium 26. Junii 1748. §. De Sponsalibus coram R. P. D. meo Elephantutio*. Cum autem reciprocus hic consensus, & mutua promissio, in ea qua versamur hypothesi, concurrere in propatulo sit, hinc de perfectione Sponsalium ambigi nullo modo potest.

Et sanè de effectiva promissione Gasparis favore Catharinæ emissa eam ducendi in Uxorem, perspicuè patet, ex quo Ipsemet fatetur Syngrapham proprio charactere obsignasse, in qua Catharinam sibi in Sponsam elegit, eamque in Uxorem ducere spopondit. Exploratum siquidem in Jure est nullum perfectiùs probationis genus adin-

adinveniri , quam , quod ex proprii
9 oris confessione depromitur , ut in individualibus terminis Sponsalium dixit *Rot. in Novarien. Sponsalium prima Julii* 1693. §. *Demum coram bon. mem. Muto , in Majoricen. Sponsalium* 29. *Januarii* 1712. §. *Neque coram clar. mem. Cardinali Scotto , & in alia Majoricen. Sponsalium* 26. *Aprilis* 1746. §. *Ut autem coram R.P.D. meo Bussio .*

De repromissione verò Catharinæ
10 in Virum ducendi Gasparem , ex facto paritèr constat , si perpendatur Sponsalia nedùm expressè , sed etiam tacitè contrahi posse, ut tradit *Fagnan. in Cap. Si inter Virum num.*8. *&* 9. *de Sponsal.* ; *Sanchez de Matrimon. lib.*1. *disput.*5. *num.*2. *Rot. decis.*772. *num.*7. *part.*2. *recent.* Et ideò communi Doctorum calculo receptum est ad illorum perfectionem sufficere , si alter ex Contrahentibus per verba expressa promittat Matrimonium inire , alius verò, quantumvis silens, ejus tacitam repromissionem , atque consensum ostendat etiam per conjecturas ,
11 ac signa extrinseca ex animadversis per *Sanchez de Matrimon lib.* 1. *disput.*5. *num.* 2. , *Rota coram Cavaler, dec.*421. *num. primo , coram Lancetta dec.*230. *num.*2., *coram Molin. decis.*1325. *n.*5. *&* 14. , *in dicta Majoricen. Sponsalium* 29. *Januarii* 1712. §. *Ea ratione coram clar. mem. Card. Scotto , & in Barchinonen. Sponsalium* 26. *Novembris* 1742. §. *Et denique coram bon. mem. Nunez .* Cum Sponsalia non à verborum formula , sed à reciproca
12 voluntatis significatione de consensu præstito substantiam desumant , ut ex *Gloss. in Cap. Tuæ Fraternitati verb. verba de Sponsalibus* ad rem arguit *Rot. in alia supradicta Majorie. Sponsalium* 25. *Aprilis* 1746. §. *Quin recensitis coram R. P. D. meo Bussio .*

His igitur inJure præmissis, porrò in themate tàm patens est Catharinæ consensus , ac repromissio , ut nullo modo celari valeat , atque in discrimen revocari . Siquidem fatetur Gaspar , se nedùm promissionem secuturi Conjugii emisisse , sed Stuprum insuper in Catharinam subindè perpetrasse . Si itaque hæc consensum præbuit , ut suæ virginitatis jacturam faceret , utique Facto ipso , quod ver- 13
bis est potentiùs, repromissionem suam præstitit , ut dixit *Rubeus annotat. ad decis.* 431. *num.* 92. *&* 93. *part.* 4. *tom.*2. *recent.* , ac sola spe futuri oblati Conjugii honesta Mulier id gessisse 14
præsumitur ad constabilita per *Reiffenstuell. in Jus Canon. ad lib.* 4. *decret. de Sponsal.* , *& Matrimon.* §. 5. *n.* 68. *Perez de Matrim. disputat.*12. *sect.*4. *num.* 2. , *Rota decis.*4. *num.*3. *sub tit. de Sponsal. coram Falconer., in Romana Sponsalium* 24. *Januar.*1738. §. *Tota , & in Confirmatoria diei* 8. *Junii* 1739. §. *Nec coram bon. mem. Nunez , in Leodien. , seù Aquisgranen. Sponsalium* 3. *Februarii* 1741. §. *Idque coram R. P. D. de Thunn , & in Feretrana Sponsalium super Remissoria* 28. *Junii* 1748. §. *Omnium , &* §. *Non obstat coram R.P.D. meo Bussio.*

Constabilito autem Sponsalium contractu Actricem inter , & Reum conventum inito, ac subsecuto Stupro, in necessarium descendit consequens locum esse coactioni Gasparis , ut Catharinam in Uxorem ducat , non verò sufficere , ut congruam eidem constituat Dotem . Quoniam optio , aut dotandi , aut nubendi defloratam Virginem non datur , quoties , prout hìc , 15
ineundi Conjugii ex parte Viri præcessit promissio , tùnc siquidem quemadmodum Mulier tradendo corpus suum ex parte sua Contractum implevit , atque perfecit , ità Vir ab illo resilire non potest , sed præcisam obligationem habet polliciti Matrimonii servare fidem , ut ad *Text. in Cap. primo de Adulter. , & Stupr.* unanimi sensu firmant *Pont. de Matrimon. lib.*1. *cap.*2. *num.* 3. , *Sanchez eodem tract. lib.* 1. *disputat.* 9. *num.*3. , *& disputat.* 44. *per tot.* , *Molin. de rit. nuptiarum tract.* 3. *disputat.* 116. *num.* 4. , *Nugler. de Sponsal. part.*2. *num.*4. , *Reiffenstuel. ubi suprà num.* 115. , *Rota decis.* 163. *à num.* 20. *ad* 24. *part.* 9. , *& decis.* 167. *num.* 8. *&* 9. *part.*18. *recent.* , *decis.* 148. *num.*8. *coram Benincas.* , *decis.*230. *num.*15. *&* 16. *coram Lancetta , & dicta decis.* 4. *n.*3. *& seq. sub tit. de Sponsal. coram Falconer.* , *in Camerinen. Sponsalium* 12. *Ju-*

Junii 1711. §. *final. coram Priolo*, *&* *in dicta Romana Sponsalium* 24. *Januarii* 1738. §. *Constabilito*, *&* *in confirmatoria diei* 8. *Junii* 1739. §. *Et sanè coram bon. mem. Nunez*, *&* *in dicta Leodien., seù Aquisgranen. Sponsalium* 3. *Februarii* 1741. §. *Itaque coram R. P. D. Thunn*. Addito præsertim, quod sicuti Catharina ex tali commercio filium in lucem edidit adhuc
16 viventèm, ita stante ejus diffamatione eò fortius compellendus est Gaspar ad contrahendum cum ea Matrimonium, ut dixit *dicta decis.* 4. *n.* 3., *&* *dec.* 6. *num.* 12. *tit. de Sponsal. coram Falconer.*

Quibus ità se habentibus parùm immorandum est in alia per Gasparem proposita exceptione, Sponsalia scilicet saltèm dissolvenda esse ex altera superventa causa diffamationis Catharinæ, attento crimine Furti, quo ejus Pater damnatus fuit. Nàm primò ponderarunt DD. exceptionem hanc, quæ ceteroquin Catharinæ Personam, aut famam non tangit, haudquaquàm propositam fuisse vel coram Judice primæ Instantiæ, vel coram Reverendissimo Nuncio, sed solùm in præsenti, & quidem ope documentorum absque citatione Partis extractorum, & ideò sive tamquam informia, sive
17 tamquam serotinè producta fidem non merentur, àc suspecta redduntur quoque, ut dixit *Rot. decis.* 1180. *num.* 3. *coram Molin. & decis.* 110. *num.* 3. *&* 4. *part.* 15. *recent.* Urgentiùs prætereà proposita exceptio evertitur; Nàm quidquid dicendum esset, si causa hæc verè supervenisset post contracta Sponsalia, contrarium tamen verificatur in casu semel ac prætensum furtum evenisse fertur usque ab anno 1737., & sic non supervenit, sed præcessit Sponsalia, quæ inita fuerunt anno 1744., nec probatur id Gasparem ignorasse: ac proinde quemadmodum assertum istud Patris Catharinæ crimen eumdem non retraxit à pro-
18 missione ineundi cum ea Matrimonii, multò minùs efficax esse potest ad dirimenda Sponsalia mutuò constabilita consensu, & cum diffamatione Mulieris, ut dè præexistenti causa, & qualitate Sponsæ dixit *Rot. in Majoricen. Sponsalium* 25. *Aprilis* 1746. §. *Momentum coram R. P. D. meo Busso.*

Et ità Gaspare dumtaxàt Jura sua deducente, Catharina verò dilationem efflagitante resolutum fuit.

D. CARDIN. SERAPHINO

Toletana Matrimonii

Die Lunæ 23. *Januar.* 1589.

ARGUMENTUM

Sponsalia contracta per metum, durante causa metus, non obligant ad Matrimonium ineundum.

SUMMARIUM

1 *Durante causa metus, omnia censentur ex eodem metu facta, etiam quod fiant aliqui actus, qui videantur spontanei, nisi is, cui fuit illatus metus, constitutus fuerit in plena libertate*, & num. 5. & 6.

2 *Præsumptivæ probationes sunt nullius momenti, ubi per veras potest de rei veritate liquere.*

3 *Probatio, sive præsumptio, quæ ex aliquo actu deducitur, non potest extendi ultra id, quod actus ex necessitate importat.*

4 *Testis pecunia corruptus non est fide dignus.*

7 *Mulier subscribens Capitulationes ad importunitatem eorum, qui sollicitant Matrimonium, non ob id ostendit liberam sui voluntatem, nisi plena præcedat libertas.*

DECIS. XXIX.

Alias decis. 851. *inter impress. cor. eod. tom.* 1.

Ad Vot. VI. num. 30.



Uit dubitatum, an à die obitus Mentiæ usque ad diem priorum Sponsalium inclusivè constet de mutatione voluntatis Dominæ Ludovicæ, tam ex eo quod Dux de Maqueda declaraverat se nolle cum ea con-

contrahere Matrimonium, quam quod fuerant factæ novæ Capitulationes prioribus uberiores; vel potius constet de continuatione metus: Et causa per Dominos diligenter discussa, concorditer conclusum fuit non constare de libera voluntatis mutatione, sed de continuatione metus ex pluribus; Et primo, quia in hoc temporis spatio, quod fuit a die 9. Junii usque ad diem 24. ejusdem Mensis anni 1577. Domina Ludovica semper detenta fuit in domo Computatoris Peraltæ, ubi eam Doctor Mollina deduxerat, cum eadem custodia, & clausura, in qua fuerat retenta ante obitum Mentiæ, ut deponunt Don Gutierez de Arce super nono articulo, Maria de Sancto Joanne examinata ab utraque parte super decimosexto articulo Ducis, & super octavo Ludovicæ, Petrus Dominquez super eodem octavo articulo. Hinc colliguntur duæ conclusiones altera in facto, quod neque etiam post obitum Mentiæ Ludovica unquam fuit constituta in plena libertate; altera in jure, quæ ex præce-
1 denti colligitur, quod durante eadem causa metus, omnia censentur ex eodem metu facta, *Cap. Cum locum de Sponsal. Cap. Accedent de procurator. Bart. in l. penult. num. 7. de condit. ob turp. caus. Roland. consil. 2. num. 87. lib. 1. Dec. in l. In omnibus de regul. jur. & consil.* 219. ubi ait hoc locum habere, etiam quod fiant aliqui actus, qui videantur Spontanei, *ut fuit resolutum in Causa Januen. Raptus coram R.P.D. meo Pamphilio*, in qua Domini noluerunt attendere mandatum datum a Muliere, ex quo erat in dominio Ducis, sed voluerunt, ut ejus voluntas extra dictum dominium exploraretur. Secundo habemus expressam probationem voluntatis Ludovicæ ægrè ferentis hujusmodi Sponsalia, de qua deponunt Maria de Espejo, Donna Agnes de Zuniga, Donna Hieronyma de Castillo, Donna Ludovica del Busto, Donna Antonia de Cepedes, Anna Maria del Busto, Sebastianus de Pigueras, omnes super decimoquinto articulo, ubi deponunt de querelis, & laberintis Ludovicæ eo die, qui præcessit prædicta Sponsalia, & de multis aliis actibus summam animi ægritudinem denotantibus, quibus suffragatur ex Testibus Ducis, Anna della Croce, & Maria Gomez super decimotertio articulo, & de auditu a famulis deponunt Paulus de Chincella, Emanuel del Busto, Isabella de Sayleges super decimoquinto articulo: His accedunt alii Testes deponentes de eadem re de die Sponsalium, & etiam post Sponsalia Joannes Basando super decimoquinto articulo, Anna Maria del Busto juxta decimumoctavum interrogatorium, Donna Agnes de Zuniga super decimooctavo articulo, Donna Hieronyma del Castello, Donna Ludovica del Busto, Donna Isabella de Sayleges, Donna Mentia de Cardenas omnes super eodem articulo. Hinc etiam infertur non solum præsumptivè constare ob metum omnia fuisse facta, sed etiam verè per directas probationes de Ludovicæ contraria voluntate apparere: Undè cum præsumptivæ probationes nullius sint momenti, ubi per veras potest de rei ve- 2
ritate liquere, *l. Divus de in integ. restitut. cum similib.* non videntur admodum urgere ea, quæ in contrarium deducuntur, quibus tamen singulariter respondetur: Et primo non obstat prima conclusio ex adverso deducta, quod Ludovica, audita declaratione Ducis de Maqueda, valde indignata fuit contra eum, & dedit locum, ut tractaretur Matrimonium cum Duce de Francavilla; quia quantum ad priorem partem conclusionis, ex exclusione Ducis de Maqueda non potest argui inclusio Ducis de Francavilla, cum per Testes probetur Ludovicam ab ipso initio habuisse odio totam Familiam Principis Ruy Gomez, ut per Sebastianum de Pigueras super sexto articulo, & Ferdinandum de Cepedes super decimoquarto articulo, & probatio, sive præsumptio, quæ ex aliquo actu deducitur, non potest 3
extendi ultra id, quod actus ex necessitate importat, *Bart. in l. Titium, aut Mævium §. Altero de admin. tut. Claudius Marmerius in l. Naturaliter §. Nihil commune num. 145. de acquir. possess.* Quantum vero ad posteriorem

riorem partem conclusionis, licet aliqui Testes in dicto eam probent, veluti Joannes Arias, & Anna Guerra, tamen non sunt admodum fide digni,
4 cum fuerint pecunia corrupti, ex quo ex hac causa habuerunt scuta mille, prout ipsi fatentur; Dux vero de Medina deponit de auditu tantum, cum fateatur, se nunquam visitasse Ludovicam in Domo Doctoris, vel in stantiis Mentiæ, ubi Ludovica semper mansit usque ad Sponsalia, dum vero dicit se in fenestra vidisse Ludovicam pretiosa veste indutam, necesse est ut hoc fuerit post Sponsalia, quia dicit hoc fuisse in domo Matris, ad quam non accessit nisi post Sponsalia; neque hoc verisimile est fuisse a die obitus Mentiæ intra octavam Corporis Christi ante Sponsalia, cum hæc pompa non deceret Ludovicam tempore luctus ob mortem Mentiæ Aviæ: Catharina Spinosa, ultra quod est singularis in suo dicto, loquitur post Sponsalia; Antonia Maldonado fuit pretio corrupta, & deponit de auditu; alii testes nullam, aut exiguam faciunt fidem; Sed his omnibus etiam pro veris concessis, ea nullius sunt robo-
5 ris, ex eo fundamento, quod supra dictum est, censeri facta per metum, cum duraverit semper causa eadem metus, neque unquam Ludovica toto hoc tempore constituta fuerit in plena libertate, qualis requiritur ad eliciendum consensum sufficientem ad contrahendum Matrimonium. Secunda conclusio, quod post obitum Mentiæ Ludovica steterit in plena libertate, & quotidiè tractabat, & sollicitabat Capitulationes, & Dux de Francavilla ad instantiam Ludovicæ comitatus est funus, & exequias Don Bernardini, & Mentiæ, Ludovica valdè lætata est de honorifica Parentum Sepultura, non probatur, nisi in ea parte, in qua agitur de associatione, & honorifica Sepultura; Neque probatur, quod Dux hoc fecerit ad instantiam Ludovicæ; nam Joannes del Gado est de auditu tantum, immo multi Testes dicunt id factum fuisse de ordine Principissæ, veluti Joannes de Saminiego, Anna della Cruz, Petrus Gonzales, Joannes Arias, Joannes de Santojo, omnes super nono articulo, quod & verisimile est; cupiebant enim omni officio demereri Ludovicæ gratiam, & eam ad hoc Matrimonium allicere: Aliæ partes conclusionis, & præcipuè illa, quod Ludovica esset in plena libertate, non probantur, neque de hac re ullum extat verbum in depositionibus istorum testium. Tertia conclusio, quod Ludovica valde lætata est de conclusione Capitulationum, nihil facit, non data plena libertate, etiam quod præseferret lætitiam, ut per *Grat. in cons.* 38. *n.* 18. *lib.* 2. *Alexand. cons.* 98. *num.* 7. *lib.* 3. *Dec. cons.* 219. *num.* 4., & contrarium optimè per testes supra enumeratos probatur, qui sunt plures numero, & deponunt de actibus magis concludentibus magnum animi dolorem. Quarta conclusio de muneribus missis ad Ducem redeuntem a Civitate Conchensi, ubi Corpora comitatus fuerat, nihil concludit, cum hujusmodi munera habeant suam causam, nempe ob honorem præstitum a Duce corporibus Bernardini, & Mentiæ. Quinta, & sexta conclusio super muneribus jocalium hinc indè transmissorum, parum ad rem faciunt, tum quod proveniunt ex eadem radice infecta metus præcedentis, tum quod per testes Ludovicæ in eorum receptione apparet eam non admodum alacri vultu hæc munera recepisse, transmissa vero per eam Duci fuerunt potius arte, & sollicitudine Antoniæ comparata, quam cura, & voluntate Ludovicæ, & in summa hæ omnes circumstantiæ deductæ pro parte Domini Ducis valdè sunt debiles, si conferantur cum probationibus ex adverso deductis. Quantum vero ad Capitulationes, licet pro parte Ducis prætendantur uberiores, & utiliores prioribus, res tamen aliter se habet, quia priores erant de contrahendo cum primogenito Ruy Gomez, qui erat ditissimus: Dux vero de Francavilla habebat satis tenues redditus, si cum illo comparentur, & honorificentius erat Ludovicæ nubere primogenito, qui ratione ætatis, primogenituræ, & divitiarum longè antecellebat: provisio vero de solvendis debi-

tis

tis Bernardini, cuicumque tandem ipsa nuberet, erat necessario facienda, & ideò non est magni ponderis, maximè cum fieri deberet ex bonis ipsius Ludovicæ. Quod vero subscripserit
7 se istis Capitulationibus non est magni momenti, cum hoc fuerit ad importunitatem eorum, qui sollicitabant hoc Matrimonium, & ideo non arguit liberam voluntatem *Felin. in Cap. Quæ in Ecclesiorum num. 65. vers. Limita quinto de Constit.* & hoc pacto tolluntur omnes actus per eam facti, & exadverso considerati *Anton. de Butr. in Cap. Ad id num. 9. de Sponsal.* & ibi *Præposit. num. 1. Oldrad. in cons. 20. Ruin. cons. 122. num. 3. lib. 4.* nam, ut isti actus habeantur in considerationem, necesse est, ut plena libertas præcedat per supradeducta.

Et ita conclusum.

D. CARD. SERAPHINO

Toletana Matrimonii.

Die Veneris 23. Junii 1589.

Confirmatoria præcedentis.

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decisione.

SUMMARIUM

1 *Cohabitatio Mulieris cum Viro, quæ habuit principium meticulosum, & cum reclamatione ipsius Mulieris, non facit, quod metus censeatur purgatus, nisi Mulier constituta sit in plena libertate.*

2 *Metus nunquam censetur purgatus, nisi Persona, cui fuit illatus, sit constituta in plena libertate, sed omnia, quæ possent tribui liberæ voluntati, censentur per metum facta, non autem voluntariè.*

DECIS. XXX.

Alias decis. 887. inter impress. cor. eod. tom. 1.

Ad Vot. VI. num. 30.



FUIT dubitatum, præsuppositis resolutionibus, & aliis hinc indè deductis, an in casu, & ad effectum, de quo agitur, cohabitatio, & copula inter D. Ducem, & Dominam Ludovicam relevent, etiamsi probaretur intervenisse copulam a die primæ Sponsalitii, usquequò Ludovica ultimo loco ingressa est Monasterium: Et quantum attinet ad probationem cohabitationis, nulla facta est difficultas super ea, neque fuit revocata in dubium, cum de ea constet a die, quo fuit traducta Ludovica ad domum Principissæ usque ad diem, quo ultimo loco ingressa est Monasterium; sed quantum ad relevantiam hujus cohabitationis, Domini fuerunt concordes eam nihil prorsus ad rem facere, etenim ex resolutis patet fuisse 1
hanc cohabitationem a principio meticulosam, & reclamante Ludovica introductam; & ideo locum habent ea, quæ sæpius dicta, & repetita fuerunt in hac Causa, & Decisionibus firmata, nempè metum nunquam censeri purgatum, nisi ea Persona, cui fuit illatus, sit constituta in plena libertate *Cap. Cum locum de Sponsal. Cap. Accedens de procurat.* & ideo ea 2
omnia, quæ possunt tribui liberæ voluntati, censeri facta per metum, non autem voluntariè durante eadem causa metus *per Bald. in l. 1. Cod. Quod met. caus. Alex. in cons. 98. n. 7.* & ibi *Addit. lib. 3.* cum aliis allegatis *sub die 3. & 17. Martii*, & confirmat. *29. Maii proximè præteriti*. Neque obstant, quæ ex adverso deducuntur Ludovicam in domo Comitissæ de Pliego fuisse in plena libertate, tùm ex eo, quod tunc Doctor Mollina recesserat ab Oppido, & erat in Regno Lusitaniæ, & Ludovica in dicta domo faciebat omnes expensas vi-

ctus tàm pro se quàm pro Duce, & ibidem fecit varios contractus, & scripsit literas Duci, in quibus semper gessit se pro Uxore dicti Ducis, nam hæc omnia tribuuntur primæ causæ metus illati, quæ cum adhuc duraret, ut fuit resolutum, utique nulla subest causa, cur Ludovica potuerit existimare sibi licere reclamare, vel aufugere, quod ipsa res manifestè docet, neque enim accessit ex libera voluntate ad domum Comitissæ de Pliego, cum potius desideraret sese transferre ad aliquod Monasterium, sed ita factum fuit de consilio suorum Advocatorum, ut redderet faciliorem negotii expeditionem apud Consilium Regium, cujus assensus in hac habitationis translatione requirendus, & obtinendus erat, prout optimè deponit licentiatus Luxan, & Joanna de Zuaco, & Balthasar Maldonado testes Ducis: Fuit deinde ex auctoritate ejusdem Consilii posita in Monasterio, & postremo de licentia expressa, & voluntate Serenissimi Catholici Regis cœpit reclamare adversus hoc Matrimonium, quæ omnia clarè demonstrant voluntatem non fuisse saltem ex opinione ipsius omnino liberam, qualis esse debet in simili materia; uam aliqqui non expectasset cujusque licentiam ad reclamandum, *argumento eorum, quæ habentur tot. titulo Cod. de his qui Spont. pub. lib.* 10. Itaque quantum ad hoc caput Domini hanc sententiam dixerunt carere omni prorsus difficultate. Quantum vero ad præsuppositum copulæ, major fuit apud Dominos dubitatio, etenim si probaretur, multum videbantur urgere contra Ludovicam Capitulationes, in quibus habetur, quod infra quatuor annos velarentur, tamen quia non erant concordes, tota hæc res pendet a probatione qualitatum, & circumstantiarum ipsius copulæ; ideo fuit ordinatum, ut proponam dubium alias datum super probatione ipsius prætensæ copulæ; Ideoque proponam in penultima Rota: hæc enim Causa requirit celerem expeditionem pro justitia.

EMINENTISSIMO MOLINO

Colonien. Sponsalium sub pœna imperialium 2000.

Ven. 3. Martii 1752.

ARGUMENTUM

Quælibet pœna pecuniaria, sive conventionalis, sive ab Homine, ac Judice inflicta ob spretam fidem, aut ob recessum a futuris Sponsalibus etiam juratis non substinetur.

SUMMARIUM

1 F*acti species*, & n. seqq.

4 *Renunciatio facta liti per Procuratorem sine speciali mandato litem non extinguit.*

6 *Matrimonia sive futura, sive jam contracta nullo vinculo pœnæ possunt obstringi.*

7 *Quævis pœna pecuniaria sive conventionalis, sive a Judice inflicta substineri non potest tàm ob spretam fidem, vel ob recessum a futuris Sponsalibus quamvis juratis.*

8 *Quàm ob damna ex violata fide resultantia, ne per indirectum Matrimonii libertas impediatur.*

9 *In hac materia Parti reficienda sunt damna extrinseca, & accidentalia passa ex causa necessariarum expensarum pro rebus a Parte decepta pro futuro Matrimonio paratis.*

10 *Quæ si non fuerint liquidata, in illorum causam Judex Partem decipientem ad certam pœnam pecuniariam condemnare non potest.*

DECIS. XXXI.

Ad Vot. VI. num. 135. 136.



SUB præsidio Sponsalium de futuro a se initorum cum Joanne Lichtschlag in loco Elsen. cohabitante, dubitans Annâ Forsters dictum Joannem fore defecturum a sibi data Matrimonii fide, obtinuit a Curia Ecclesiastica Berchemensi

1 mensi contra dictum Joannem relaxari Inhibitionem, nè quidquam contra sibi datam fidem attentaret, sublata etiam Parochis tùm loci Elsen. tùm totius Districtus Berchemensis potestate interessendi cuivis Matrimonio, quod a se ineundum cum alia Muliere jactabat Joannes; At vero assumpta per Decanum Judicem loci Ordinarium cognitione Causæ principalis versantis super existentia dictorum Sponsalium, prodiit Sententia dictæ Inhibitionis revocatoria, & insimul Joannis absolutoria ab impetitis.

Ab hujusmodi Sententia Causa conscendit in gradu appellationis ad Officialem Curiæ Archiepiscopalis Coloniæ, a qua primum edita fuit Inhibitio ipsi Joanni, nè sub canonicis Censuris, & sub pœna *mille florenorum* partim Fisco, & partim Annæ
2 applicandorum, quidquam innovaret Appellationis Causa pendente, quæ Inhibitio repetita fuit, dum interdictum fuit ipsi Joanni, ac Parocho, nè auderent ad celebrationem Matrimonii procedere cum alia Muliere, antequam pendens absolveretur Judicium.

Pendente Causa hac, dictus Joannes ope dispensationis a consuetis Proclamationibus, Matrimonium in faciem Ecclesiæ contraxit cum Maria Margarita Wilbergs coram Parocho Loci Gierath, ex quo factum est, ut dictus Officialis Coloniæ Sententiam protulerit, qua, revocato præcedenti Judicato, condemnavit Joannem ad purgationem attentatorum, & loco purgationis hujusmodi ad solvendam
3 *dictam mulctam fiscalem florenorum mille* contentam in relatis Inhibitionibus, necnon ad solvendum ipsi Annę *duo millia imperialia* in satisfactionem, ac *pœnam violatæ fidei*, & in causam *damnorum* ipsi Mulieri indè obvenientium. Quæ tamen Sententia ab A. C. Cincio in omnibus infirmata fuit, absoluto Joanne ab *utriusque pœnæ* solutione, reservato tantum jure ipsi Annæ agendi pro damnis extrinsecis, & realibus, sivè expensis effectivè factis intuitu d. futuri Matrimonii cum Joanne.

Ulteriori verò appellatione interjecta tùm nomine Promotorum Fiscalium Curiæ Coloniæ, tùm etiam ipsius Annæ Forsters, mihique directa Causæ Commissione, Procurator dictæ Annæ posteà in Actis declaravit in mandatis habere nil aliud in Causa 4
agendi nomine d. Mulieris, & cum declaratio hæc absque speciali Mandato apta non esset litem extinguere, hine Joannes Lichtschlag *una cum dubio* respiciente mulctam Fiscalem mille florenorum curavit etiam subscribi dubium *quoad pœnam Imperialium* 2000., ad quam erga dictam Mulierem in Sententia Officialis Colonien. fuit condemnatus, ita conceptum = *An pœna bismille Imperialium sustineatur, & sit locus illius solutioni*? = quod cum in hodierna Audientia una cum altero respiciente pœnam Fiscalem mille florenorum in contradictorio Promotoris Fiscalis proposuerim, licet quoad istud ob suffragiorum scissuram nulla haberi potuerit resolutio, quoad Dubium tamen supra relatum *pro Joanne* tantum *Informante* responsum fuit.

Jure enim arbitrati sunt *Domini* prædictam pœnam bismille Imperialium, ad quam Joannes favore Annæ fuit in Sententia Officialis Coloniæ condemnatus, sustineri non posse, nèc ideo esse locum illius solutioni, 5
cum insubsistens compertum fuerit *duplex* illud fundamentum in relata Sententia adductum, quo controversa pœna indicta fuit. Sanè non jure fuit Joannes condemnatus ad solvendum Annæ duo millia Imperialia = *loco interesse*, *& satisfactionis propter violatam fidem Matrimonialem* =, quia quidquid sit de existentia Sponsalium de futuro, quæ cum se a Joanne contracta sustinuit Anna, explorati, & absoluti Juris est, quod Matrimonia sivè futura, sivè jam contracta nul- 6
lo vinculo pœnæ obstringi possunt, & quævis pœna pecuniaria sive conventionalis, sivè ab Homine, ac Judice inflicta ob spretam fidem, aut ob recessum a futuris Sponsalibus etiam juratis propter favorem libertatis Ma- 7
trimonii neutiquam sustinetur, ut in Jure Civili est *Text. in leg. Titia* 134. *ff. de verb. obligat. leg. Mulier in fin. Cod. de Sponsal.*, *leg. Neque Cod. de*

 Nuptiis

Nuptiis, & in Jure Canonico *Cap. Gemma* 29. *de Sponsal.*, & communiter docent *Gonzal. in dicto Cap. n.2.*, & alii adducti per *Rotam decis. 66. per tot.*, *& decis.* 191. *a num.* 1. *coram Benincas.*; *& in Tuden. Sponsalium* 21, *Martii* 1746. §. *Hæc, & seq.*, *&* 20. *Junii ejusdem anni* §. *Exclusa*, *utraque coram R. P. D. Caprara*.

Minusque controversa pœna sustineri poterat ex altero in Sententia expresso fundamento = *ob damna ex violata fide indè resultantia* =, quia
8 nè per indirectum Matrimoniorum libertas impediatur, certi juris est in hac materia non alia damna esse Parti reficienda, quàm extrinseca, & accidentalia, puta ex causa necessariarum expensarum pro rebus, quas
9 Pars decepta paravit pro futuro Matrimonio, & ideò cum ex parte Annæ interim jam pari Viro nuptæ, nulla probatio horum damnorum prolata fuerit, nullaque specifica liquidatio præcesserit harum expensarum, non poterat utique Joannes in causam
10 horum aff. damnorum ad certam pecuniariam pœnam condemnari, ut tradunt *Bald. in leg. Mulier num.* 9. *Cod. de Sponsal.*, *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disput.* 30. *num.* 13., *&* 14., *Barbos. in Cap. Gemma numero* 10. *de Sponsal.*, *Franc. Marc. dec.* 74. *num.* 6., *& Rot. coram Benincas. decis.* 191. *num.* 3., *&* 4.

Et ita &c. Unica &c.

R. P. D. STADION

Firmana Restitutionis in integrum

Lunæ 9. *Junii* 1752.

ARGUMENTUM

Potest hæres impunè spernere Testatoris dispositionem, quando Testator, facta ipsius hæredis institutione, deindè illi injungit, ut nubat Puellæ, seu Viro de aliqua speciali Descendentia, alias in pœnam eidem Puellæ, seu Viro aliquam certam summam ex fructibus suæ hæreditatis solvere teneatur.

SUMMARIUM

1 *Facti series*, *&* num. seqq.

7 *Contra Sententiam injustam, quæ nunquam transit in rem judicatam, competit remedium restitutionis in integrum.*

9 *Potest hæres impunè spernere Testatoris dispositionem, quoties ei certas Nuptias metu pœnæ præcipiat*, & num. 12. 23.

10 *Secus si Testator alliciat hæredem ad certas Nuptias spe lucri, quibus non sequutis, oblatum ei lucrum adimere potest.*

13 *Contraventio culpam supponit, undè quidquid contravenienti imponitur, stat loco pœnæ, seu mulctæ.*

14 *Verba Testatoris satis expressa extra propriam significationem sumi non possunt ad detorquendam ejus voluntatem in molliorem sensum.*

15 *Quoties Testator hæredi delato completè jure ad suam hæreditatem, deindè per caput separatum eidem præcipit certum Conjugium, illumque reluctantem obstringit ad solvendam aliquam certam summam, censetur voluisse tale Conjugium adimpletum formidine pœnæ nullatenus per hæredem, hoc non obstante, solvendæ.*

16 *Id non procedit, quando hæres propter talem pœnam nullum subeat damnum in proprio patrimonio, sed pœna sit ex hæreditate solvenda.*

17 *Maxime si Testator sit persona transversalis.*

Contrarium num. 18.

19 *Neque dicta pœna in casu contraventionis solvenda certæ personæ sustineri potest jure legati, quando Testator id non expressit.*

DECIS. XXXII.

Ad Vot. VI. n. 135. & ad Vot. VIII. n. 51. 53. 57.



Obole destitutus Petrus Franciscus Senior Pavoni in ultimo, cum quo decessit voluntatis elogio exarato de anno 1687. ordinavit in omnibus suis Bonis Primogenituram, ad quam invi- 1

invitavit Primogenitum Masculum procreandum ab Antonia ipsius Nepte ex Curtio Fratre, & Uxore Marinotii Ascentiani, ejusque perpetuò Descendentes Masculos, & in subsidium Fœminas, servato jugiter ordine Primogenituræ. Aderat & altera Testatori conjuncta sanguinis nexù Fœmina, nimirum Flaminia Soror germana nupta Ludovico Sparretti, à quo Filium susceperat Joannem Antonium.

Descendentes mox dicti Joannis Antonii ex Sorore Nepotis respexit quoque Testator, ea videlicet ad rem præsentem faciente ratione: Jussit namque in posteriori omninò sejuncta Dis-
2 positione = ibi = *E dovendosi maritare tanto detti Maschi, quanto dette Femmine, che dovranno succedere in detta mia Eredità, debbano sempre maritarsi con li Figli del Signor Giovanni Antonio Sparretti, ò con altri suoi Parenti stretti, sotto pena alli medemi, che contravenendo, siano tenuti dare scudi* 1000. *al Maschio, ò Femina più atti al Matrimonio* =

Qui in Primogenitura primus successit Petrus Franciscus Junior Pavoni nuptias inivit extrà Familiam Sparretti, licet prestò indè foret nubilis Flaminia. Itaque arbitrans hæc debuisse propterea juxtà relatum Testatoris
3 præceptum, Petrum Franciscum pendere sibi scut. 1000., solutionem petiit, & reipsa obtinuit in computum scut. 300. sub emissa prætereà obligatione præstandi residuum. Ast renuentem deinceps implere datam fidem, illum Flaminia in jus lacessivit coram A. C. Cerro, a quo secundum proposita vota reportavit cum relaxatione Mandati pro residuali rata scut. 700. sententiam canonizantem purificationem dispositionis Testamentariæ quoad solutionem scut. 1000. favore Actricis. Evulgatæ Sententiæ addidit confirma-
4 tionis robur in gradu Appellationis bon. mem. R. P. D. Amadori olim Manieri; Nèc aliter Signatura Justitiæ ulteriorem Appellationis commissionem obsignari mandavit, præterquam cum clausula *Sinè prejudicio* directam R. P. D. Nigrono Sen.

Exemplum memorati Petri Francisci sectando hodiernus Primogenituræ possessor Marinus Pavoni Filius, despexit & ipse Conjugium cum Puella Familiæ Sparretti, in qua extant nubiles Puellæ Nicolaa, & Catharina. Quare inito per eumdem Matrimonio extra sæpe relatam Familiam, institit judicialiter Seraphinus Sparretti Pater enunciatarum Puellarum, ut ob- 5
stringeretur idem Primogenituræ Possessor ad exequutionem præcepti Conditoris Primogenituræ, solvendo eisdem Puellis summam scut. 1000. Verum cum Reus conventus necesse duxerit obsistere contrariæ Instantiæ, prosequendo simul vigore obtentæ jampridem in devolutivo Commissionis alterum Judicium super restitutione in Integrum introductum coram R. P. D. Nigrono Sen., hinc, prævio Decreto Eminentissimi Pro-Auditoris Sanctissimi, obtinuit delegationem utriusque Causæ Sac. Auditorio, eidemque Ponenti, in hunc tamen modum, videlicet in vim Commissio- 6
nis subrogatoriæ cum clausula = *Sine præjudicio* = quoad causam antiquam; Quo verò ad alteram nuper motam litem ex Commissione cum clausula = *Tamquam in prima cum facultatibus A. C.* = de qua in contemporaneo Dubio: Pro eo igitur, quod spectat ad Causam super restitutione in Integrum, de qua in præsens, exhibui Dubium = *An constet de re judicata, seu potius de causis Restitutionis in integrum in casu &c.* = Edito rescripto = *Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam.*

Et meritò oportuit ita quidem responderi semel ac injustitiæ laborent vitio præcedentes Sententiæ, eum injustitiæ gravamen rem judicatam radicitus inficiat, vimque sternat succumbenti assequendi opportunum juris remedium ex Restitutione in 7
integrum per famigeratum *Text. in leg. Si ex Causa Judicati ff. de minor. Rota* passim, & signanter *in Romana Reportationis Pecuniarum super Restitutione in integrum* 2. *Junii* 1747. §. *Cum itaque coram Reverendissimo P. D. meo de Vais Decano.*

Injustitiæ porrò gravamen indè fuit manifestè deprehensum, undè jactum est fundamentum præcedentium Sen-

Sententiarum, quas adversus Petrum
Franciscum Juniorem Pavoni obtinuit
Flaminia Sparretti: Unica enim ratio,
cur secundum Actricis tunc vota exti-
tit pronunciatum quoad expostula-
tam præstationem scut. 1000. adversus
Possessorem PrimogenituræPavoni,qui
Uxorem ducere renuit Flaminiam de
Domo Sparretti, in eo tantum & ste-
8 tit, & stare prætendi valuit, quia
Conditor Primogenituræ in eventum,
quo illius Possessor ex Descendenti-
bus Antoniæ Pavoni Neptis, contra-
hendo Matrimonium, sperneret in-
junctum a se præceptum Nuptiarum
cum Puella nubili de Descendentia
Joannis Antonii Sparretti, vel cum
alia indè proximiore Consanguinea,
teneretur præstare sæpedictam sum-
mam scut. 1000. At ratio hæc videri
omnino debuit insubsistens animadver-
tendo Testatorem ita præcepisse per
viam pœnæ, & pœnæ inducta formi-
dine coarctando liberum in contra-
hendo Matrimonio arbitrium: Sciti
9 namque Juris manet, posse impunè
Testatoris dispositionem sperni, quo-
ties Nuptias metu designatæ pœnæ in-
cusso præcipiat, ad apertissimos *Text.
in Cap. Gemma 29. de Sponsal. leg.
Titia 134. ff. de verb. oblig. Molin. de
Nupt. lib. 2. distinct. 7. num. 11., Fon-
tanell. de Pact. nupt. part. 4. claus. 6.
gloss. 3. num. 5., & Rot. coram Bich.
decis. 84. num. 8., coram Priolo dec. 198.
num. 10., & in Tuden. Sponsalium
20 Junii 1746. §. Exclusa cor. R. P. D.
meo Capràra, & 20. Januarii 1747.
§. Rectè coram Emo Millino.*

Nec certè quidem contradicee-
bant Scribentes in oppositum, qui
ultrò fatebantur nullum esse, & pror-
sus irritum Testatoris præceptum, quo
sive in totum formidine pęnæ adimatur,
sive in parte Matrimonii libertas mi-
nuatur. Illùc proindè defensionis co-
natus dumtaxat protendebant, ut al-
teram in subjecta facti specie insinua-
rent regulam neutiquam esse inter-
dictum, neque ulla ex parte eamdem
libertatem minui, si Nuptiæ inter
certas Personas concilientur spe, ac
10 blandimento lucri, quod, illis non se-
quutis, nolit Testator dari, ad tradita
per *Gulielm. de Benedict. in Capit
Raynutius verb. Caidam Petro tradi-
derunt sub num. 10. de Testam., Co-
varr. in Epitom. de Matrim. par. 2.
cap. 3. §. 3. num. 8., Sanchez eodem
tract. lib. 1. disput. 33. n. 7. Card. de
Luc. de Testam. disc. 73. sub n. 21. vers.
Ubi autem, & de Matrim. discurs.
14. num. 6., & Rot. coram Crisp. de-
cis. 75. num. 2.*

Incassum tamen, nam supposito exo-
sum esse toto in jure præceptum, quo
per viam pœnæ adimitur prorsus, vel
minuitur in Nuptiis ineundis libertas,
contendebatur, nil ejusmodi præse- 11
ferre dispositionem Petri Francisci
Senioris Pavoni, eamque fore sic intel-
ligendam, ut volitum suorum hære-
dum Matrimonium cum Puellis nubi-
libus Familiæ Sparretti sub obligatio-
ne in casu reluctantiæ præstandi ex
fructibus Bonorum hæreditariorum
summam scut. 1000. neglectæ de sæ-
pèmemorata Familia Puellæ, non
pœnam sapiat, sed meram conditio-
nem, & spem lucri; Quandoquidem
sive inspiciantur verba in præceptiva
dispositione adhibita, sive illius natu-
ra, & indoles, palam est, non spe lu-
cri cohibuisse Matrimonii libertatem,
verum per viam pœnæ, & per incus-
sam propriè, ac rigorosè pœnæ for-
midinem; Quod enim ad verba per-
tinet, Nuptias coarctavit Testator in-
jungendo ex fructibus Bonorum Pri- 12
mogenituræ solutionem scut. 1000. sub
nomine pœnæ, & quidem in odium
contraventionis = ibi = *Sotto pena alli
medemi, che contravenendo siano tenu-
ti dare scudi mille &c.* = rursus = *Con
essi possa pagare detta pena* = Item =
Sotto la medema pena = Statim ac igi-
tur verba dispositionis litteraliter pœ-
nam sonant, nèc nisi ad pœnæ formi-
dinem referri valet expressio = *Che
contravenendo siano tenuti* =, quum
contraventio culpam supponat, & ideò
pœnæ, sive mulctæ locum habeat quid- 13
quid contravenienti imponitur per
*Text. in leg. Ita stipulatus sub num. 32.
ff. de verb. oblig., Redenas. consil. 19.
lib. primo num. 23., & seqq.* propte-
rea è conspectu ipsius expressionis ver-
borum non erat, cur liceret detor-
quere in alterum assertum molliorem
sensum voluntatem Testatoris, veluti 14

in

in proposito monent *Galganett. de condit. par.2, cap.5. quæst.3. num.primo, Simon. de Præt. de Interpret. ultim. volunt. lib. 4. dubit.4. num.15. , & seqq., Palm. Nep. allegat.168.n.3., & Dondeus consult.8, n.10., & Mans. consult.338. num.24.*

Conspirabat in finem suadendi pœnalitatem præcepti , verè , & propriè talem, natura , & indoles dispositionis . Constitit quippè in tabulis Tastamentariis fuisse attributam successionem in Primogenitura absque ulla ad disputatas nuptias relatione , datamque liberam prorsus facultatem successoribus percipiendi independenter à casu Matrimonii cum Puella de Familia Sparretti omnes , & quoscumque Bonorum fructus , & redditus . Quoties igitur , delato jam completè jure ad Primogenituram , istius Conditor per dispositionem in separato prorsus Testamenti capite præcepit successoribus toties dictum limitatum Conjugium , & obstrinxit reluctantem præstatione *scutorum* 1000. , arguen-
15 dum eo ipso est voluisse comminatæ pœnę formidine Matrimonium, quum de solutione certæ summæ agatur facienda post delatum jam , acquisitumque perfectè jus independenter à Nuptiis prædictis ; Modali , ac pœnali siquidem nomine censetur impositum onus subeundum post collatum , & quęsitum emolumentum, cujus quis jacturam intuitu subjecti oneris ferre debet , uti ad theoricam *Aretini in leg. Titia num. 3. ff. de verb. obligat.* tradunt *Altograd. consil. 84. num. 6. Peregrin. de Fideicomm. art.2. n. 42. Card. de Luc. de Legat. disc.29. n.5. , & Rot. in Romana Legati 1. Decembris 1721. §. Objectum cor. bon. mem. Foscaro , & in Forolivien. Immissionis 6. Maii 1748. §§. 5., & 6. coram R.P.D. meo Elephantutio .*

Haud obsistente , quod , neglecta materiali verborum expressione, & appositione oneris post collatum emolumentum, sit unicè attendendum in exclusionem , vel respectivè inclusionem pœnalitatis , utrum nèc ne gravatus non impleturus præceptum patiatur , ratione injunctæ præstationis , damnum in re propria, & diminutionem proprii Patrimonii ; neque sufficiat , ut contraventio in causa sit , ne lucrum ex dispositione consequatur, vel idem lucrum jam acquisitum amittat : veluti contingit in proposita facti specie , in qua demandata legitur solutio *scutorum* 1000. ex fructibus hæreditatis Disponentis ; inferendo non censeri inductam præstationem formidine pœnę , quum Successor in 16
Primogenitura nullum subeat damnum in proprio Patrimonio , ex animadversis post theoricam *Oldrad. cons.16.* per *Card. de Luc. de Testam. disc.73. num. 22. vers. Mihi vero , & sub num. 24. , & Rot. coram Bich, dec. 89. num. 1. , & 12. , & coram Coccin. decis.1461. sub num.2.* Maximè retenta circumstantia ita disposuisse Testatorem personam transver- 17
salem , *Constantin. Vot. decisiv. 441, sub num.1. , & 2. tom.3.*

Etenim , ultra quam verè jacturam patitur in re propria successor in Primogenitura , licet onus pręstandum veniat ex fructibus hęreditatis , semel ac antea in eumdem liberam Testator contulerat redditùum perceptionem , in qua consistit pręterea dumtaxat commodum vocationis ; accedebat minime subsistere , quod si gravatus onere contrahendi Matrimonium cum designata Persona , & obstrictus vicissim ex causa transgressionis ad aliquod pręstandum , non sentiat diminutionem proprii Patrimonii , nequeat di- 18
ci oneratus per viam pœnę , tametsi pœnam enunciet Testator , & sanè in odium contraventionis , & istius pręstationem adjecerit dispositioni prorsus sejunctę à præcedenti libera institutione, quemadmodum abundè evincitur ex supra perpensis , & allegatis ; Neque contrarium assumptum concludunt relatæ auctoritates , quippè quia procedunt figurando thema dispositionis ante ordinatæ sub conditione suspensiva , aut resolutiva in eventum , quo subsequens onus nequaquam velit subire honoratus à Disponente .

Tandem minus quoquè profuit remesse de præstatione demandata in casu neglecti Conjugii favore Puellarum , & Personarum Familiæ Sparretti descendentium à Sorore Testatoris:

Et

Et sanè de præstatione ex fructibus opulentissimæ hæreditatis delatæ Primogenitis Descendentibus à Neptc tories laudati Testatoris, ex quo arguebatur fore ejusmodi solutionem referendam ad titulum Legati Dotis ordinati eo mentis consilio, ut, dum pinguissimam indivisam hæreditatem conferebat Descendentibus propriæ Neptis, prospiceret Descendentibus Sororis vel per Matrimonia invicem contrahenda, vel per subsidium controversum; Prætermissa namque insinuatione jactatæ opulentiæ Primogeniture, hoc unum est, divinatoriam penitus extitisse relationem disputatæ præstationis ad titulum Legati, & ad pietatis argumentum erga Familiam
19 Sparretti, cum non extet ullum in Testamento vestigium intrusi hujusmodi Legati; Idque omnimodè prohibetur obtrudi juxta hactenus deducta, undè fit indeclinabilis pœnalitas dispositionis, & ademptio libertatis Matrimonii per incussam pœnæ formidinem.

Et ita &c. Utraque &c.

EADEM CORAM EODEM

Super novo Mandato.

Lunæ 9. Junii 1755.

ARGUMENTUM

Firmato in præcedenti Decisione, quod præceptum Testatoris vires non habet in casu, indè sequitur non esse relaxandum mandatum pro præstatione pœnæ ad favorem illius, cui Testator eamdem pœnam solvendam esse præcepit.

DECIS. XXXIII.



Ontemporaneè ad institutum super præstatione *scutorum* 1000. examen, quam sibi adjudicari obtinuit per bina judicata Flaminia Sparretti adversus Petrum Franciscum Pavoni juniorem possessorem tunc Primogenituræ conditæ à Petro Francisco Pavoni seniore, quorum discussionem Judicatorum subjeci DD. censuræ ex Commissione subrogatoria obsignata in devolutivo; Oportuit consimilis præstationis controversiam decidere ex norma alterius Commissinnis directæ tamquam in prima, & cum facultatibus A.C.

Quandoquidem Nubiles Puellæ Nicolaa, & Catharina Sparretti, sive earum Pater Seraphinus Sparretti reputantes, quod Marinus Pavoni modernus enunciatæ Primogenituræ Possessor, contrahendo nihilominus nuptias extra præfatam Familiam, evaserit Debitor præstationis *scutor.* 1000., quam favore Domus Sparretti Testator injunxit hæredi suo, quoties paratum intra dictam Familiam Conjugium renueret, & aliundè sibi adsciceret; In jus propterea Marinum hæredem Petri Francisci Pavoni senioris vocarunt, ut demandatam solutionem expleret. Requisivi igitur pariter hac mane = *An sit locus præstationi scutorum* 1000., *ita ut sit relaxandum Mandatum in casu &c.* = Resolutum absque hæsitatione = *Negativè* =

Ita enim consectariè ferebat datum contemporaneè alteri proposito Dubio Responsum; Quippè quia Nicolaa, & Catharina Sparretti, sive eorumdem Pater Seraphinus non alibi actionem adversus Marinum Pavoni hæredem Fideicommissarium Petri FrancisciPavoni senioris pro præstatione *scutor.* 1000. fundabat, præterquam in illa præceptiva Testatoris dispositione, cui nitebatur consimilis ad præstatinnem actio Flaminiæ Sparretti contra Petrum Franciscum Pavoni juniorem tunc Primogenituræ Possessorem;

Quoties igitur ad trutinam sedulò de more expensum Testatoris præceptum vindicari non valuit respectu Flaminiæ ab invisa Canonicis æquè, ac Civilibus Sanctionibus qualitate: Ideò nimirum, quod dispositio pœnæ formidine cogens hæredem, ut intra Familiam Sparretti nuptias conquireret, & paratas iniret, potuit impunè despici veluti lædens libertatem religiosè in contrahendis Matrimoniis præservandam, prout concludit altera mea Decisio super restitutione in integrum; iisdem proinde rationibus

par

par esse debuit Judicium quoad Nicolaam, & Catharinam pro absolutione Marini Pavoni.

Et ita remissivè ad ponderata in contemporanea Decisione utraque &c.

R. P. D. STADION

Firmana Restitutionis in integrum

Vener. 13. Febr. 1756.

Confirmatoria præcedentis

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decis. 32.

SUMMARIUM

1 *Facti species*, & num. seqq.

4 *Adversus injustam sententiam competit remedium restitutionis in integrum.*

5 *Nemo compelli potest ad certum ineundum Matrimonium cum pœnali præcepto arctativo solvendi certam quantitatis præstationem in casu contraventionis.*

6 *Valet tale præceptum, si solutio facienda sit per hæredem non ex fructibus proprii Patrimonii, sed ex fructibus hæreditatis Testatoris ita præcipientis.*

Contrarium, n. 8. & seqq.

7 *Quis potest spe lucri ad certum Conjugium ineundum allici*, & n. 12.

9 *Inhonestum videtur Matrimonia obstringi vinculo pœnæ.*

11 *Ex Testatoris præcepto nunquam in propriis bonis tenetur hæres, nisi tantumdem acceperit de bonis hæreditariis.*

14 *Quando dicatur Testatorem præcepisse certum Conjugium formidine pœnæ, & non spe lucri cessantis*, & n. seqq.

15 *Si Testator absque ulla obligatione nubendi hæreditatem alicui relinquat, & deindè per caput separatum illi injungat certum Conjugium qui, in casu contraventionis, teneatur solvere aliquam certam præstationem, dicitur ita præcepisse sub formidine pœnæ, non autem sub spe lucri cessantis*, & n. seqq.

19 *Contraventio est delictum, quod pœnam meretur.*

24 *Obligatio sive imposita, sive suscepta de solvenda pœna propter non impletam promissi Matrimonii fidem, est inefficax.*

25 *Voluntas Testatoris ea est, quæ constat ex Testamento, non autem ex aliqua illius Epistola.*

26 *Testator licèt Collateralis non potest cogere hæredem ad certum Matrimonium ineundum.*

DECIS. XXXIV.

Ad Vol. VI. n. 135. & ad Vol. VIII. n. 51. 57.



Neglecta Flaminia ex Joannis Antonii Sparretti Familia, Uxorem extra eamdem Familiam duxit Petrus Franciscus Junior Pavoni possessor Primogenituræ conditæ per Petrum Franciscum Seniorem de Pavonis primo loco favore Masculorum, ac dein Fœminarum descendentium ab Antonia Ascentiani ex Germano Fratre Nepte. In Jus ipsum propterea Flaminia vocavit, instans, ut sibi persolveret *scut.* 1000., eo quia Testator præceperat Successoribus prædictis sive Masculis, sive Fœminis, ut Conjugia celebrarent cum Descendentibus memorati Joannis Antonii, aut cum proximioribus istius Consanguineis *sotto pena &c. che contravenendo siano tenuti dare scudi mille al Maschio, o Femina più atti al Matrimonio*, faustoque Judicii exitu certavit, quippè Reus conventus persolvit reipsa scut. 1000. in vim rei judicatæ ex binis ortæ Sententiis, quarum alteram tulit A. C. Cerrus, & alteram R. P. D. Amadori olim Manieri. 1 2

De Viribus autem Rei judicatæ disputatum est in Rota diei 9. Junii superioris anni coram Me in vim Commissionis restitutionis in integrum ad instantiam Marini Pavoni moderni in Primogenitura Successoris, quem contemporaneè urgebat ad præstationem scut. 1000. Seraphinus Sparretti, uti Pater Puellarum Nicolaæ, & Catharinæ, eo quod, & ipse Uxorem

sibi adsciverat de aliena Familia. Voti compos evasit Marinus Pavoni, quoniam responsum fuit pro expostulata
3 restitutione in integrum. At concesso beneficio novæ Audientiæ, rogavi hoc mane = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.* = peritumque extitit = *In Decisis* =

Et jure quidem meritò concedendum fuerat Marino Pavoni remedium restitutionis in integrum, ob perspicuam Sententiarum injustitiam inde compertam, quod illegitima prorsus
4 arbitrii facultate Petrus Franciscus Senior Pavoni jusserat, ut in ordinata per eumdem Primogenitura Successores non aliundè quærere auderent sibi Conjugem, præterquam ex Descendentibus, sive proximioribus Consanguineis Joannis Antonii Sparretti, adigendo per viam veræ, ac propriæ pœnæ transgressorem ad solvendam pœnæ nomine summam *scut.* 1000. Personæ, sive Descendenti, sive proximiori Joannis Antonii Sparretti, quam Matrimonio magis idoneam noluisset sibi in Conjugem adjungere. Vulgatissimum quippè in Canonicis æqueac in Cæsareis legibus est, naturalem in contrahendis Nuptiis libertatem non fore cohibendam metu pœnæ, & ita improbari pœnalem hanc coercitio-
5 nem, ut oporteat haberi pro non scripto pœnale arctativum præceptum, quo quis ad certam quantitatis præstationem obligetur ex *Text. in Cap. Gemma 29. de Sponsalibus in leg. Titia 134. ff. de verbor. Obligat.*, & aliis relatis firmat *mea præcedens Decisio §. 6.*

Quin juverit inculcata acrius exceptio, controversiam proponi, in qua de solutione agitur facienda per Transgressorem voluntatis Testatoris, non quidem *de proprio*, sed ex fructibus hæreditatis ipsius præcipientis Te-
6 statoris, ac ideo *de alieno*, perindè acsi extranea à præsenti specie censeri debeat dispositio prænotata, quum in hypothesi, in qua Transgressor non de proprio pendat pœnam, sed ex re præcipientis cum designato Personarum genere Matrimonium, non promeretur pœnæ nomen demandata solutio, sed est simplex amissio lucri, cujus, alioquin cessantis, lucri spe quis allicitur ad certum Conjugium celebrandum: Id quod non improba- 7
ri ulla Juris sanctione tradant post *Oltrad. consil. 16., Cancer. Variar. Resolut. part. 3. tom. 3. cap. 7. num. 291., & seqq., Covarruv. in Epitbom. Matrim. part. 2. cap. 3. §. 3. num. 7., & sub num. 8., Sanchez de Matrim. lib. primo disput. 33. num. 8., Duran. de Condit. part. 2. cap. 3. a num. 46. cum duob. seqq., & Rot. coram Bichio dec. 89. num. 11., & 12.*

Ad hoc namque, ut præceptum, de quo disseritur, subdatur censuræ utriusque Juris, satis est verificari, quod præseferat pœnalem obligationem ineundi Matrimonium cum certo Personarum genere. Ob id siquidem 8
obligationes, & præcepta pœnalia damnantur, quia videri debet inhonestum vinculo pœnæ Matrimonia obstringi, juxta verba *Text. in leg. 134. 9
ff. de verbor. obligat.*; Hinc quotiescumque per solutionem pœnæ faciendam de re hæreditaria non abraditur in præcepto Nuptiarum intra limitatam Sparretti Familiam qualitas pœnæ veræ, & propriæ, neque submovetur inducta ex Testatoris mente coarctatio liberi a metu pœnæ arbitrii in contrahendis Nuptiis: toties subsistere nihilominus oportet ejusmodi 10
præceptum esse exosum legibus Canonicis, & Civilibus. Si enim, retenta pœnali qualitate præcepti, liceret Testatori hæredem metu pœnæ compellere ad Connubium cum designato Personarum genere, quia ita præcipiat metu pœnæ, quam non de suo hæres debeat luere; nunquam improbarentur pœnales eæ leges in Testamento insertæ, quippè ex Testatoris præcepto nunquam in propriis Bonis tenetur hæres, nisi tantumdem acce- 11
perit de Bonis hæreditariis per *Text. in leg. Unum ex Familia 65. §. primo ff. de legat. 2. leg. Cum alienam Cod. de Legat., & leg. Non solum Instit. eod. tit.*, & alibi frequenter.

Nèc sanè DD., qui potestatem Testatori tribuunt indicendi hæredi legem Nuptiarum cum designato Personarum genere sub aliqua adjecta pœna, quæ respiciat Bona hæreditaria,

ria, id fieri posse concedunt, ex quo reluctando nil *de suon* amittat, sed ea tantum ratione moventur, quia indè arguunt Testatorem voluisse potius
12 allicere hæredem ad optatum Matrimonium spe lucri alioquin cessantis: Et id, ex quo supponunt, fuisse relicta Bona in actu dispositionis Testamentariæ, quæ hæredi, illa adscribit sub inserta conditione nubendi cum spectato Personarum genere. Cæterum si aliundè constiterit Testatorem processisse per comminationem pœnæ verè, & propriè talis, & studuisse in vim præcepti verè pœnalis extorquere volitam Matrimonii celebrationem, nequaquam dubitant de
13 præcepti improbitate, quemadmodum distinguendo monet *Card. de Luc. de Testam. disc.* 73. *num.* 22., ubi laudat *Consil.* 16. *Oltrad.*, *& de Matrim. discurs.* 14. *n.* 5., *& Rot. cor. Coccin. dec.* 1462. *num.* 4.

Opus autem non fuit altiori instituto rei examine detegere veram pœnæ comminationem in disputato præcepto statim ac id aperiebant verba nimis perspicua Tabularum Testamentariarum = ibi = *Debbano sempre maritarsi &c.* SOTTO PENA *alli medesimi*, CHE CONTRAVENENDO *&c.* = Rursus pœnæ nomen usurpavit Testator, præcipiendo modum, & viam solvendi indictam pœnam ex fructibus hæreditatis = *possa pagare detta pena &c.* =; ac tandem in ordinatione ulterioris substitutionis favore Descendentium Mariæ Vincentiæ simile inculcans, & repetens præceptum, jussit = *Siano tenuti maritarsi &c.* SOTTO LA MEDESIMA PENA *di sopra imposta* = Si ergo Petrus Franciscus senior Pavoni, clarissima repetita verborum expressione, edixit se pœnam inferre, & pœnæ inflixione velle mulctare Transgressorem præcepti, nil utique
14 supererat, ut censeatur præcepisse Successoribus Connubia intra Familiam Sparretti per illationem veræ, & propriæ pœnæ, secus autem per viam conditionis, qua dicatur proposita hæredi celebranti optatum Matrimonium spes lucri cessantis, non contractis nuptiis uti per *Text. in leg.* 2. *ff. de his, quæ pæn. nomin.*, *& leg. Caleo* 7. §. *final. ff. de Supellect. Legat.* observant *Rodanasc. Consil.* 19. *lib.* 1. *num.* 19., *& sequent. Galganet. de Condit. part.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 3. *num.* 1. *Dondeus consult.* 8. *num.* 10. *Mans. Consult.* 338. *num.* 24., & cum aliis *mea Decisio* §. 8.

Accedebat non potuisse in dubium revocari pœnalitatem præcepti, inspecta ipsa præterea dispositionis indole. Testator quippè sine ulla pœnitus nubendi obligatione hæreditatem suam nomine Primogenituræ Successoribus attribuit, nec nisi per caput separatum dein illis imposuit controversum onus. In vim propterea Dispositionis, qua adscribitur hæreditas, nequit ambigi, quin hæredes habere sibi debuerint integrum Successionis compendium absque ulla relatione ad onus Matrimonii in Familia Sparretti eo ipso, quod immunem a præfato gravamine jam detulerat hæreditatem. Haud itaque spe lucri dein allecti dici possunt ad designatas Nuptias, at potius compulsi per illationem pœnæ, quæ verè infertur, ubi emolumento quis carere debeat perfectè antea quæsito, tametsi Testator nequaquam expresserit pœnæ nomen, velùti cohæsivè ad theoricam *Aretini in leg. Titia num.* 3. *ff. de verbor. obligat.* communiter tradunt *Altograd. consil.* 84. *num.* 6. *lib. primo*, aliique relati in præterita Decisione §. 9. quibus consonant *de Marin. Resolut. Jur. lib. primo cap.* 244. *sub num.* 13., *& Rot. in Avenion. Immissionis super Bonis Sybillæ de Mortin.* 26. *Junii* 1734. §. *Eademque coram bon. mem. Harrach.*

Pugnant invicem profectò, nèc vel mente fingi poterit, quod Successores in Primogenitura Pavoni censeantur illecti spe cessantis lucri fructuum hæreditatis pro quota *scut.* 9000., & quod præcedenter fuerit iisdem delata libera ab hujusmodi Nuptiarum onere perceptio omnium redditaum, qui esse ita debuerant de illorum omnino dominio. Per hanc namque dispositionis speciem palam 17
illicò fiebat Testatorem non invitasse ad optata Matrimonia spe cessantis lucri jam delati absque con-

 ditio.

ligatio qualiscumque sive imposita,
24 sive suscepta de solvenda pœna propter non impletam promissi Matrimonii fidem, innefficax sit, prout ex supra allegatis, & firmavit *Rota in Tuden. Sponsalium 20. Januarii 1747. §. Rectè cor. Eminentissimo D. Card. Millino, & in Colonien. Sponsalium super pœna Imperialium 2000. 3. Martii 1752. §. 5. coram Reverendissimo Molino Episcopo Brixiensi*.

Momenti postremo neque habet, quod Testator spem dederit Joanni Antonio Sparretti = *Di fargli godere il mio* = prout ex asserto quodam Epistolio, quasi proindè censeatur legasse scut. 1000. ipsius Descendentibus, & proximioribus Consanguineis in eventum, quo hæredes non obsequerentur præcepto nubendi, & eo etiam magis, quia de dispositione agitur Testatoris Collateralis, cui esse debuit largius arbitrium imponendi onera suo hæredi; Quandoquidem omissa disquisitione, num quidquam probet Epistolium, hoc unum erat rem fore definiendam juxta voluntatem solemniter panditam in Tabulis
25 Testamentariis, in quibus de asserto legato scut. 1000. nullum extat vestigium, *ad Text. in leg. Si Testamentum Cod. de Instit., & Subsistit., & leg. Circa ff. de Hæredibus Instit.* Pro eo autem, quod attinet Petrum Franciscum Seniorem Pavoni fuisse Collateralem, non ideò, ratione largioris arbitrii in disponendo de sua hæredita-
26 te, potuit metu pœnæ hæredem cogere ad Connubia cum certo Personarum genere contra providam utriusque Juris sanctionem.

Et ita relatione in cæteris habita ad præcedentem Decisionem Utraque &c.

EADEM CORAM EODEM

Super novo Mandato,

Veneris 13. Februar. 1756.

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decis. 33.

DECIS. XXXV.



RO restitutione in integrum, juxta vota Marini Pavoni, adversus rem judicatam editam favore Flaminiæ Sparretti cum rescripserit Sacrum Auditorium in Rota diei 9. Junii superioris anni, ex iisdem rationum momentis censuit quoque non esse locum præstationi *scut.* 1000. favore Nicolaæ, & Catharinæ Sparretti, sive Seraphini Sparretti earum Patris, nec consequenter esse relaxandum pro illis mandatum, prout firmat altera tunc à me evulgata Decisio. Sub præsidio itaque novæ Audientiæ concessæ quoad utramque Decisionem, postquam fuit hoc mane disputatum de viribus resolutionis super restitutione in integrum, requisivi etiam DD. super altero Dubio continente actionem pro novo Mandato instructam à Seraphino Sparretti nomine Nicolaæ, & Catharinæ Filiarum, ad effectum assequendi numerationem scut. 1000. contra Marinum Pavoni modernum possessorem Primogenituræ Pavoni, & nil sanè hæsitarunt, quin persisterent *in Decisis*.

Semelac enim actio promota adversus Marinum Pavoni unico illo nitebatur fundamento, cui inhæsit res judicata, quod nimirum Petrus Franciscus Senior Pavoni suo obstrinxit præcepto Successores in Primogenitura à se condita ad Nuptias non contrahendas extra Familiam Sparretti comminata pœna solvendi scut. 1000. favore Personæ Matrimonio aptæ ex dicta Familia; Consequens utiquè esse debuit, ut firmata præcepti inefficacia in contemporanea Decisione super restitutione in integrum, eadem ipsæ rationes

tiones illic deductæ, ad quas Domini habuerunt relationem, arceant, submoveantque actionem pariter pro novo Mandato.

Et ita &c. Utraque &c.

R. P. D. PENNA

Taurinen. Matrimonii.

Die Mercurii 24. *Januar.* 1590.

SUMMARIUM

2 *Deflorans Virginem tenetur eam dotare.*

3. 4 *Deflorans Virginem tenetur eam dotare, aut illam ducere Uxorem, vel quærere Maritum æqualem, cui nubat.*

Quod intellige, ut n. 9.

6. 7 *Deflorans Virginem satisfacit vel ducendo, vel dotando, non tamen utrumque copulativè.*

8. 9 *Defloranti Virginem non præcisè, sed causativè præcipitur, ut eam ducat Uxorem.*

10 *Deflorata Virgo semper præsumitur seducta.*

11 *Onus probandi incumbit alleganti Mulierem non esse Virginem.*

12 *Promissio facta in carceribus non præsumitur spontanea.*

DECIS. XXXVI.

Alias dec. 74. inter impress. cor. eod.

Ad Vot. VII. num. 50.



OANNES (a) Philippus Boninus Allasynam Mojam Puellam viripotentem defloravit, cui postmodum die 14. Januarii 1588. in carceri-
1 bus existens, de abortu accusatus, per Chirographum manu propria subscriptum, se illam ducturum Uxorem promisit, dummodo objecti sibi criminis abolitio a Principe impetraretur.

Allasyna coram Ordinario Taurinen. Boninum convenit, ut se dotaret, & Uxorem duceret.

Ordinarius Boninum ad eam ducendam (b) aut dotandam condemnavit, quam Sententiam in gradu appellationis Nuntius Apostolicus confirmavit.

Causa introducta in Rota, præmissis quibusdam præsuppositis, dubitavi, an Boninus Allasynam Uxorem ducere, aut dotare teneretur.

Et Domini quantum ad secundam dubii partem concorditer renuerunt
obligari Boninum ad Allasynam do- 2
tandam per textum, ubi omnes *in Cap. 1. & 2. de Adulter. S. Antoninus in Summ. part. 2. tit. 5. cap. 6. §. 1. Covarr. lib. 4. Decretal. cap. 6. §. 8. num. 15. Anton. Gomez in l. 80. Taurinum. 8. Joann. Gutierrez lib. 1. cononicar. quæst. cap. 37. Bernardinus Diaz in pract. crim. canon. cap. 77.*

Quod si Boninus duxerit, satis esse constituere Puellæ defloratæ dotem, quam juxta qualitatem Puellæ,
& consuetudinem regionis foret ha- 3
bitura, ut conformiter censent precitati Doctores, sin autem renuendas nuptias putaverit, juxta dispositiones *Cap. 2. de Adult.* tunc teneri Boninum ad supplendum illud, quo plus indiget corrupta ad inveniendum Vi- 4
rum sibi æqualem *Abbas antiquus in d. Cap. 1. de Adult.* ubi *Joan. Andr. num. 9. in fine Anchar. n. 6. notab. 6. Panormit. num. 3. Covar. lib. 4. Decret. cap. 6. §. 8. num. 15.*, & alii paulò ante relati: quia non est dubium, quin per Deflorationem deterior sit facta Puella, & ideo majori dote indiget ad inveniendum Virum sibi æqualem, & Deflorantem, qui causam damni dedit, teneri ad illud compensandum.

Cessabit verò illud augmentum quando corrupta, cum dote consue-
ta dari Virginibus, potest consequi, 5
aut consequitur Maritum sibi æqualem *Covarr. ubi supra*, quod est de mente Scribentium *in dict. Cap. 1. & 2. de Adulter.*

Quantum ad primam partem dubi

(a) Hæc Decisio habetur impressa per Farinacc. post tom. 1. consf. dec. 74. (b) *Adde Rot. in una Fegentina Matrimonii 28. Jun. 1593. cor. Justo impress. per Farinac. post tom. 2. consf. dec. 73. n. 4.*

bii Domini etiam conformiter censuerunt Boninum præcisè, & absolutè non
6 esse cogendum ad Allasynam ducendam juxta *Cap.* 2. *de Adult.* ubi præceptum de ducenda, & dotanda Virgine deflorata, non ponitur copulativè ut in *Cap.* 1. sed disjunctivè. Tametsi enim veteres Canonistæ *Innoc. Hostiens.* & hoc secuti *Ant. de Butr.*, *Zabarella*, & plerique alii *in dicto Cap.* 1. *de Adult.* tenuerint Defloratorem etiam invitum Judicis auctoritate cogendum ad Matrimonium contrahendum, speciale ibi esse, dicentes ratione debiti, ut quis invitus Nuptias inire cogatur.

Nihilominus contrariam senten-
7 tiam usu Judiciorum receptam testantur *Ant. Gomez ad l.* 80. *Tauri num.* 8. *vers. Sed his non obstantibus Julius Clarus in* §. *Stuprum num.* 3. *vers. Sed quæro quæ sit pœna* sentit *Panormit. in d. Cap.* 1. *de Adult. Covarr. Joann. Guttier. S. Antoninus* & alii paulò ante relati per textum in *Cap.* 2. *de Adulter.* per quem temperatur dispositio *Cap.* 1. jubentis Virginem defloratam & ducendam, & dotandam simul: nam ex illis duobus Capitibus simul junctis Domini censuerunt hanc deduci sententiam menti Legislatoris conformem, ut qui Virginem deflo-
8 ravit, cum ea præcisè Matrimonium contrahere non compellatur, sed causativè *Anch. in d. Cap.* 1. *de Adulter. notab.* 5. *num.* 5. ubi *Marian. Socin. num.* 13. *in fin. vers. Sed adverte*, idem *Marian. c.* 2. *eod. tit. notab.* 2. *n.* 3., *& S. Anton. in Sum. par.* 2. *tit.* 5. *c.* 6. §. 1. *vers. Hodie autem sic ponitur*, *Ruin. cons.* 189. *num.* 8. *lib.* 2. *Joann. Guttier. lib.* 1. *canonicar. c.* 37. *numero* 11.

Nec obstat si dicatur, quod *Cap.* 1. *de Adult.* est desumptum ex
9 veteri Testamento *Exod. Cap.* 22., ubi recensetur inter præcepta judicialia, quod cum fuerit relatum in Jus Canonicum per potestatem habentem, debet precisè servari *S. Thomas.* 1. *&* 2. *quæst.* 104. *art.* 3. *Silvester. in Summa verb. Luxuria quæst.* 5. *Imola in Cap. Cum tanta num.* 7. *&* 8. *de consuetudin. Parisius cons.* 68. incip. *Dubium exoritur n.* 106 *lib.* 4. & ideo Boninus tenebitur præcisè ad utrumque.

Quoniam dixerunt Domini, quod cum idem Legislator, qui in corpus Juris Canonici reduxit, & vivificavit illud præceptum ex veteri Testamento, quod alias erat mortuum, statim *in eodem titulo de Adulteriis in Cap.* 2. apposuerit aliam dispositionem cum disjunctione, censetur voluisse præceptum *Cap.* 1. observandum cum illa qualitate, de qua in *Cap.* 2., ut scilicet Deflorans Virginem teneatur illam ducere, & dotare: aut si renuendum putaverit, patiatur pœnas de quibus in *Cap.* 2.

Quod objiciebatur ex *Grato consil.* 43. *num.* 31. *lib.* 2. nempè non esse locum dispositioni *Cap.* 1. *&* 2. *de Adult.* nisi tria potissimum copulativè concurrant: primum Virum seduxisse: secundum stuprasse: tertium Puellam fuisse Virginem; non putabant Domini satis tutum, nam quantum ad primum, licet Vir asserat se non seduxisse, semper in dubio seducta Puella præsumitur *Ruinus d. cons.* 189. 10
num. 9. *lib.* 2. Canonistæ in *d. Cap.* 1. *de Adult.* & est communis opinio *Joan. Guttier. lib.* 1. *canonicar. quæst. cap.* 37. *num.* 11.

Secundum de Stupro per Boninum commisso non negabatur a partibus.

Tertium de Virginitate Allasynæ, si illam negaret Boninus, ei incumberet onus probandi: quia in dubio Puella 11
Virgo præsumitur, sicut Virgo nascitur, juxta communem sententiam *Panormitani in Cap.* 1. *de Adulter. n.* 5. *Jul. Clar. in* §. *Stuprum num.* 4. *vers. Sed pone quod Stuprator*.

Promissio facta per Boninum de Allasyna ducenda non videbatur multum urgere; tùm quia conditionalis, & deficiente conditione non 12
habet locum *Cap.* 1. *de Sponsalibus l. Qui promittit ff. de condict. indebit.* tùm quia facta in carceribus, quæ propterea minus spontanea videbatur. *Parisius cons.* 160. *lib.* 4.

Super aliis, si opus fuerit partes audiantur.

EMI.

EMINENTISSIMO CINCIO

Pampilonen. Sponsalium

Veneris 6. Decemb. 1726.

A R G U M E N T U M

Deficiente verificatione Sponsalium non est locus coactioni.

S U M M A R I U M

1 *Facti species*, & num. seqq.

4 *Sponsalia, quia adimunt nativam libertatem, & perpetuum Conjugotii servitutis vinculum injiciunt, undiquè rigorosam, & concludentissimam exigunt probationem.*

5 *Sponsalia, & Stuprum non probantur per depositionem unius ex assertis Contrahentibus*, & n. seq.

7 *Fortius si ante depositionem unius super promissione Matrimonii, ac prætenso Stupro, alter utrumque judicialiter negaverit.*

8 *Maximè si in illius depositione adsit contrarietas in circumstantia substantiali.*

9 *Testes deponentes de auditu non proprio, sed alieno non probant.*

10 *Eo magis si deponant de auditu ab Actore, seu ab ejus Consanguineis.*

11 *In mutuo consensu, & reciproca promissione futurarum nuptiarum Sponsalia consistunt.*

12 *Testis unicus non probat.*

13 *Testis unicus Consanguineus, & magna cum eo, pro quo deponit, necessitudine conjunctus ad ejus favorem non probat.*

14 *Nec Testis sibi contrarius, & varius.*

15 *Nec Testis contrarius confessioni ejus, pro quo deponit.*

16 *Testibus deponentibus de auditu proprio plenè est deferendum.*

17 *Stuprum de per se non inducit obligationem desponsandi, sed ad perficienda Sponsalia requiritur mutua promissio, & consensus.*

18 *Ex Sententia cogente Stuprantem ad nubendum, vel dotandum resultat in Stupro non intervenisse Sponsalia.*

19 *Qui cum promissione Matrimonii stupravit Fæminam, cogi debet ad eam desponsandam tàm de Jure Divino, quàm Canonico.*

20 *Confessio Stupratæ, ejusque Matris, ac Fratris, quod assertus Stuprator potest cum aliis contrahere Matrimonium, excludit concubitum cum offerta Stuprata sub fide Matrimonii.*

21 *Non existentibus Sponsalibus, Stuprator cogi non potest ad contrahendum Matrimonium cum Stuprata.*

22 *Probatis Sponsalibus si aliqua justa, & rationabilis causa concurrat, abstinendum est a coactione Matrimonii, quia Nuptiæ per vim contractæ ut plurimum infelices, & perniciosos exitus sortiuntur.*

23 *Justæ causæ sunt Carceratio Stuprantis ad querelam Stupratæ; obstinata litis sustentatio pro exclusione Sponsalium coram Ordinario, coram Judice appellationis, & coram Sac. Rota, ac objectivæ exceptiones per Stuprantem oppositæ circa natalia, & honestatem Mulieris.*

24 *Ex quibus omnibus odii irreconciliabilis semina præsumuntur exorta.*

25 *Juramenti vinculum non adeo firmat Sponsalia, ut ex justa causa ab eis recedere non liceat.*

26 *Si Sponsalia non fuerint jurata, quæcumque causa minus urgens sufficit ad evitandam coactionem.*

D E C I S. XXXVII.

Ad Vot. VII. n. 61.



UB fide Matrimonii prætendens Maria Anna Suescunse se fuisse defloratam à Martino Josepho Gil, ac prægnantem remansisse, querelam exposuit apud Judicem Laicum, exindè verò comparendo in Curia Episcopali Pampilonen. obicem præstitit, ne deveniretur ad effectuationem Matrimonii, quod d. Martinus contrahere inten- 1

tendebat eum Maria Guerrero, petens insuper cogi, & compelli Stuprantem ad exequenda asserta Sponsalia cum ipsa contracta. Absoluto autem judi-
2 cio criminali per sententiam Curiæ Laicalis Pampilonen., & alteram Regii Consilii, condemnantes prædictum Martinum ad desponsandum, vel dotandum, successivè eadem Maria Anna obtinuit in d. Curia Episcopali aliam favorabilem Sententiam, qua pronunciatum fuit constare de Sponsalibus, ac ad eorum adimplementum Martinum esse compellendum etiàm sub censuris; cumque hujusmodi judicatum revocatum fuerit in Curia Archiepiscopali Burgen., idcircò in vim commissio-
3 nis appellationis, delegata mihi ulteriori Causæ cognitione, dedi dubium = *An constet de Sponsalibus, itaut sit locus coactioni* = quod in hodierna audientia, non curante d. Maria Anna deducere jura sua, resolutum fuit *pro Informante*, nempè *Negativè*.

Deficit enim verificatio Sponsalium, quæ tamen cum adimant nativam libertatem, & perpetuum Con-
4 jugalis servitutis vinculum injiciant, undique rigorosam, & concludentissimam exigunt probationem, juxta *Gloss. notabilem in Cap. Mulieri verb. Absolutio in fine de jure juran. Sanchez de matrim. lib.* 1. *disput.* 36. *n.* 3. *Rot. dec.* 207. *num.* 1. *part.* 1. *decis.* 471. *num.* 2. *par.* 2. *decis.* 242. *n.* 3. *par.* 14. *decis.* 267. *num.* 1. *part.* 18. *recent.*, *Panimoll. decis.* 23. *num.* 3. *Rot. coram Cels. decis.* 374. *num.* 1. *coram Dunoz. Junior. decis.* 296. *num.* 1. *&* 2. *in Baren. Sponsalium* 26. *Junii* 1711. §. *Existimarunt coram bon. mem. Lancetta*.

Nec probatio hujusmodi resultare visa est, vel ex depositione prædictæ Mariæ Annæ, vel ex Testibus pro ejus parte examinatis; Nàm depositio Mulieris, licèt juramento firmata, nullo modo venit attendenda, cum
5 regula generalis, quod nemo dicendi Testimonium facultatem habeat in re propria *ad Text. in l. Omnibus l. Nullus Cod. de Testib.*, multò magis procedit, ubi quæstio sit de Sponsalibus, ob ser-
6 vitutem Matrimonii, in quam reducitur Sponsus, ut post *Gloss. in Cap. Mulieri verb. Absolutio in fine de jur. jurando* firmat *Rota in Colonien. Matrimonii* 21. *Junii* 1709. § *Eòque validius coram Emo D. Card. Falconerio*; Fortiùs quià antequàm d. Maria Anna deponeret super promissione Matrimonii, ac prætenso Stupro, jam Martinus utrumque judicialiter negaverat, 7
ideòque eò minus deferendum est ejus depositioni, ut prosequitur *Rot. in d. Colonien. Matrimonii* 21. *Junii* 1709. §. *Nàm quidquid cor. Emo D. Card. Falconerio*, quæ si ulteriùs constans non fuit in ordine ad tempus primi Concubitus, sivè Stupri, dùm id, quod exposuit in querela criminali apud Judicem Laicum differt ab examine formali, cui se submisit coram Ordinario Loci, hæc sola contrarietas in circumstantia tàm substantiali operatur, ut nullam promereatur fidem *leg. Qui falsò, vel variè ff. de Testib. Vermigl. consil.* 117. *num.* 3. *versic. Nec obstat*, *Prat. respons. criminal.* 20. *num.* 38., *Mantic. decis.* 124. *num.* 13. 8

Testes verò per Mariam Annam inducti, nequidèm faciunt probationem, cum uno excepto, nempè Joachim de Archarate, omnes deponant 9
de auditu non proprio, sed alieno, ad tradita per *Andreol. contr.* 256. *n.* 15. *Rot. dec.* 103. *n.* 26. *par.* 10. *dec.* 553. *num.* 8. *par.* 18. *rec.*, *& in Cæsenaten. Successionis* 14. *Januarii proximi præteriti* §. *Assumpsit cor. Me*, & in terminis Sponsalium *Rot. cor. Dunoz. Jun. dec.* 296. *num.* 6., *& in d. Baren. Sponsalium* 26. *Jun.* 1711. §. *Consistit cor. bon. mem. Lancetta*; Eò magis, quia deponunt de auditu, vel ab ipsa Maria Anna, vel ab ejus Consanguineis, ideòque minuitur fides nullatenùs præstanda Testibus, quorum sui repellunt Auctores, *ut ex Text. in Cap. Licèt ex quadam* 47. *de Testib.* firmant *Conciol. allegat.* 1. *num.* 22., *Farinac. de testib. quæst.* 69. *num.* 85. *cum sequ. Calvin. de æquit. lib.* 1. *cap.* 30. *n.* 27. *Rot. coram Gregor. decis.* 570. *n.* 2. 10

Absque eo quod fundamentum fieri valeat in depositione Joachim de Archarate; quoniam ubi etiam hic Testis concluderet mutuum consensum, & promissionem reciprocam futurarum Nuptiarum, in quo consistunt Sponsalia *Guttier. de Matrim. cap.* 4. 11

 n. 6.

num.6. Molin. de contract.disput.294.
num.9., *Sanchez de Matrim. lib.1. di-*
sput.9. num. 1. & seq. Card. de Luc.
de Matrim. disc.8. n.8.Sperell.dec.95.
num.1., *& 10.*, *& in d.Baren. Spon-*
salium 26. Junii §. Advertendo cor.
bon.mem. Lancetta; Nihilominùs non
esset standum ejus depositioni, tùm
12 quià est unicus juxta *text. in d. Cap.*
Licèt de Testib., *Sanchez de Matrim.*
lib.8. disp. 36.n.13. Panimoll. dec. 23.
num.5. Rot. dec.132. num.18. par. 17.
rec., *& in d. Colonien.Matrimonii 21.*
Jun.1709. cor. Emo D. Card. Falcone-
rio; Tùm quià est Consanguineus, &
13 magna cum Muliere necessitudine
conjunctus *Cap.Super ea ll 2.de Testib.*
Bero cons.4. n.22. lib.2. Rot. dec.207.
num.4.par.1.rec. & cor. Dunozz.Jun.
dec.296. num.3. & 5.; Tùm deniquè
quià non solum est sibi contrarius, &
varius circa promissionem Matrimo-
nii, super qua non concordant pri-
mum, & secundum examen, adeoùt
stante hac varietate per Judices Lai-
cos mulctatus extiterit in libris 100.,
14 sed insuper contradicit confessioni
ejusdem Mariæ Annæ respectu tempo-
ris primæ promissionis Sponsalium, ut
in terminis contrarietatis, & varietatis
depositionum monet *Text. in Cap.Li-*
cèt causam de probat.Menoch.de arbitr.
Judic. lib. 2. cas.108., *Farinacc. de*
Testib. qu.66. num.13., & de contra-
15 dictione confessioni Partis *Rot.cor.Bu-*
ratt. decis.317. num.8.,*coram Cels. de-*
cis.40. num.16., *& post Torr. de pact.*
futur. success. decis.25.num.11.dec.58.
num.13. & decis.97. num.12.

Promissio itaquè, & spes data fu-
turi Matrimonii, quæ ex hùcusque de-
ductis probata non remanet, multò
minùs argui potest ex Stupro per di-
ctam Mariam Annam passo; Nàm, quid-
quid sit de veritate deflorationis, ad-
versùs quam plura deducebantur per
Defensorem Martini, & signanter quod
eadem Maria Anna, & ejus Mater an-
tè expositionem querelæ, prætensum
Stuprum constantissimè denegarunt, ut
concorditèr deponunt quamplures te-
16 stes, quibus tamquàm deponentibus
de auditu proprio plenè deferendum
esse monet *Gloss. in l. Si arbiter vers.*
Quibuslibet ff. de probat., *Barsat.con-*
sil. 366. n. 1. Menoch. de arbitr. Jud.
cas.475. num.15. Emer. Jun. decis.66.
num.3. & dec.763. num.2., illa adhùc
admissa, non exindè sequebatur ad-
fuisse Sponsalia, cùm ad ea perficien-
da requiratur mutua promissio, & con-
sensus, sine quo concubitus de per se
nihil operatur, nèc efficax est ad indu- 17
cendam obligationem desponsandi, ut
probat *text. in Cap.Tua nos.26. §.Nos*
autèm de Sponsal., *Can. Sufficiat 27.*
quæst.2. Rot.decis.471.num.1. & sequ.
part.2., *decis.163. num.9. part.9. re-*
cen., *Cels. decis.374. num.3. in fin.*,
& in dicta Colonien. Matrimonii 21.
Junii 1709. §. Injustè, *& per tot. co-*
ram Emo D. Card. Falconerio.

Et quod reverà nullo modo in-
tercessissent Sponsalia, resultat ex te-
nore ipsarum Sententiarum, quas Ma-
riaAnna reportavit in judicio crimina-
li cogentium Martinum alternativè 18
ad desponsandum, vel dotandum ju-
xtà *text. in Cap.2. de Adulter.*, cujus
dispositio habet locum in Stupro sim-
plici, non autem in Stupro qualifica-
to, prævia fide data de Matrimonio
contrahendo, quo supposito Martinus
cogi debuisset ad desponsandum, sive 19
attendatur JusDivinum *Exod.*, *& Deu-*
teronom. utrobique *cap.22.*, sive Pon-
tificium *Cap.Ex literis de Sponsal.Abb.*
in Cap.1. num. 6. de Adulter., *& in*
Cap. Cum causa num. 4. de Rapt. San-
chez de Matrimon. lib. 1. disputat. 4.
num.1., *Clarin. controvers. forens.*
cap.174. num.58., *Panimoll. dec. 23.*
num.24., *Rot. coram Cavaler. dec.421.*
num.1., *in recent. decis.163. num.23.*
part.9., *& dec.767. num.2. part.19.*
Rot. apud Cardin. de Luc. de Dot. de-
cis.41. num.4. lib.6. tom.1., *& dec.7.*
num. 5. de Matrimon. lib. 14. tom.2.,
Accedente præterea, quod tàm dicta
Maria Anna, quàm ejus Mater, &
Germanus Frater moniti de Sponsali-
bus, quæ idem Martinus tractabat cum
Maria Guerrero, ingenuè declara-
runt d.Martinum liberè cum aliis con-
trahere posse, quià nulla obligatione
desponsandi d. Mariam Annam obstri-
ctus reperiebatur, undè magis magis- 20
que excluditur prætensa effectuatio
concubitus sub fide Matrimonii *Rot.*
in dicta Colonien. Matrimonii 21.Ju-
nii 1709.

nii 1709. §. *in hypothesi coram Eminentissimo D. Cardin. Falconerio*,

Et hinc nulla urgebat necessitas progrediendi ad examen alterius inspectionis, an nempè sit locus coactioni juxta secundam dubii partem, cùm deficiente probatione, & non existentibus Sponsalibus, numquam in-
21 tret obligatio contrahendi per verba de præsenti *Cap. Ex literis il secondo Cap. Requisivit, & Cap. Sicut de Sponsal. Ferrett. consf.* 171. *per tot.*, *Rot. coram Cavaler. dec.* 415. *n.* 1., *coram Priolo decis.* 89. *n.* 1., *coram Cels. decis.* 374. *n.* 2., *& in Albanen. Sponsalium super Censuris* 10. *Decembris* 1710. *per tot. coram bon. mem. Ansaldo*; Verùm, prout duo ex DD. animadvertebant, ne quidem probatis Sponsalibus cogi potuisset Martinus ad Nuptias, quià concurrente aliqua justa, & rationabili causa, abstinendum est à coactione Matrimonii, cùm
22 Nuptiæ per vim contractæ, ut plurimum infelices, & perniciosos exitus sortiantur *Cap. Ex literis il secondo*, *& Cap. Requisivit de Sponsal.*, *Sanchez de Matr. disp.* 10. *n.* 10. *vers. Quarto limita*, *& disput.* 29. *n.* 4. *vers. Probatur autem lib.* 1. *Seraphin. dec.* 893. *num* 33. *Burat. decis.* 311. *n.* 2.; *Gregor. decis.* 376. *num.* 5. *vers. Et licèt* ibique *Adden. num.* 9., *Pamphil. decis.* 96. *num.* 1., *Duran. decis.* 242. *n.* 1., *& sequ. in recent. decis.* 19. *num.* 2., *&* 3. *part.* 10., *& decis.* 185. *à num.* 1. *ad* 4. *part.* 14.

Omissis enim aliis causis, sufficere in præsenti videbatur carceratio, quàm Martinus passus est occasione
23 querelæ super Stupro per Mariam Annam porrectæ, pervicacis, & obstinatæ litis substentatio pro exclusione Sponsalium tàm coram Ordinario Pamphilonen., quàm in Curia Metropolitana Burgen., & in Sacro Auditorio, ac denique objectivæ exceptiones per dictum Martinum oppositæ circà Natalia, & honestatem Mariæ Annæ, ex
24 quibus omnibus odii adeò irreconciliabilis femina præsumuntur exorta; ut in casu Matrimonii per compulsum censurarum ineundi, periculum gravium scandalorum sit verisimiliter pertimescendum, ac ideò longè meliùs reputatur à coactione desistere, ad notata *per DD. in Cap. Ex literis de Sponsal.*, *& Matrim. Gabr. cons.* 186. *n.* 7., *& seqq. lib.* 2., *Ciarlin. controv lib.* 3. *cap.* 174. *num.* 79., *Dunoz. Junior. decis.* 296. *num.* 9. *&* 10. *Cels. dec.* 374. *num.* 7., *Cavaler. decis.* 447. *num* 4., *Duran. decis.* 242. *num.* 12., *in recent. dec.* 207. *n.* 9. *par.* 1. *dec.* 195. *n.* 4., *& dec.* 242. *n.* 13. *par.* 14.; *& Rot. in dict. Baren. Sponsalium* 26. *Junii* 1711. §. *Quibus coram bon. mem. Lancetta*.

Quæ sane conclusio, si à DD. communiter amplectitur, quamvis Sponsalia fuerint jurata, cùm vinculum juramenti non adeò firmet Sponsalia, ut non liceat ab eis recedere 25
justa accedente causa *Cap. Propterea de Sponsal.*, *Menoch. consil.* 786. *n.* 10., *&* 13., *Surd. consil.* 364. *num.* 7., *Seraphin. decis.* 1112. *num.* 4. *& dec.* 1258. *num.* 5., *Coccin. decis.* 437. *num.* 1., *& sequ.*, *Cavaler. decis.* 447. *n.* 1., *Gregor. dec.* 376. *n.* 5. ibique *Adden. n.* 9., potiori jure vindicat sibi locum, ubi, prout in hypothesi, prætensa Sponsalia non sint juramento firmata, in quibus terminis quæcumque causa etiam minùs urgens sufficit ad effectum evi- 26
tandi coactionem *Abb. in Cap. Requisivit num.* 6. *in fin. de Sponsal.*, *Gabr. consil.* 186. *num.* 10. *vol.* 2., *Panimoll. decis.* 23. *num.* 18., *Adden. ad Pamphil. dec.* 96. *num.* 10. *vers. Eò fortiùs*, *Rot. coram Cavaler. decis.* 467. *n.* 3., *cor. Dunoz. Jun. dec.* 296. *n.* 12., *in recen. dec.* 19. *num.* 30. *par.* 10. *& decis.* 185. *num.* 6. *par.* 14.

Et ità altera tantùm &c.

R. P. D. LANA

Tarentina Sponsalium.

Ven. 30. *Junii* 1747.

ARGUMENTUM

Sponsalium probatio ad cogendum alterum prætensum Sponsum ad illorum implementum debet esse plena, & concludens.

SUMMARIUM

1 *Facti species*,
2 *Sponsalium probatio debet esse plena, & concludens*.

3 *Spon-*

3 *Sponsalia non probant Testes de auditu a Personis incognitis.*

4 *Ex actu aequivoco probatus non remanet Sponsalium contractus,*

5 *Ad perfectionem Sponsalium requiritur certa, & determinata voluntas non jocosis, sed seriis actibus explicata.*

6 *Verba* = Mogliera mi può essere = *exprimunt possibilitatem Matrimonii, non positivam illius promissionem,*

7 *Testis, qui favet exclusioni Sponsalium, ab illorum probatione rejici debet in casu.*

8 *Verba, quae non concludunt consensum volitum de praesenti, sed quoddam desiderium contrahendi Sponsalia, non sufficiunt ad effectum coactionis.*

9 *Testes singulares Sponsalia non probant.*

10 *Non dicuntur verificata Sponsalia nisi constet de mutua utriusque Sponsi repromissione.*

DECIS. XXXVIII.

Ad Vot. VII. num. 61.



Ajetana Carriero sub ideato supposito, quòd inter ipsam, & Paulum
1 Franciscum Conservam fuissent inita Sponsalia per verba de futuro, adivit Tribunal Archiepiscopi Tarentini, imploravitque ab eo omnia Juris remedia prò coactione ejusdem Pauli ad Matrimonium contrahendum, ad quem effectum, examinatis ex parte Mulieris nonnullis Testibus, eorumque examine maturè discusso, per Sententiam Vicarii Generalis illius Curiae declaratum fuit non constare de assertis Sponsalibus; Quae quidem Sententia in gradu appellationis à Muliere interpositae ad Tribunal A.C. confirmari promeruit, mediante alia Sententia R. P. D. Cincii; Undè delata hujusmodi Causa appellationis ad nostrum Sacrum Auditorium, mihique directa commissione, exquisivi hodiè a Dominis meis = *An constet de Sponsalibus* = Qui responsum mihi praebuerunt = *Negative* = ex defectu probationis eorumdem Sponsalium cum Paulo Francisco, quae in propo- 2
sito debet esse plena, & concludens, *ad text. in Cap. primo de Clandest. Desponsat., Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 36. num. 13., Paris. cons. 59. num. 9. lib. 4., Alexan. cons. 144. n. 4.* praesertim *in fin. lib. 2.*, & dixit *Rot. coram Seraphin. decis. 999. num. 1. & coram Buratt. decis. 763. num. 8.*, ibique *Adden. litt. B., & in Surrentina Sponsalium 8. Februarii 1730. §. Propterea coram Harrach, & in Amerina Sponsalium 22. Novembris 1737. §. Siquidem coram cl. mem. Card. Calcagnino.*

Talis autem non videbatur ea, quae desumitur ex depositione omnium Testium ad probandum Sponsalia à Cajetana inductorum; Primus siquidem deponit de promissione Pauli ex auditu a Personis incognitis, ut ibi = 3
Rispetto alla parola depongo averlo inteso da Uomini di Campagna, che Francesco Paolo Conserva abbia dato alla medema Gaetana una tal parola di Matrimonio &c. = & sic nullum gradum probationis constituit =, *Cap. Licet ex quadam de Testib., Lotter. de re benefic. lib. 3. quaest. 20. num. 84., Tondut. de Pension. cap. 14. num. 11. & 12., Rota dec. 194. n. 18. part. 18., dec. 292. num. 11. part. 19. recent., coram Bichio decis. 202. num. 12., & decis. 10. num. 8. coram Falconer. de Servitut.*

Alter vero Testis deponens de confidentiali colloquio habito inter Paulum, & ipsam solam Cajetanam, sic ait = *In vederli Io da solo a sola, li domandai, che è tanta confidenza? A tal domanda l'istesso Paolo Francesco &c. colla bocca a riso mi rispose = Mogliera mi puol' essere &c.* = Haec sanè Pauli responsio subridendo, & per jocum data, nihil certitudinaliter concludit, sufficitque, quod sit actus 4
aequivocus, ad hoc ut contractum Sponsalium probare nequeat, ad quorum perfectionem requiritur certa, & determinata voluntas, non jocosis, 5
sed seriis actibus explicata *Leg. prima ff. de Sponsal., Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 5. num. 1. Molin. de Rit. nupt.*

nupt. lib primo compar, prima num.25. in princip., Card. de Luc. de Matrim. disc.8. num.8., & seqq., *Rot. coram Zarat. dec.*108. *num.* 21. ; Præsertim quia verba illa = *Mogliera mi puol' essere* = nil aliud exprimunt , quam
6 possibilitatem Matrimonii , non autem positivam illius promissionem , *Piton. discept. Eccles.*52. *num.*74. cum aliis cumulatis per *Rot. in rec. decis.* 267. *n.* 5. *par.* 18. *tom. primo*.

Tertius verò Testis , qui deposuit Paulum , ob deficientiam consensus Parentum , Matrimonium contrahere nequivisse, cum potiùs faveat
7 exclusioni Sponsalium , quàm illorum probationi , ideò venit omninò rejiciendus, ad tradita per *Piton. discept. Eccles.*52. *numer.*85. *tom.*2., *Rot. decis.*187. *num.*2. *part.* 2., *& dec.* 493. *num.*45., *& seqq. part.*1. *tom.*2. *rec.*

Denique verba illa = *Se Gaetana vuol' essere affidata , Io l' affidarò* = quę quartus Testis asseruit fuisse a Paulo prolata , nullatenùs Sponsalia concludere valent , quia non inducunt consensum volitum de præsenti , sed
8 solùm ostendunt quoddam desiderium Sponsalia contrahendi cæteroquin insufficiens ad effectum coactionis , ut in terminis respondit *Rot. coram Lancett. dec.*682. *num.*6.

His accedit , quod omnes supra memorati Testes sunt in eorum dictis
9 singulares , & propterea nulla fides est eis adhibenda , ad passim firmata per *Rot. dec.*160. *num.*11. *coram Coccin.*, *decis.* 559. *numer.* 7. *coram Buratt.*, *decis.*89. *num.*4. *coram Emer. Jun.*, *& dec.*290. *num.*2. *par.*6. *rec.*

Ulteriùs Testes prædicti nec verbum proferunt de assensu Mulieris ducendi Paulum in Sponsum , itaùt etiamsi per impossibile constaret de ejusdem Pauli promissione , attamèn
10 cum non doceatur de repromissione Cajetanæ , nullatenus dici possunt verificata prętensa Sponsalia, juxta apertum *Text. in leg. prima ff. de Sponsalib.*, *Sanchez de Matrim. lib. primo disput.* 5. *num. primo* , & pluries firmavit *Rota* præsertim *coram Crispo decis.* 172. *numer. primo* , *& in dicta Amerina Sponsalium* 22. *Novembris* 1737. §. 7. *coram clar. memor. Cardinali Calcagnino* ; Ideòque omni jure respondendum erat , prout fuit justissimè responsum = *Non constare de Sponsalibus* =

Et ità Unica &c.

R. P. D. ARGUELLES

Ulixbonen. Nullitatis Professionis.

Lunæ 29. *Januar.* 1646.

ARGUMENTUM

Professio metu emissa est nulla , & ex quibus probetur metus ad hunc effectum , & ex quibus reddatur nulla asserta ejusdem ratificatio sive expressa, sive tacita . Matrimonium a Filia contractum per metum a Matre illatum est invalidum , etiamsi Filia metum passa per plures annos post mortem Matris cum Viro permanserit , Filiosque procreaverit .

SUMMARIUM

1 *Natura ratificationis est validare actum nullum usque ab initio* .
2 *An tacita ratificatio inducatur ex cursu longissimi temporis* .
3 *Metus incussus a Patre reddit Professionem nullam* .
4 *Et omnes actus subsequentes inducentes tacitam ratificationem Professionis vivente Patre non suffragantur* .
5 *Adducitur Declaratio Sac. Congregationis Concilii super Matrimonio metu contracto* .
6 *Matrimonium contractum a Filia per metum a Matre illatum est invalidum , etiamsi Mulier metum passa per plures annos post mortem Matris permanserit cum Marito* .
7 *Probato metu, corruunt conjecturæ pro libera voluntate* .
8 *Imo est impossibile probari contrarium* .
9 *Voluntas coacta non est voluntas* .
10 *Voluntas coacta non est libera prorsus , ac simplex voluntas* .
11 *Cessio litis , & verba , quod licet*

cet non esset Monialis, hodie vult esse Monialis, videntur verificare Professionem, sed tamen invalidè, & num. seq.

12 *Reservatio successionis est contra substantiam, & validitatem Professionis.*

13 *Metus, & minæ subtractionis alimentorum sufficiunt ad irritandam Professionem, sicuti metus amissionis bonorum.*

14 *Maximè in Muliere multo ære alieno gravata, a quo sublevari promittitur.*

15 *Necnon minæ protrahendæ, & perpetuandæ litis.*

16 *Quanta sit miseria litis, & æris alieni.*

17 *Promissiones liberandi ab ære alieno, persuasiones, & preces importunæ, frequentes, & molestiæ Fratrum forsan per se solæ vitiant Professionem.*

18 *Ubi intervenit lucrum semper dolus præsumitur.*

19 *Dolus eodem modo, quo metus, invalidat contractum sive sit in ipso actu, sive in ratificatione* n.20.

21 *Dolus dans causam Contractui bonæ fidei eum reddit nullum.*

22 *Error licet circa qualitates extrinsecas, tamen quando in eas fertur animus eodem actu, & eis innitur expressè, invalidat Professionem.*

23 *Et adimit consensum contrahendi ab actu.*

24 *In actu gesto a Muliere maxima perturbatione commota, non adest plena libertas, & prudens deliberatio.*

25 *Invaliditas ratificationis ex quibus pateat.*

26 *Bonus Spiritus non cito pertransit.*

27 *Ex subita subsecuta conquestione arguitur repugnantia voluntatis.*

28 *Maximè si statim dicat se nescire quid fecerat.*

29 *Verbum* = volo = *junctum verbo infinitivi temporis non importat dispositionem de præsenti, sed voluntatem propensam agendi in futurum.*

30 *Verba prolata in actu non determinato ad emittendam Professionem, seu ratificationem, sed ad alium finem, non deserviunt ad inducendam dispositionem.*

31 *Ratificatio non præsumitur, nisi ex verbis, vel factis necessariò inferatur.*

32 *Eamque excludunt coactio, & aversio multis actibus tentata.*

33 *Item protestationes contrariæ tum in actu Professionis, quam ratificationis.*

34 *Ex quibus simul junctis patet inexcusabilis invaliditas ejusdem.*

35 *Ex verbis ante actum prolatis præsumitur actus subsecutus.*

36 *Inverisimilitudo admittitur pro metu præsumendo.*

37 *Ex lacrymis, querelis, & suspiriis metus, & animus satis dignoscitur.*

38 *Metus minor sufficit in Muliere ad annullandam Professionem.*

39 *Reclamans contra Professionem non potest post querelam ex libito ad Professionem redire absque novo Monasterii consensu.*

40 *Ratificatio tacita, expressa, & publica diverso jure censetur.*

41 *In expressa ratificatione Professionis eædem solemnitates requiruntur, quæ in actus celebratione.*

42 *Professio est contractus ultro citroque obligatorius inter Novitiam, & Monasterium.*

43 *Ideo in ea requiritur utriusque consensus, & etiam de Jure*, & num.44.

45 *Et talis consensus simultaneè in eodem actu intervenire debet*, & num. 46.

47 *Consensus Monasterii deficientia ex quibus desumatur.*

48 *Quod ab initio est nullum, ratificari non potest.*

49 *Professio nova emissa dicitur ex verbis*: Licèt Monialis non sim, Monialis esse volo.

50 *Professio nova fieri debet coram Superiore solemniter.*

51 *Etiamsi prima nulla ratificetur.*

52 *Data scientia Monasterii quoad Professionis nullitatem, novus consensus ad illius ratificationem est necessarius.*

53 *Pa-*

55 *Papa supplet consensum Religionis, deficiente tamen Monasterii contradictione pro Religionis pace, & ad evitandas lites, et scandala*, & n.54.
Limita lite cœpta, & prosecuta n.55.
56 *Religionem obligare ad consentiendum, dum hæc non potest obligare Religiosum ad persistendum, species iniquitatis est.*
57 *Suppletio locum habet, quando nulliter Professus ratificat, et Religio primum consensum non revocat.*
58 *Moniales an capitulariter debeant habere scientiam metus Novitiæ de tempore Professionis.*
59 *Scientia Abbatissæ secundum aliquos DD. sufficiens reputatur.*
60 *Et secundum alios DD. sufficit, quod scientia postea capitulariter superveniat.*
61 *Scientia superveniens animi mutationem operatur.*
62 *Scientia non est necessaria ubi adest consuetudo, quod consensus Monasterii non requiratur ad Professionem admittendam, & etiam stante præscriptione*, & num. 64.
63 *Abbatissa non habet potestatem recipiendi Professionem sine consensu Monialium capitulariter præstito.*
65 *Plus creditur duobus testibus de metu deponentibus, quam de spontanea voluntate.*
66 *Donatarius non est idoneus testis pro Donante.*
67 *Testes de universitate sunt idonei, quando victoria Causæ non redundat in singulorum utilitatem.*
68 *Maximè in universitate Ecclesiastica:*
69 *Donatio non probatur facta Monasterio per solam schedulam Monialis asserentis se esse Scribam Monasterii.*
70 *Tabellionatus officium est munus virile, & Mulieribus maximè Monialibus, & aliis Religiosis est interdictum*, & n.71.
72 *Quod indubiè procedit apud Hispanos vigore suorum legum.*
73 *Et in ipsa Lusitania.*
74 *Amicitia non obest testibus.*
75 *Amicitiæ circumstantia est probanda, & quare?*
76 *Si aliqui testes exceptionem patiuntur, supplentur numero.*
77 *Ad probandam coactionem, & metum testes singulares sufficiunt*
78 *Testes deponentes de actu perceptibili sensu præferuntur aliis deponentibus non de perceptibili.*
79 *Testes suspecti repellantur.*
80 *Maximè probato contrario non solum ex testibus, sed indiciis, præsumptionibus, & conjecturis.*
81 *Ad faciendam concludentem probationem omnia simul junguntur.*
82 *Concludentem probationem publica vox, & fama facit.*
83 *Professio ut substineatur in dubio est interpretandum.*
84 *Quod procedit quando dubitatur de validitate ex alio capite, quam ex defectu consensus, quo stante semper facienda est interpretatio pro libertate personæ.*
85 *Deus voluntarios sibi eligit milites, coacta vero servitia contemnit.*

DECIS. XXXIX.

Alias decis. 9. inter impress. cor. eod.

Ad Vot. VII. sub num. 64.



OB varias probationes hinc indè factas varia coram Reverendissimo D. meo Carillo Præside Vallisoletano emanarunt Decisiones, quibus omnibus diligenter perpensis, hodiè Domini censuerunt recedendum a Decisis sub die 11. Maii 1643., & inhærentes Decisionibus editis sub diebus 30. Januarii 1640., & 16. Junii 1642. Professionem esse nullam, & invalidam confirmarunt, sivè attendenda sit ipsa expressa Professio, sivè tacita ratificatio, sivè etiam Ratificatio expressa.

Quod enim attinet ad Professionem expressè emissam a D. Francisca Coronella in Monasterio S. Dionisii de Odivellas de anno 1605. de istius inva-

invaliditate non fuit dubitatum & cla-
ra resultat ex duductis in dd. duabus
Decisionibus de annis 1640. & 1642. ;
Quarum fundamenta inconcussa agno-
scentes Informantes pro Dominis de
Gomez Fratribus ejusdem Franciscæ ,
non impugnabant , sed punctum diffi-
1 cultatis reducebant ad ratificationem ,
cujus natura est validare actum nullum
usque ab initio virtute retrotractionis
Cap. Ratihabitionem 10. *de reg. jur.*
in 6. l. fin. de bon. poss. l. Bonorum 24.
ff. rem. rat. hab. l. fin. Cod. ad Maced.
l. Donationis 25. *Cod. de Donat.* & ibi
communiter scribentes.

2 Quoad tacitam ratificationem di-
xerunt Domini non intrare; Nam
quicquid sit an cursu longissimi tempo-
ris , quo Francisca in Monasterio per-
mansit deferendo habitum Monialis ,
& faciendo alios actus exadverso pon-
deratos pro inducenda hac tacita ra-
tificatione, sit sufficiens de sui natura,
omnes unica responsione usi fuerunt
posse evitari , nempè quia ab initio
Francisca coacta fuit ingredi Monaste-
rium metu Patris sibi incusso , cum mi-
3 nis mortis , ut directè deponunt plu-
res testes de visu , & auditu proprio
deponentes , qui metus reddit profes-
sionem nullam *Abb. in Cap. Cum vi-*
*sum num.*8. *de Regul.* , *Felin. in Cap.*
*Causam Matrimonii num.*5. *de Off. de-*
leg. , *Sanch. de Matrim. lib.*4. *disp.*6.
*num.*36. *& in præcept. Decalog. lib.*4.
*cap.*3. *num.*26. *Rota dec.* 779. *par.*3.
rec. cum aliis vulgatis .

4 Et operatur , quod omnes actus
subsequenter gesti , tamquam prove-
nientes ab initio meticuloso, laborent
eodem vitio , & nullius sint roboris
ad inducendam tacitam ratificationem
Professionis signanter dum adhuc vive-
bat Pater *DD. in l.* 2. *Cod. Quod met.*
caus. Bart. in l. penult. ff. de condit. ob
turp. caus. Covar. in epitom. 4. *decret.*
*par.*2. *cap.*3. §.5. *n.*1. *Rolan. cons.*2.
*num.*86. *lib.*1. *Paris. cons.*60. *n.*34.
lib. 4. *Rota dec.*771. *num.*8. *&* 9.
& dec. 851. *num.*1. *decis.*863. *num.*4.
coram Card. Seraphin. & declaravit
5 *Sac. Congregat. Emorum DD. Cardi-*
nalium Sacri Concilii Tridentini In-
6 *terpretum* 13. *Septembris* 1629. Quæ
censuit Matrimonium contractum a
Filia per metum a Matre illatum esse
invalidum, etiamsi Mulier metum passa
per plures annos post mortem Matris
permanserit cum Marito , & Filios
procreaverit , ut prosequitur *Barbos.*
in Collect. Bull. in verb. Matrimonium
pag. mihi 445.

Et probato metu , certum est , 7
quod omnes conjecturæ deductæ ad
ostendendam liberam voluntatem eva-
nescunt *Alex. consil.* 99. *num.* 10.
*lib.*3. *Nicol. Everad. cons.*4. *num.* 2.
inter Matrimonialia Ziletti Gamma
decis. Lusit. 346. *num.* 3. *Gregor. XV.* 8
decis. 326. *n.* 45. *Seraph. d. decis.*851.
num. 6. *Rot. decis.* 216. *n.* 1. *part.* 2.
divers. Immo probato metu , impossi-
bile esse contrarium probari inquit
Alex. d. cons. 99. *num.* 8. *&* 9. *lib.*3.

Nec etiam dicatur quod coa- 9
cta sit voluntas . Quia non est ta-
men libera prorsus , ac simplex vo-
luntas , qualis in professione requiri- 10
tur , *Cap. Cum locum.* 14. *de Spons.*
Butr. in Cap. Cum virum sub num. 6.
in fin. vers. Sed ubi de Regul. & ita de-
clarat *Dec. in l. Velle non creditur sub*
num. 3. *vers. Non obstat ff. de reg. jur.*
ibique *Cagn. sub num.*5. *vers. Ex qui-*
bus infertur, & explicat *Rota dec.*643.
*n.*28. *vers. Secus tamen par.*1. *recent.*

Quo vero ad expressam ratifica-
tionem , in qua fiebat majus funda-
mentum , deductam ex eo , quod 11
Francisca de anno 1638. mediante pu-
blico instrumento cessit liti , protulit
illa verba : Quamvis Monialis non es-
set hodiè Monialis esse volebat : Do-
mini pariter dixerunt non intrare tam-
quam invalidam .

Primo , quia Francisca , ut ipsa
pars adversa confitetur , & allegat in
suo facto , illam fecit , reservato sibi
illæso jure successionis hæreditati
Odnardi Fratris isto medio tempore
defuncto, quæ reservatio est contra sub- 12
stantiam , & validitatem Professionis;
ut cavetur *in Sac. Concil. Trident. sess.*
25. *cap.* 2. *& cap.* 20. *vers. Insuper*
de convers. Conjug. Gloss. in Cap. fin.
de condit. app. & in Cap. 1. *Qui Cle-*
ric. vel. voven. Rodriq. quæst. regul.
tom. 3. *quæst.* 17. *art.* 6. *Cevall. com.*
qu. 85. *num.* 2. *Barth. a S. Fausto in*
Thesaur. Relig. lib. 8. *qu.* 21. *Less. de*
just.

just. & jur. lib. 2. cap. 41. num. 63. Bonacc. de Clausur. puncto 10. diff. 2. §. 1. num. 13. Tambur. de jure Abatiss.tom.3. disp.6. quæst. 16. Barbosa de jure Eccles. lib. 1. cap. 42. n. 150.

Secundo quia Francisca motu reverentiali aliorum Fratrum fuit coacta
13 ad illum actum agendum, junctis minis de subtractione alimentorum, qui metus non minor profecto est, quam metus amissionis bonorum, vel majoris partis eorum, quem ad irritandam professionem sufficere tenent *Sanchez de Matrim. lib. 4. disp. 5. num. 25. Pont. d. lib. 4. cap. 4. num. 9. Hurtad. disp. 6. diff. 1. num. 2. Borbon. cap. 2. quæst. 13. Tiraq. de nobil. cap. 31. num.369.* cum pluribus per eos citatis, *idem Sanch. de Matrim. lib. 4. disp.5. num. 4. & in præcept. Decalog. lib. 4.*
14 *cap. 13. num. 8.* Præsertim in Muliere multo ære alieno gravata, a quo sublevari promittebatur *Pont. d. cap. 4. num 10. Jas. in l. Titia num. 10. vers. Secundo notabiliter de verb. obligat. Rota* apud *Farinacc. lib.2. cons. crim. tom.2. dec. 242. num. 13. & in d. decis.326. n.2. coram Papa Gregor. XV.*

15 Tertio, quia fuit etiam impulsa ex minis protrahendæ, & perpetuandæ litis, ut probant testes ad *text. in l.Per mulierem 22.ff.Quod metus caus.* cujus litis ærumnas satis cognoverat Francisca, quæ plurium annorum curriculo Fratrum potentia impedita, nec latum quidem unguem in lite progredi valuit. Imò iidem Fratres adversarii non abstinuerunt etiam Rotales expeditiones, ac literas Apostolicas violenta manu abripere, earumque executionem omni conatu possibili impedire: Undè postmodum coacti fuerunt absolutionem a censuris petere, & refusis expensis, a Rota fuerunt affecuti, ut videre est *in Decisionibus coram Rmo D. meo Carillo desuper emanatis sub die 16. Novembris 1635. & 27. Martii 1637.* At litis, & æris alie-
16 ni, quo gravata erat Francisca, quanta sit miseria docuit tertium illud præceptum in Templo Delphico aureis literis consecratum = *Æris alieni, atque litis miseriam fuc effugias* =, & facit *Martial. lib.7. Epigr.4.*

Quarto concurrunt promissiones liberandi eam ab ære alieno, persuasiones, & preces importunæ frequentes, & molestiæ factæ à Fratribus de Gomez mediantibus multis personis, 17
quæ per se solæ essent forsan sufficientes ad vitiandam professionem ex relatis per *Altograd. cons. 50. num.27. lib. 1. Petr. Pech. de testam. conjug. lib. 1. cap. 3. num.4. & seq. Valent. cons.29. num.31. Afflict. dec.69. n.4.* & ibi *Ursill.* latè *Pont. dicto lib. 4. cap. 12. per tot. & cap. 5.* præcipuè *num. 17.* ubi multis Sacræ paginæ testimoniis, juribus, rationibus, & argumentis comprobat, & faciunt *text. in l. 3. ff. de lib. exhib. l. unica Cod. de Virg.* ubi *Bart. num.20. Extravag. Execrabilis*, ubi *Glossa in verbo Extorsisse de præb.* cum aliis per *Dian. par.3. tract.5. Miscell. resol.20. vers. Notandum, et Grat. discept.27. n.63. et 65.* ubi quod importunitas, & metus equiparantur *Castill.contr.lib.3.cap.1. n.154.Gratian.discept.for.cap.659.n.9. Rota d. dec.326.n.13.coram Greg. XV.*

Quinto ponderabat unus ex Dominis Franciscam fuisse deceptam, etiam dolo, attento lucro Fratribus ex hac Professione proveniente, quod 18
ubi intervenit, semper & dolus præsumitur *Mieres de Majorat.par.1.q.25. a num.1.* & clarè deducitur ex supradictis promissionibus, persuasionibus, 19
& minis, & eodem modo, quo metus invalidat contractum, ut benè *Pont. d. lib.4. cap. 25. num.5.* sive sit 20
in ipso actu, sive in ratificatione *Gallerat. de renunciat. lib.3. cap.11.n.3.* & certissima est conclusio, quod dolus dans causam contractui bonæ fidei, 21
invalidum, & nullum eum reddit *l. Et eleganter ff. de dol. mal. l.3. §. Societas ff. Pro soc. l. Qui Tutoribus 9. §.2.ff.deTransact.7.l.Juris gentium, §. Ait Prætor ff. de pact. l. fin. ff. de constit.pecun. l. In causa 16. §. 1. ff. de Min. l.1. Cod. de rescind. vendit. Cujac. ad lib. 32. Paul. ad edictum in d. l. 3. §. Societas Donell. lib. 12. comment. cap. 7.* ubi *Osual. lit. D. Idem Donell. in l. Si quis 36. num.5. de oblig. Pichard. instit.de except.in princ. num.18. Henric. Bocerus ad l.Contractus 23. cap.2. num.13. vers. Hanc destinationem,*

Sexto accedit error Franciscæ,
quæ credit per illum actum liberatio-
nem ab ære alieno, & alimenta con-
22 fecuturam, & e contra finem litis, si
actum non fecisset, nunquam visuram,
qui error licet circa qualitates extrin-
secas, tamen quando in eas fertur ani-
mus eodem actu, & in eis innititur
expressè, invalidare professionem
tradit *Basil. Pont. d. cap.* 21. ubi plu-
23 res cumulat, & adimit consensum
Contrahentis ab actu, text. est expres-
sus in *l. Sed hoc ita* 20. ubi *gloss.* citat
concord. *ff. de aqu. pluv. arcend. l. Er-
ror* 8. *ff. de Jur. & fact. ignor. l. Si
per errorem* 15. *ff. de Jurisd. omn. Ju-
dic. Rot. decis.* 19. *n.* 10. *cor. bo. mem.
Buratt.*

24 Septimo ponderatum etiam fuit,
quod ille actus facilius periclitatur
tamquam gestus a Muliere animi ma-
xima perturbatione commota, & ferè
desperata (ut dicunt testes) & sic
abfuit plena libertas, & prudens de-
liberatio ad tam serium actum neces-
saria argumento *text. in Cap. Divor-
tium* 21. *de pœnit. quæst.* 1. *Cap. Siquis
iratus* 15. *caus.* 2. *quæst.* 3. *l.* 3. *ff. de
divort. l. Locatio* 9. *ff. de public. &
vectigal. l.* 2. *Cod. Ad l. Jul. Majest.
l. Quidquid in calore* 49. *ff. de reg.
Jur.* ubi *Dec. num.* 3., & faciunt ver-
sus Homeri adducti in *Cap. Aut fa-
cta* 19. *de pœnit. distinct.* 1. = ibi =

*Ira percitus Amphidamantis
Cum gnatum imprudens, simul,
invitusque peremi*

25 Cum ergo Francisca perturbata, &
quasi desperata accesserit ad illum
actum, eoque vix perfecto pœnitue-
rit, & ad præcedentes lacrymas, &
ejulatus redierit, ac violentiam, &
defectum voluntatis patefecerit (ut
probant testes) satis inducitur ad in-
validitatem ex supra allegatis.

Liquet enim, quod non divini
Spiritus afflatu ad dictam ratificatio-
nem prosiliit, nam bonus Spiritus non
26 tam cito pertransit, & ex illa subi-
ta subsequuta conquestione repugnan-
27 tia voluntatis arguitur *Fab. Turret.
cons.* 28. *n.* 12. *Paris. cons.* 60. *a n.* 37.
28 *ad* 41. *lib.* 4. *Rot. dec.* 643. *num.* 16.
par. 1. *rec.* Ponderando etiam, quod
statim dixit se nescire quid fecerat, &
congruit sententia *Eccles. cap.* 5. *&
verba D. Pauli relata in cap. fin. caus.*
23. *quæst.* 6. *& Sanch. d. lib.* 4. *cap.* 5.
num. 9. & congruit *text. in l. Plerique*
33. *ff. de rit. nupt. l. Cum his status*
32. *§. Quod si divortium* 12. *ff. de do-
nat. inter vir. uxor. l. Quod si divor-
tium* 32. *ff. de Jur. Dot. DD. citati a
Sanch. lib.* 1. *de Matrim. disp.* 8. *n.* 7.

Octavo considerabant Domini,
quod illa verba: *Quamvis Monialis
non esset, hodiè Monialis esse volebat*;
nullo modo inducunt professionem, nec
ratificationem, sed solam intentionem
ratificandi in posterum, quia verbum; 29
volo: injunctum alteri verbo infiniti-
vi temporis non importat dispositio-
nem de præsenti, sed voluntatem pro-
pensam id agendi in futurum *gloss. in
l. Servi electiones in verb. Possumus
ff. de leg.* 1. *Molin. de rit. nupt. lib.* 1.
cap. 20. *num.* 34. *& seq. Prat. Lexic.
jur. in verb. volo. Barbosa Dict.* 436.
num. 14. & faciunt text. in *l. Clodius
Clodianus* 97. *ff. de acq. hæred. & in
l. fin. ff. Qui testam. facere poss. Pi-
chard. Instit. quib. mod. testam. infirm.
§.* 1. *num.* 35. *Castr. cons.* 137. incipien.
In causa lib. 2. *Mieres. de major. par.* 1.
quæst. 48. *num.* 266. *Peregr. in tract. de
var. tit. de pact. num.* 5. *&* 6. *Rota
decis.* 221. *num.* 7. *& seqq. par.* 1. *di-
vers. Seraph. dec.* 1079. *num.* 3. *vers.
Secundo & Buratt. dec.* 196. *num.* 5.
vers. Prout si dixisset.

Nono animadvertebant iidem Do-
mini, quod illa verba non fuerunt a
Francisca prolata in actu determinato
ad emittendam professionem, seu ra- 30
tificationem, sed ad alium finem, nem-
pè ad desistendum a lite, ideo non
possunt deservire ad inducendam di-
spositionem *text. in l. Divus* 25. *ff.
de milit. test.* & ibi *Gotifred. lit. K.
l. Tale pactum* 41., & ibi *Bart. n.* 3.,
& Castr. num. 8. *ff. de pact. l. Si quid
venditor* 18. *ff. de ædil. edict. l. Arria-
nus* 46. *ff. de act., & oblig. & l. Quid
quid adstringendæ* 99. = ibi = *Quid-
quid adstringendæ obligationis est id,
nisi palam verbis exprimitur, omis-
sum intelligendum est ff. de verb.
oblig.*, & ibidem scribentes.

Et ratio est, quia ratificatio non 31
præsumitur, nisi ex verbis, vel factis
ne-

necessariò inferatur *Bart. & Castr. in l. Paulus respondit alias l. Non tantum 5. ff. rem. rat. hab. Aret. conf.* 128. *n.* 9. *Hieron. Leo dec. Valent.* 75. *num.* 7. Hic autem concurrit coactio, & aversio Franciscæ tot annis tentata *Rot. d.*
32 *decis.* 326. *num.* 7. *coram Greg.* repetita apud *Farinacc. lib.* 2. *crim. dec.* 260. *num.* 3. *& decis.* 779. *num* 1. *par.* 3. *recen. Hyppol. Rimin. cons.* 67. *num.* 24. *inter Matrim. Zilet.* & concurrunt etiam protestationes tam in actu professionis, quam ratificationis *ad text.*
33 *in l.* 2. *Cod. de his qui prop. met. jud. non appell. & l. Qui in aliena* 6. §. *Celsus ff. de acq. hæred. Bart. in l. Omnes populi num.* 31. *ff. de justit. & jur.* Aliaque tot præcedentia, & subsequentia signa aversionis, quibus omnibus simul junctis, procul dubio inexcusabilis patet invaliditas professionis,
34 seu ratificationis Franciscæ ex supra allegatis, quibus addi possunt *Sanch. lib.* 2. *disp.* 45. *num.* 22. *Prat. discept. cap.* 18. *a num.* 43. *ad* 48.

Ac etiam verba, quæ ante actum
35 protulit, ex quibus benè præsumitur actus subsequutus *Gloss. & Bartol. in l. Apud Celsum num.* 4. *ff. de dol. except.* quam *Angel.* dicit esse meliorem de mundo, & alios allegat.

Decimo addebat unus ex Dominis non esse verisimile, quod Francisca, quæ per spatium 24., & ultra annorum ante dictum actum se monialem esse constantissimè recusaverat, & ob id maximas ærumnas, lites, dispendia forti, virilique animo perpessa fuerat, ex abrupto, nulla extrinseca compellente causa fortissima, mu-
36 tata repentè voluntate monialitatem sequi decrevisset, quam inverisimilitudinem etiam pro metu præsumendo alias admisit *Rota coram Greg. XV. dicta dec.* 326. *num.* 6. *vers. Et multum in eo valet argumentum, in dec.* 943. *num.* 19. *in fin. vers. Ad metus autem probationem par.* 1. *rec.*, *& in dec.* 86. *num.* 16. *& seq. coram bo. me. Buratto.*

Et inverisimilitudinem augeri ex lacrymis, querelis, & suspiriis a
37 Francisca emissis, ex quibus metum, & animum satis dignosci tradunt *Menoch. de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 4. *num.* 10. *& seqq. Alciat. cons.* 55. *n.* 8. *lib.* 9. *Alex. d. cons.* 99. *num.* 11. *vers. Secunda est præsumptio lib.* 3. *Cravett. cons.* 461. *num.* 12. *Noguerol. alleg.* 29. *num.* 67. *Rota in sæpius allegata decis.* 326. *num.* 41. *coram Greg.*, 852. *n.* 7. *coram Seraph. &* 779. *n.* 5. *par.* 3. *rec.*

Quæ omnia facilius procedunt in Muliere, in qua minor metus sufficit 38 ad irritandam professionem *Gloss. in Cap. Cum locum* 14. *in verb. Metus de Spons. Valenz. cons.* 48. *num.* 46. *Suarez de Relig. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* . *n.* 21. *Calderin. cons.* 1. *vers. Tertio quid sub tit. Quod met. caus. Ambr. cons.* 24. *num.* 7. *Abb. cons.* 4. *num* 5. *lib.* 1. & fuit dictum *In Tullen. Nullitatis professionis* 13. *Maii* 1654. *cor. bon. mem. Merlino*, & conferunt congesti in Decisione hujus Causæ *sub die* 17. *Maii* 1641. *post princip.*

Ulterius etiamsi actus exadverso ponderati possent importare ratificationem ex parte Monialis, adhuc tamen ista non sufficeret cessante con- 39 sensu Monasterii: Non enim est integrum reclamanti post querelam quandocumque voluerit ad professionem redire absque nova voluntate, & consensu Monasterii vulgata regula *l. Quæsitum* 4. *ff. de acquir. possess. l. Dispensatorem* 62. *in fi. ff. de solut. Cap. Ex eo* 38. *de reg. Jur. in* 6. ubi *Barbos.* plures cumulat *l. Si non erit* §. *fi. ff. de Jurejur.*

Doctores autem per Informantes pro Gomez allegati loquuntur in rati- 40 ficatione tacita, non autem in expressa, aut publica, quæ diverso jure censenda est *l. Si ita legatum* 65. §. 1. *ff. de leg.* 1. *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *d. disput.* 37. *num.* 57. *&* 65. *Ro.* post *Tamburin. de Jur. Abbatiss. dec.* 3. *n.* 5. *&* 8. *& in Dec. hujus Causæ sub die* 30. *Januar.* 1640. Imo in expressa ratificatione professionis exiguntur eædem solemnitates, quæ in actus celebratione, ut tradunt *Aret. cons.* 128. 41 *num.* 5. *vers. Sed quando lex Surd. cons.* 3. *num.* 10. *& dec.* 159. *num.* 21. *vers. Non adversatur, Rmus Urgellen. dec.* 238. *num.* 25. *& seqq.* & faciunt text. in *l. Si ut proponis* 7. *Cod. de Nupt. & in l. Si Nuptiæ* 14. *ff. de rit. nupt. Ricc. Cur. Archiep. part.* 4. *decis.* 82. *per tot.* & præcipuè *num.* 9.

Rot. dec. 395. num. 11. & 17. coram Gregor. XV. , & decis. 204. num. 2. par. 4. recen. & dec. 1166. num. 3. vers. Non obstat coram Seraphin.

Professio siquidem est contractus ultrò, citròque obligatoriùs, quo No-
42 vitia Deo, & Monasterio, Monasterium autem Novitiæ ad eam tenendam, & alendam adstringitur, ut aliis relatis probat *Tamburin. de Jur. Abba-*
43 *tiss. disput. 6. in fin.* Ideo necesse est, quod utriusque Contrahentium consensus concurrat, sicut & in cæteris contractibus correspectivis latè *Pont. de Matr. lib. 4. cap. 24. & 25. per tot.*

Et hoc etiam est indubitatum in Jure, ut in *l. Omnibus 56. ff. de act.*
44 *& obligat. l. 1. §. Conventionis 3. ff. de pact. l. Si voluntate 8. Cod. de rescind. vendit.* Ac insuper quod simultaneè in
45 eodem actu interveniat, quia consensus semper præsumitur præstitus sub
46 conditione, si alter statim consentiat *l. Duos reos 6. §. fin. & l. Si ex duobus 12. ff. de duob. reis l. Continuis 137. in princ. ff. de verb. obligat. l. 1. §. Item si ita ff. Ad l. falcid. Faber in l. Non erit 5. §. Si neque juratum ff. de Jurejurand.*

47 Deficientia vero consensus Monasterii clarè desumitur, tùm ex revocatione Mandati, quod dederat ad hanc litem, tùm etiam ex Epistola san. mem. Urbani VIII. transmissa, & a septuaginta sex Monialibus subscripta, quam pro vehementiæ adminiculo admittit etiam *Decisio sub die 16. Junii 1642. cor. Rmo D. meo Carillo*; tùm demum ex pluribus testibus deponentibus Franciscam non fuisse habitam pro Moniali, & vestibus sæcularibus, ac sericis plerumque indutam incessisse, & ita ad nonnullos actus Capitulares admissam scientibus, & patientibus omnibus Monialibus: Ac etiam ex aliis testibus exadverso examinatis dicentibus a multis annis ante ratificationem sic se Franciscam gessisse in Monasterio, & vitam sæcularem ab omnibus actibus Professarum seclusam semper duxisse tam ante, quam post professionem, & ratificationem, quo majus argumentum non acceptationis, & dissensus dari non potest.

Et quia illa *Decisio 16. Junii* 48
1642. firmat non potuisse ratificari quod fuerat ab initio nullum, Informantes pro Gomez contendebant, 49
quod Francisca noluerit ratificare professionem, prout ex tunc, sed novam professionem emittere, dum dixit, quod licet Monialis non erat, hodie Monialis esse volebat; Hoc tamen non tollit, sed potius auget difficultatem, quia si ille fuit novus actus, non autem ratificatio præcedentis, magis patens est invaliditas ex eo, quia tam- 50
quam nova professio emitti debuit in manibus Prælati potestatem habentis, ut tenet *Hostiens. in Cap. Consuluit num. 1. Qui Cleric. vel voven. Azzor. lib. 12. Instit. Moral. cap. 5. par. 6. Barbos. in Cap. Porrectum, & in Cap. Cum visum de Regular. Tamburin. de Jur. Abbatiss. disput. 6. quæst. 5. per tot. Novar. in Lucerna regul. in verb. Professio num. 18. Lezzan. in eod. verb. Professio num. 13. & cap. 1. num. 2. & cap. 16. num. 66. Sanch. sup. præcept. Decalog. lib. 5. cap. 4. num. 64.*

Præsertim cum nullitas istius Professionis ab initio fuerit publica, ut firmatur in præcedentibus Decisionibus, quo casu nemo in quæstionem 51
revocat, quin sit ratificanda coram Superiore solemniter *Bord. cap. 6. q. 14.* & in Matrimonio dicit *Sanchez disp. 37. n. 48. Hurtad. de Matrim. disp. 33. diff. 11. n. 11.* & alii per eos cumulati.

Propterea dicebant Domini, quod non est opus aggredi disputationem; An Papa tamquam primus, & supremus Prælatus omnium Religionum suppleat defectum consensus Religionis, & an ista suppletio locum habeat Religione sciente, vel potius ea ignorante nullitatem, super quibus disputationibus adest controversia inter Doctores; Quia cum in *Decisione diei 17. Maii 1641.* Rota firmaverit, quod da- 52
ta scientia Monasterii quoad nullitatem Professionis, necessarius sit novus consensus ad illius ratificationem, & scientia, ac etiam contradictio ex supradictis sit patens, res sit in tuto, & nullitas professionis remanet inevitabilis.

Alias enim inferretur magnum 53
præjudicium Monasterio, si post reclama-

clamationem Franciscæ cogeretur ei consentire, quod Papa non intendit, sed illum consensum supplet, deficiente contradictione Monasterii, ad hoc, ut consulatur tranquillitati, & paci tam Religionis, quam Profiten-
54 tis *Sanch. d. lib. 7. disp.* 37. *num.* 64. *ad med.* & ad evitandas lites, & scandala *Bonaccin. tract. de clausur. q.* 2.
55 *punct.* 10. §. 5. *diff.* 4. *num.* 3. *&* 4. *vers. Ego vero*, quod ideo non procedit lite jam cœpta, & tamdiù profecuta, & esset potius species iniquita-
56 tis obligare Religionem ad consentiendum, dum hæc non posset obligare Religiosum ad persistendum, & suppletio haberet locum quando nul-
57 liter Professus ratificat, & Religio non revocat primum consensum *Sanch. lib.* 2. *de Matrim. disp.* 32. *num.* 9. *vers. Confirmatur Bord. cap.* 7. *quæst.* 11. *vers. fin.* cum aliis per *Lezan. cap.* 2. *n.* 17.
58 Nec visum fuit aliquid obstare, quod Moniales de tempore professionis non habuerint capitulariter scientiam metus. Nam quidquid sit de hac conclusione, quam hodie DD. noluerunt firmare, & unus dicebat suffice-
59 re, quod hanc scientiam habuerit Abbatissa, quæ nomine Conventus recipiebat professionem argumen. *text. in l. Hæres* 43. §. *fin. ff. de Usucap. l. Cum mancipium* 51. §. 1. *ff. de Ædilit. Edict.*, ubi *Bartol. & gloss. Cujac. lib.* 54. *resp. Pauli ad l.* 2. §. *Census eum seqq.*, *ff. pro empt. & tract.* 8. *ad Affric. d. l.* 51. *& lib.* 2. *quæst. Papin. in dicta l. Hæres* §. 1.
60 Deindè sufficere licebat, quod postea ista scientia capitulariter supervenerit, ut ex tot actibus supradictis, & citatione ad litem datione mandati, & revocatione postea subsecuta (quæ omnia capitulariter fiunt), & talis
61 superveniens scientia operatur animi mutationem, *text. in l. Ejus, qui in Provincia* 41. *circa fin.* = ibi = *Utique si sciverint sibi Cohæredem datum, quia tunc non possunt videri bonæ fidei possessores esse, qui nec animum possidendi haberent* = juncta *l. Item veniunt* 20. §. *petitam* 11. *l. Sed etsi* 25. §. *Si ante litem* 7. *ff. de petend. hæredit. l. Certum* 22. *l. Si fundus* 17. *Cod. de rei vindic. l. Ait Prætor.* 10. §. *Si quæ* 3. *ff. Qui in fraud. Credit.* ubi ordinarii *Faber dd.* §§. 11. *&* 7. *Schifordeg. l.* 3. *tract.* 22. *qu.* 17. *col.* 3.

Et dato, quod illa scientia fuisset necessaria, non habere locum in hoc Monasterio dicebant DD., ubi adest consuetudo, quod Monasterii 62 consensus non requiratur ad professionem admittendam ex traditis *in d. Decis.* 24. *Febr.* 1644.

Quapropter illi de Gomez laborabant in probando consuetudinem illam non fuisse præscriptam, quamvis in Franciscæ professione talis non fuisset consensus capitulariter requisitus (quod nec illi negabant, & multis testibus probabatur) sed retorquetur, quia si illa consuetudo non fuit præscripta, Professio sustineri non potest tamquam recepta a non habente potestatem, quam Abbatissa non habet si- 63 ne consensu Monialium capitulariter præstito *Sanch. in præcept. Decalog. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 65. *&* 66. *Navorr. cons.* 9. *de regular. num.* 6. *Bonaccin. de clausur. quæst.* 2. *punct.* 10. *diffin* 2. *num.* 6. *Tamburin. de Jur. Abbatiss. disp.* 6. *quæst.* 5. *num.* 8. *Lezzan. quæst. regul. cap.* 10. *num.* 25. *& cap.* 18. *num.* 68. ubi alios citat plures *Barbos. in d. Cap. Porrectum* 13. *de regular. num.* 6. Si fuit præscripta, non erat 64 necessaria scientia Conventus capitulariter ex traditis in dd. Decisionibus:

Nec habitæ fuerunt alicujus ponderis exceptiones datæ contra testes in ultima remissoria examinatos pro Francisca, quia eadem, quæ isti probant, probantur etiam a testibus exadverso examinatis, & licet horum aliqui deponant de libera voluntate Franciscæ, non interest, cum non deponant de actu proximo ratificationi. Ultra quod plus creditur duobus testibus deponentibus de metu, quam mille de spontanea voluntate *Innoc.* 65 *in Cap. Super hoc num.* 2. *de renunc. Menoch. de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 126. *num.* 31. *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *disp.* 27. *num.* 1. *Seraphin. decis.* 851. *n.* 6. *& decis.* 863. *n.* 4. *Gregor. XV. sæpè allegat. decis.* 326. *num.* 46. ubi plures.

Minus obstat, quod testes sint 66 Moniales, & ideo repellantur ob quam-

quamdam donationem a Francisca fa-
67 ctam Monasterio. Quia etiam Testes de universitate sunt idonei, quando prout hic victoria Causæ non resultat in singulorum utilitatem *Joan. Andr. in Cap. Cum Nuntius de Test. Greg. Lopez in l. 18. cap. 6. par. 3. Farinacc. de test. quæst. 60. num. 450. , & seq.*
68 *Buratt. decis.* 564. Præsertim quando prout in isto casu universitas est Ecclesiastica *Cap. Insuper 6. de test. Farinacc. ubi supra num. 431. & 459.* ubi plures.

69 Ultra quod objecta donatio non probatur per solam schedulam cujus-
70 dam Monialis asserentis se esse Scribam Monasterii, quia Officium Tabellionatus est munus virile, & Mulieribus penitus interdictum, *l. Generalis 3. Cod. de Tabul. lib. 10.* Præser-
71 tim Monialibus, aliisque omnibus Religiosis, *Cap. Sicut 8. Ne Cleric. vel Monach.*,& ibi *gloss. in verbo clericis*,
72 & apud Hispanos habemus *Text. in l. 10. tit. 3. lib. 1. recopil.* ubi *Azeved.*
73 *& Anaja*, & in ipsa Lusitania probat *Barbosa in remiss. ad leg. Lusit. tit. 19. par. 3.* , ubi *Greg.* & facit *text. in l. Universos Cod. de Decurion. lib. 10.* & ibi *Doctores*. Nec apparet qua auctoritate extraxerit.

Nec refert, quod aliquæ ex dd. Monialibus, quæ fuerunt testes, sint
74 amicitia junctæ cum eadem Francisca. Quia hoc non probatur, & probatum non obesset ex traditis a *Farinacc. de test. quæst. 55. a num. 233. usque ad fin. & seq.* cum aliis per *Mascard. de*
75 *prob. concl. 85. per tot.*, ubi quod est probanda circumstantia amicitiæ, & quod non quælibet amicitia repellit a testimonio.

76 Præterquam quod etiam si aliquæ paterentur hanc exceptionem, satis suppleretur numero *Rota coram Buratt. decis. 79. num. 10. & dec. 249. num. 2. par. 2. criminal. consil. Farinacc.* Præsertim ad probandam coa-
77 ctionem, & metum, ad quæ sufficerent etiam Testes singulares *Rota coram Greg. XV. decis. 326. num. 48. vers. Prout etiam, & decis. 251. num. 7. vers. Sed admittantur*; Quinimo istæ Moniales præferuntur aliis testibus
78 per Gomez examinatis, quia illæ deponunt de actu perceptibili sensu, isti vero de non perceptibili, qui includitur corde *Innoc. in Cap. 1. sub num. 80. vers. Imo de his, quæ vi, & met. caus. fiunt Rebuff. cons. 68. col. 10. vers. ult. Greg. XV. in sæpè alleg. decis. 426. num. 46. vers. Sed quicquid sit* cum aliis ibidem allegatis:

Testes insuper per Gomez dedu- 79
cti non sunt sine suspicione attentis supradictis *Alex. d. cons. 99. num. 12.* 80
lib. 3. cum contrarium remaneat probatum non solum ex testibus, sed ex tot indiciis, præsumptionibus, & conjecturis *Hond. cons. 29. num. 21. lib. 1. Franc. a Ponte cons. 44. num. 17. Se-* 81
raph. d. decis. 771. num. 2. Quæ omnia simul juncta concludentem faciunt probationem *Franc. de Raven. cons. 64. num. 10. inter Matrimonialia*, & faciunt *Text. in l. 1. §. Idem divus ff. de test. Cap. Cum causam 13. de probat. Cap. Accedens il 2. Ut lit. non contest. Cap. Cum dilectus 3. de Succes. ab intest. Bald. in l. Spadonem, §. Qui plura ff. de excus. tut. Dec. cons. 577. n. 12. Molin. de primog. lib. 2. cap. 7. num. 35.* juncta præcipuè etiam publica voce, 82
& fama *Menoch. lib. 3. præsumpt. 126. num. 22. Cepoll. consil. civil. 2. num. 3. Rot. coram Seraph. d. decis. 859. n. 7. & decis. 205. num. 18. coram Buratto.*

Denique non obstat, quod in dubio facienda sit interpretatio, ut pro- 83
fessio sustineatur. Quia conclusio procedit, quando dubitatur de validitate ex alio capite, quam ex defectu consensus, quo stante defectu, semper est facienda interpretatio pro libertate personæ *Rebuff. d. cons. 68. col. ult. vers. Nec me conturbat*; Deus enim voluntarios sibi elegit Milites *Cap. Non est 10. caus. 15. quæst. 1.* coacta vero servitia contemnit *Cap. Cum vero in fin. caus. 23. quæst. 6.* cum similibus. 84

Et ita Causa pluries proposita, & utraque parte audita ab omnibus de ordine Sanctissimi diligenter discussa fuit decisum.

R.P.D.

R. P. D. FOSCARO

Hispalen. Matrimonii

Lunæ 21. Februar. 1718.

ARGUMENTUM

Matrimonium per Stuprantem in Carceribus coactè contractum est invalidum, sicut invalidum est, quando inter Contrahentes adest impedimentum Cognationis, licèt contractum fuerit addita conditione = *si Papa dispensaverit* =

SUMMARIUM.

1 F*Acti species*, & num. seqq.
4 *Ad constituendum, & substantiandum contractum Matrimonii liber utriusque Contrahentis consensus pernecesse requiritur.*
5 *In eo, qui contrahit Matrimonium per metum longioris carcerationis, utpotè cadentem in constantem Virum, non præsumitur liber consensus*, & num. 6. & 24.
7 *Metus justè incussus renuenti adimplere Sponsalia non reddit invalidum Matrimonium, & quare* num. seq.
Limita ut num. 11.
8 *Justè coactus vim, & coactionem non patitur.*
9 *Ex præordinatione, seù voluntatis dispositione ad contrahenda Sponsalia non inducitur consensus deliberatus necessarius ad perfectionem similis contractus.*
10 *Testes discordantes circa circumstantiam copulæ secutæ sub fide desponsandi non probant.*
12 *Cognatio inter Contrahentes nulla reddit Sponsalia, ex quibus nulla oritur obligatio, etiamsi sub fide futuri Conjugii copula secuta fuerit.*
13 *Cognatio spiritualis magis reverenda est, magisque impedit Matrimonium, quam Cognatio carnalis, & quare.*
14 *Licèt contractus Sponsalium fuerit celebratus sub conditione obtinendi dispensationem Apostolicam*, & num. 16. 17. 18. 19.
15 *Quæ perpetuo prohibita sunt, neque sub conditione in Contractum deduci volent.*
17 *Conditio pendens ab arbitrio Principis opposita in contractu dicitur impossibilis, haberi debet pro non adjecta, & Contractus non tenet.*
18 *Si Papa dispenset super impedimento Cognationis, rata non habet Sponsalia prius illicitè contracta.*
19 *Ita ut si in executione dispensationis Sponsi nolint consentire, vel de novo controhere, liberi remaneant*, & num. 21.
20 *Quod procedit etiamsi antea fuerit Matrimonium bona fide contractum, & deindè detegatur Impedimentum.*
22 *Qui consentit Matrimonio pro se eximendo ab horridi carceris mancipatione dicitur injustè coactus, nec liberum dedisse consensum.*
23 *Etiamsi consensum dederit post obtentam dispensationem Apostolicam super impedimento cognationis cum protestatione, quod id perogeret, ut longiorem vexationem effugeret.*
25 *Et quamvis è carceribus dimissus cœperit adimplementum salutaris pœnitentiæ ad normam Apostolicæ dispensationis.*
26 *Si id fecerit vigore fidejussionis, quam præstare coactus fuerit antequam a Carceribus liberaretur*
27 *Item si è Carceribus dimissus Sponsam potius lædere, quam in Uxorem recipere tentaverit.*
28 *Et subindè longè peregrinationi, multisque infortuniis, et expensis se subjecerit, ut invisum thalamum evitaret.*

DECIS. XL.

Ad Vot. VII. sub n.65. & Vot. IX. sub n.199.



AD reparandam pudicitiæ jacturam Maria de Rosa Vidua relicta quondam Philippi criminaliter in Judicium vocaverat apud Tribunal Archiepiscopale Hispalen. Didacum

1 cum Nunez pretendens se fuisse ab
eodem prævia fide Matrimonii ineun-
di compressam, redditamque fœcun-
dam, occasione, qua Didacus sub
pallio cognationis spiritualis inter
ipsum, & Mulierem jampridem con-
tractæ familiariter in ejus domo ver-
sabatur. Et in sequelam hujusmodi
querelæ, ac depositionis testium su-
per ejus verificatione adductorum Vi-
carius Hispalensis nedum processerat
ad carcerationem Didaci, & ad illum
per Sententiam condemnandum, ut
obtenta prius dispensatione Apostoli-
ca removente impedimentum cogna-
tionis spiritualis, teneretur Matrimo-
nium per verba de præsenti contrahe-
re cum Maria; Verum etiam per de-
cretum compulerat præfatum Dida-
cum ad renunciandum ulteriori ap-
pellationi interpositæ; Quapropter
pertæsus ipse triennalis mancipationis
in carceribus, neque a tot angustiis
se alio modo eximere posse conside-
rans, consensum accommodavit, ut
supplicaretur Sanctissimo Domino No-
stro pro dispensatione, qua obtenta
non renuit etiam in Sacello eorum-
dem Carcerum Matrimonio solemni-
ter conjungi cum Maria: Curavit au-
tem priusquam deveniret ad recensi-
tos actus plures protestationes juratas
emittere coram Notario, & Testibus,
quibus adversum, & penitus repu-
gnantem ejus animum diserte ex-
plicavit.

Quam profectò repugnantiam per
actus subsequentes clarius patefecit,
vix enim a Carceribus dimissus ejus
iram effudit contra Mariam, quam
2 pro Uxore agnoscere detrectabat, &
contra Mulieres, quæ in Testes in-
ductæ fuerant ab ipsa Maria, itaut,
denuò in Carceres conjectus, nonnisi
præstita cautione de illis non offen-
dendis, & de adimplendis oneribus a
Judice injunctis, libertatem vindicare
valuerit.

Ut igitur hujusmodi Judicium
evitaret, confugit tandem ad reme-
dium inhibitionis vigore appellationis
obtentæ a Sac. nostro Auditorio, ea-
que in partibus legitimè præsentata,
3 necnon facta Processus transportatio-
ne, cum proposuerim Ego in hodier-
na Audientia dubium = *An constet de
validitate Matrimonii* = negativum
accepi responsum.

Impulit Dominos in hanc Senten-
tiam stabile illud principium, quod ad
constituendum, & substantiandum con-
tractum Matrimonii perneeessè requi-
ritur consensus omnino liber utriusque 4
ex Contrahentibus, a quo fœdus for-
mam recipere docuit *D. Thomas* 4.
Sent. distinct. 36. quæst. 2. art. 1., &
sunt *Textus in Cap. Eum locum*, *&*
Cap. Consultation. de Sponsal. ibique
Fagnan. num. 3., *et seqq. Sanchez de
Matrim. lib. 4. disp. 6. num. 1. Paul-
moll. dec. 102. num. 1. et seqq.*, *Rot. in
Aprutina nullitatis Matrimonii* 30.
Aprilis 1708. §. *Et rotlo coram Emi-
nentissimo D. Card. Scotto*; Et idcir-
co cum Matrimonium, ad quod ineun-
dum inter Carceris squallores adactus
fuit Didacus, careat tali consensu cum
omnimoda libertate præstito, eo quia
potius censendum est ad illum se trahi
perpessum fuisse, ne marcesceret in
Carceribus, prout ipse iteratis vicibus
coram Notario, & Testibus protesta- 5
tus fuit, indè sequitur metum longio-
ris carcerationis tamquam cadentem
in constantem Virum *ad Text. in l. Qui
carcerem ff. de eo quod metus causa*,
*Sanchez de Matrim. lib. 4. disput. 5.
num. 9. Rot. dec. 190. num. 1. par. 1. rec.*,
et dec. 506. n. 5. coram Merlino, re-
movere consensum ab actu, quem
propterea citra Contrahentis volunta- 6
tem extortum præsumendum esse te-
nuit *Rot. in Neapolitana Domorum* 13.
Martii 1641. *coram bon. me. Verospio*
impressa penes *Scanarol. de Visitation.
Carcer. in appendic. §. 4. cap. 6. num. 5.
& 6.*, *& in dicta Aprutina nulli-
tatis Matrimonii* 30. *Aprilis* 1709.
§. *Hinc manifesta coram Emo Scotto*.

Quantumvis verò apud Doctores
transeat ferè sine controversia non
quemcumque metum, seu vim irritum
reddere Matrimonium, sed illum dum-
taxat hoc operari, qui injustè incussus
fuerit, nam si justè inferatur, puta
quia Judex facti, & Juris remediis
Partem invitam rationabiliter adigat 7
ad fidem servandam mediante contra-
ctu Matrimonii, tunc ille quidem va-
lidus dijudicandus erit ut per *Textum
in l.*

in l. Si Mulier in principio ff. de eo quod metur causa probant *Covar. 4. decret. 1. cap. 3 § 4. num. 12. Guttierez de Matrim. Cap. 76. num. 16. Sanchez eodem tractat. lib. 4. disp. 13. num. 3.* cum aliis relatis per *Moderum Romanum discept. Eccles. 52. num 4. & plurib. seqq.*; Neque tali casu censetur adempta ratio naturalis libertatis, & invo-
8 luntariè consensus extortus dici nequit, eò quia justè coactus vim, & coactionem non patitur, imo cum voluntariè causam dederit coactioni facit, ut consensus in sua causa, & origine sit voluntarius, quemadmodum docet *Lessius de Just. & Jur. lib. 2. cap. 17. num. 43. Sanchez dicto tractat. de Matrim. lib. 4. disp. 13. num. 8, et 9.*

Nihilominus in hipothesi non desunt plures circumstantiæ, ex quibus elici possit Matrimonium initum fuisse per Didacum ad id impellente metu injustè illato; Primo enim loco considerandum occurrit, quod ipse triennalis carcerationis molestiam subiverat mandante Judice, non alio planè fundamento, nisi quia Vidua querelam porrexerat, in qua figurabat se sub certa sponsione futurarum Nuptiarum a Didaco reportata eidem sui corporis copiam fecisse, ad quod comprobandum induxerat in testes quasdam sibi familiares Mulieres idipsum asserere conantes; Cum igitur rimatis dictarum Mulierum depositionibus compertum sit, vel ex illis nequaquam oriri verum Sponsalium contractum, sed solummodo quamdam præordinationem, seu voluntatis dispositionem ad illa contrahenda, ex qua profectò loquendi forma non inducitur consensus omnino deliberatus,
9 prout exigi solet ad perfectionem præfati contractus, juxta firmata per *Modern. Roman. discept. Eccles. 52. num. 72. Bald. consil. 12. num. 3. lib. 2. Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 56. num. 11. Rot. dec. 623. n. 3. coram Seraphin. & decis. 133. num. 6. & 7. coram Cerro*; Vel earum dicta in pluribus discordare quoad principaliorem circumstantiam copulæ sequutæ sub fide desponsandi, itaut ob hujusmodi contradictionem non me-
10 reantur attendi ad *text. in l. Testium Cod. de testib. Rot. decis. 32. & decis. 397. cor. Emerix Jun.* utrobique *num. 3. & decis. 327. num. 15. par. 12. recen.* & latè in *Colonien. Matrimonii 21. Junii 1709. cor. R. P. D. meo Falconer. Almæ Urbis Gubernatore*. Hinc promanat, quod si non intercessérat verus contractus Sponsalium, neque Judex sufficienter fuerat edoctus de Stupro super eorumdem fide perpetrato, permissum ei non erat tædio carceris adigere Didacum ad 11
desponsandum, in quem propterea metus injustè incussus dici debet, isque Matrimonium irritavit, ex authoritatibus superius laudatis.

Verum quatenus etiam de præmisso Stupro sub fide Matrimonii constaret, itaut ex hoc motivo Judex justè processerit, quod quidem Domini absolutè negare necessarium minimè reputabant, adhuc semper injusta detegebatur coactio, ex eo quia Didacus adstrictus erat cum Maria vinculo Cognationis Spiritualis, quæ operabatur, ut inter taliter conjunctos nullo Jure contrahi possent Sponsalia, nullamque oriri obligationem ad Matrimonium ineundum, etiamsi Mulier sub illius explicita Sponsione 12
se comprimi passa fuerit, ut consentaneè ad *Can. Quod autem quæst. 1. distinct. 30. & ad Can. fin. quæst. 3. ead. distinct.* decidit Gregorius Nonus in *Cap. Ex literis de Cognat. Spiritual.* ibique *Jo: Andr. verb. Affidatam Fagnan. & Gonzalez sup. eod. Cap. Ex literis per tot.* idque optima ratione, nam quemadmodum inter Conjunctos cognatione carnali stare nequit Conjugium, ita multò fortius repugnat eos Matrimonio copulari, qui spirituali Cognatione inter se colligantur, nam spiritualis major, & 13
magis reverenda est, quam carnalis, prout longè dignior est regeneratio spiritus, quam generatio secundum carnem, ut ad mentem *Synodi Trullanæ* docet *Gonzalez in dicto Cap. Ex literis num. 8. & 11. Fagnan. in d. Cap. n. 14. Sanchez de Matrim. lib. 8. disput. 19. num. 7. Mandos. in prax. sign. dispens. Matrimonii vers. In prima specie*.

Quin hujusmodi vis impedimenti

sublata dici possit ex quo Contractus Sponsalium celebratus fuerit sub præcisa conditione obtinendi Dispensatio-
14 nem Apostolicam , licet enim talis conditionis adesset specifica probatio , quæ quidem deficiebat , nullatenus tamen suffragaretur ad obligandum quemquam ex Contrahentibus ad standum Contractui , qui in se , propter impedimentum illum irritans, nullam parit actionem , nam ea , quæ perpetuò prohibita noscuntur , neque sub
15 conditione in Contractum deduci valent *l. Inter stipulantem* 82. § *Sacramentum ff. de verb. obligat. l. Continuus* 137. § *Cum quis ff. eod. tit.* & in terminis omnino uniformibus , quod quatenus inter Conjunctos vinculo consanguinitatis contracta fuerint Sponsalia addita conditione obtinendi dispensationem Apostolicam, adhuc nulla oriatur valida obligatio , in cujus vim Juris remediis alter ex promisso-
16 ribus cogi possit ad promissa adimplendum , constans fuit semper sententia nostri Tribunalis , ut ex *Decisionibus* 605. *num.* 25. *par.* 1. *divers. decis.* 838. *num.* 12. *&* 1156. *num.* 4. *coram Seraphin.* , *decis.* 201. *n.* 4. *cor. Mantic.* , *dec.* 203. *n.* 7. *coram Buratt.* ; *decis.* 410. *num.* 5. *coram Ludovis.* & præsertim latè , & magistraliter examinato articulo in *decis.* 603. *per tot. par.* 5. *tom.* 2. *recen.* que est 2222. *cor. Coccin.* & in ejus confirmatoria *decis.* 107. *per tot. par.* 8. *recen.* & hanc sententiam , relatis solidissimis fundamentis, probabilem censuit *Sanchez de Matrim. lib.* 5. *disput.* 5. *n.* 5. *& seqq.* cum aliis apud eumdem , illam vero , rejectis contrariis , validissimæ propugnavit *Rocca disput. select. cap.* 62. *num.* 36. *& seqq.* , ubi pro ea allegat quamplures tum ex Theologis , tum ex Jurisconsultis .

Porrò præmissa opinio optimis fulcitur rationibus , conditio enim, si Papa dispensaverit , non potest Contractum in origine nullum propter apertam Juris resistentiam reddere extunc validum , & obligatorium , quia cum talis conditio pendeat ab arbitrio Principis , qui potest denegare dispensationem , propterea dicitur impossibilis , & haberi debet pro non adjecta
in modum , ut Contractus sub illa celebratus non teneat , ut per text. in 17
l. Apud Julianum §. *fin. ff. de legat.* probant *Sanchez de Matrim. lib.* 5. *disput.* 5. *num.* 8. *&* 12. *Rocca d. disput.* 62. *num.* 36. *Rot. d. dec.* 603. *num.* 28. *& seqq. par.* 5. *& decis.* 107. *num.* 10. *& seqq. par.* 8. *recen.* Imò vero etiamsi Papa super impedimento dispenset , adhuc non videtur habere ratum, quod prius illicitè inter impeditos gestum fuerat , sed solummodo impartiri li- 18
centiam nuptias contrahendi non obstante impedimento sibi narrato , undè ex hoc rectè arguitur novum requiri consensum in executione dispensationis coram Ordinario , quia Matrimonium dicitur valere non ex tunc , sed ex nunc , ita ut si Sponsi nolint con- 19
sentire , vel de novo contrahere , liberi remaneant ad firmata per *Card. in Cap. Super eo in fin. de condit. appos. Aretin. cons.* 142. *sub num.* 4. *Rocc. disput. Jur. d. cap.* 62. *num.* 37. *Rot. decis.* 410. *num.* 5. *coram Ludovis.* , *decis.* 731. *num.* 5. *par.* 4. , *dicta dec.* 603. *num.* 39. *& seqq. par.* 5. , *dec.* 103. *n.* 8. *& seqq. par.* 8. *recen. decis.* 227. *n.* 20. *& seqq.* , *decis.* 108. *num.* 25. *coram Zarat.* cum aliis relatis per *Adden. ad Pamphil. decis.* 96. *num.* 12. *&* 13.

Istiusmodi autem novuus consensus, per quem Contractus convalidetur , adeò est necessarius , ut non solum in hypothesi , qua agatur post obtentam dispensationem de contrahendo Matrimonio vigore promissionis jampridem expletæ , verum etiam quoties essemus in casu Matrimonii bona fide contracti , & consummati , hoc pari- 20
formiter nullum dijudicandum esset , ut nonnisi ex iterato , & spontaneo consensu utriusque ex Contrahentibus, prævia dispensatione Apostolica roborari , & convalidari posset , ut docet *Abb. in Cap. Super eo in fin. Cardin. in d. Cap. Super eo vers. Quod si dicis de condit. apposit. Paulmoll. decis.* 23. *adnot.* 1. *num.* 2. *& seqq.* , *Rot. decis.* 605. *num.* 1. *par.* 1. *divers.*

Cum itaque ex Sponsalibus , quæ copulam præcessisse contendebat Maria , nulla eidem oriretur actio adversus Didacum ad promissionis adimplementum assequendum , imo etiam obten-

ten-

tenta dispensatione Apostolica, novus,
21 & quidem liber, & spontaneus requireretur consensus, indè resultat nulliter, & injustè coactum fuisse Didaeum ad Nuptias in carceribus contrahendas, neque ullo pacto dici valet
22 liber illius consensus, quando agebatur de se eximendo ab horridi carceris mancipatione, in quo per triennium vitam suam, quam miserrimè absumpserat, & quando eodem contextu, quo se induxit ad petendam dispensationem, illaque adventa, ad Matrimonium ineundum iteratas emisit protestationes, quibus clamabat non alio fine id peragere, nisi ut longiorem vexationem effugeret, haud
23 vero se tali Matrimonio animum, & consensum unquam esse accomodaturum; In hisce profectò circumstantiis quisnam dubitaverit omnia praecessisse ex metu cadente in constantem Virum, & actum irritante, ut perpen-
24 sa carceratione etiam breviori probat *Capon. discept. 58. num. 14. Rot. decis. 190. num. 3. par. 1. recen., dec. 506. num. 5. cor. Merlin., & in supra allegata Aprutina Nullitatis Matrimonii 30. Aprilis 1709. coram Eminentissimo D. Card. Scotto*.

Neque ullo pacto asseri potest subsequenter Didacum ratum habuisse id, quod in carceribus gesserat, nam
25 quamvis in executionem Judicialis Decreti, quo fuerat a carceribus dimissus coeperit adimplementum salutaris poenitentiae sibi injunctae ad normam Literarum Apostolicarum dispensationem continentium, attamen hoc peregit vigore fidejussionis, quam
26 praestare coactus fuerat antequam a carceribus liberaretur, & statim ac evadere potuit vinculum dictae fidejussionis mediante praesentatione inhibitionis Rotalis destitit a praefato adimplemento. Caeterum omnes alii actus subsequentes confluunt ad suadendum ejus animum nimis aversum a controversis Nuptiis; Vix enim carceres
27 evaserat, ut Mariam potius laedere, quam in Uxorem accipere tentaverit, & subindè quam longe peregrinationi, quotque infortuniis, & expensis se subjecit, ut invisum thalamum evi-
28 taret; Undè ex his etiam explicatur quinam fuerit ejus consensus in carceribus praestitus, an nempè deliberatus, an vero meticulosus, & citra animum se obligandi ad tradita per *Sperell. decis. 5. num. 61. Rot. dec. 326. num. 7. cor. Ludovis.*

Et ita &c. Utraque &c.

R. P. D. FOSCARO

Hispalen. Matrimonii.

Mercur. 22. Junii 1718.

Confirmatoria praecedentis.

ARGUMENTUM

Habes in praecedenti Decisione.

SUMMARIUM

2 *Abeo, qui jam per triennium in carceribus detentus, ac praeditus, ne uti valeat remedio appellationis, Judice mandante, Matrimonium contrahit, consensus dicitur extortus per metum cadentem in constantem Virum inefficax ad substantiandum foedus Matrimonii.*

3 *Potissimum si tam ante, quam immediatè post initum Matrimonium constanter declaraverit se per metum ad consentiendum fuisse adactum.*

4 *Judex cogendo ad Matrimonium ineundum eum, qui Sponsalia contraxit, nihil detrahit naturali libertati, neque vim infert.*

5 *Honesta Vidua non censetur pati voluisse Stuprum, nisi sub fide futuri Conjugii.*

6 *Feminae familiaritate cum Stuprata devinctae in Causis hujusmodi a testificando non repelluntur.*

7 *Juncta praesertim judiciali Confessione Stupratae, quae ad dicta Testium veritatis praesumptione suffulcienda conjungi debet.*

8 *Si ante Stuprum, animadverso obstaculo Cognationis inter Stuprantem, & Stupratam conventum inter eos fuerit de obtinenda dispensatione Apostolica, Stuprator*

tor tenetur Stupratam desponsare, secus si promissioni Matrimoniali Stuprum non accesserit.

Contrarium num. 9. & seqq.

12 *Papa dispensando super impedimento Cognationis, non intelligit reconvalidare Sponsalia nulliter, & illicitè antea contracta, ideoque requiritur novus Contrahentium consensus:*

13 *Sponsalia ob copulæ interventum non transeunt in Matrimonium;*

14 *Data originaria nullitate Sponsalium, copula nihil operatur ad eorum validitatem.*

15 *Promissor renuens contrahere Matrimonium absolvendus est a Censuris contra eum latis non obstante copula.*

16 *Per impetrationem dispensationis super impedimento Cognationis non inducitur consensus, si id expletum fuerit, dum impetrans erat carceratus, & eodem contextu declarabat se coactè, & ob metum longioris carcerationis id fecisse.*

DECIS. XLI.



Pectatis circumstantiis, in quibus Contractus Matrimonii inter Mariam de Rosa, & Didacum Nunez celebratus fuerat, Sacra Rota

1 censuit illum prorsus irritum esse dijudicandum, ut ex *Decisione* edita coram M: *sub die* 21. *Februarii currentis Anni*; Facta autem Mariæ facultate impugnandi præfatam resolutionem, ejusque fundamentis novo, seduloque examini suppositis, magis magisque constabiliri promeruerunt, rescribentibus hodie DD. *In Decisis.*

Et quidem nullitatem Matrimonii iterum desumebant ex eo, quod destitueretur libera voluntate unius ex Contrahentibus, videlicet Didaci, qui postquam ad instantiam Mariæ in carceres conjectus fuerat, ibique ferè per triennium asperrimam vitæ rationem protraxerat, judiciali pressus auctoritate eidem Nuptiarum contractum demandante, ac insuper præpeditus, ne uti valeret remedio appellationis, mirum profectò non fuerat, si tot angustiis circumseptus, ut eas tandem evaderet, coactè, & citra propriam voluntatem Matrimonio per verba de præsenti consenserit, proindèque cum talis consensus dici debeat extortus per metum cadentem in constantem Virum, nullius planè roboris consideratur ad substantiandum fœdus Matrimonii, ut in *Aprutina Nullitatis Matrimonii* 30. *Apr.* 1708. §. *Et ratio*, & §. *Hinc manifesta coram Eminentissimo D. Cardinali Scotto*, cum aliis allegatis in Decisione, quæ revidetur §. *Impulit Dominos*, idque potissimum, quia Didacus, dum adhuc in carceribus detinebatur, non neglexit plures juratas emittere protestationes, iisque tam ante, quam immediatè post initas invisas Nuptias constanter declaravit, se nonnisi per metum ad consensum præstandum adactum fuisse, quod quidem necessariam voluntatis libertatem penitus, penitusque excludit juxta tradita *per Capon. discept.* 98. *num.* 14. *Rota dec.* 506. *num.* 5. *coram Merlino*, & *in Decisione hujus Causæ* §. *Cum itaque.* 2 3

Præmissa vix negare audebant Defensores Mariæ, ac propterea inculcantes principium illud admissum in præterita *Decisione* §. *Quantumvis*, quod videlicet Judex justè cogendo nihil detrahat naturali libertati, quia, movente Justitia, nemo vim, & coactionem pati dicitur, suadere conabantur Didacum justè fuisse in carceres detrusum, atque inibi justam subiisse condemnationem ad Matrimonium contrahendum cum Maria, eo quod constiterit per Processum ritè efformatum Viduam honestæ conditionis tantum nefario Stupro se subjecisse, ex quo preventivè reportaverit a Didaco firmam promissionem de Nuptiis invicem contrahendis, sine qua proprii honoris irreparabile detrimentum verisimiliter non tolerasset ad firmata per *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disput.* 22. *sub num.* 6., *Rota dec.* 42. *num.* 4. *inter impressas ad ornatum Card. de Luca de Dot.*, & *in Vienn. Matrimonii* 25. *Junii* 1703. §. *Posita cor. Emo D. Card. Scotto*, indeque mul- 4 5

6 multo facilius, deferendum esse testibus, licet muliebris sexus, & familiaritate cum Maria devinctis, quæ a testificando in Causis hujusmodi nequaquam repelli consueverunt, ut admonet *Text. in Cap. Super eo 22. de Testibus Mascard. probat. concl.* 1021. *num.* 7., *Gabriel. de Testibus concl.* 23. *num.* 11., *Rota dec.* 1834. *num.* 2. *coram Coccino*; Juncta præsertim judiciali confessione ipsius Stupratæ emissa oc-
7 casione querelandi Stupratorem, quam ad dicta testium veritatis præsumptione fulcienda conjungi debere tradunt *Farinacc. consf.* 112. *n.* 13. *Vermigliol. consf.* 12. *n.* 7., *Rota in Pamplionen. Matrimonii* 23. *Junii* 1702. §. *Accedente coram R. P. D. meo Lancetta*.

Neque effectum talis promissionis, sub qua Mulierem sui corporis copiam fecisse arbitrabantur, ullo pacto depelli posse subdebant ex eo, quod inter Didacum, & Mariam adesset impedimentum Cognationis Spiritualis, per quod a Connubio ineundo omni Jure arcerentur, cum etenim antequam Vidua vitiari pateretur, precisè animadverso obstaculo Cognationis actum fuerit de impetranda Dispensatione Apostolica, & cum hoc supposito Mulier in Stupri laqueum inciderit, videtur de necesse inferendum, quod exindè orta sit quædam antidoralis obligatio in Viro contrahendi Matrimonium, prævia Dispensatione Apostolica, itaut justè se gesserit Judex cum Juris remediis cogendo ad promissæ Fidei adimplemen-
8 tum, ad differentiam casus, quando nulla intercesserit copula, sed Partes nudè se adstrinxerint Sponsalibus in futurum sub conditione obtinendæ Dispensationis, quemadmodum tenet *Navarr. consf.* 5. *n.* 7., *& seqq. de Consanguin. & affinit.*, *Layman in Theologia Moral. lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 4. *vers. Dico secundo*, *Ledesma de Matrim. par.* 47. *art.* 5. *Dub.* 2, cæterique per Informantes allegati.

Verumtamen hisce ratiociniis minimè retrahi valuerunt Domini a sententia alias amplexa; Prætermisso namque, an per testes in Processu examinatos rectè probata dici possit qualitas Stupri sub certa Sponsione Matrimonii, & cum adjecto, quod impetranda esset Dispensatio Apostolica removens impedimentum Cognationis Spiritualis, super quibus non videntur perfectè convenire, vel solummodò concludere, quod Didacus paratam voluntatem ostenderit ad Sponsalia ineunda, non autem se unquam ad illa per consensum omnino deliberatum coarctasset, ut notatum fuit *in præcedenti Decisione §. Nihilominus*; Difficultatem radicitus submovebat ponderatio, quod tametsi admittatur sub tali fide Stuprum accidisse, non indè tamen sequitur justè Stupratorem coactum fuisse ad effectivè contrahendum per verba de præsenti, quia cum Cognatio Spiritualis esset formaliter impeditiva Matrimonii, consequenter pernecesse resistebat nativitati cujuscumque obligationis, qua deficiente, nulla dabatur actio ad petendum promissionis implementum, & idcirco Judex caruit legitimo fundamento, super quo coactionem stabilire valeret, ut refe- 9
rendo constantem Sacri nostri Tribunalis opinionem erutam a punctuali *Textu in Cap. Ex literis de Cognat. Spiritual.* probavit præcedens *mea Decisio §. Verum, & §. Quin hujusmodi*.

Quæ sanè Sententia haud destituta solidioribus rationum momentis, de quibus in dicta *præterita Decisione*, omnino prævalere debet auctoritati *Navarri*, & cæterorum ejus sequacium supra in objecto allegatorum; Tum quia mox dictam *Navarri* opinionem tamquam in jure minus veram ex proposito reprobat *Rota dec.* 2222. 10
num. 17., *& seqq. coram Coccino*, & similiter erroneam, & in Jure non subsistentem vocat *Rocca disput. Jur. cap.* 62. *num.* 37. *vers. Quidquid in contrarium*. Tum etiam quia præmissa reprobata opinio verè nititur nimis debili fundamento, non alia enim potiori ratione substinet Sponsalium contractum etiam inter impeditos evadere posse obligatorium, nisi ex quo conventio obtinendæ Dispensationis operetur, ut illa supervenien- 11
te absque novo consensu Sponsalia validè consistant, quod sanè erroneum detegitur, animadvertendo nullum

a prin-

a principio adfuisse ob resistentiam Juris, vel minimum contractus vestigium, quoniam cum ille a consensu essentiam recipiat, non poterat talis consensus perfectè interponi super re prorsus illicita, & licet hoc fieret sub spe futuræ Dispensationis, attamen id non tollit, quin post obtentam Dispensationem novus ex integro requireretur consensus, eo quia Papa dispensando non intelligit recon-
12 validare id, quod perantea nullum, & illicitum reperiebatur, sed solummodo obstaculum removendo, facultatem contrahendi impartiri, ex firmatis per *Innocent. in Cap. Super eo de condit. appos. in principio* ibique *Zabarell., Rocc. d. cap. 62. n. 36. & seqq. Rota dec. 1156. n. 4. cor. Seraphin. & d. dec. 2222. n. 33. & seqq. dec. 103. n. 8. & seqq. par. 8. recent.*, cum aliis *in Decisione* hujus Causæ §. *Porrò*.

His ita se habentibus, casum nullatenus diversificat circumstantia Stupri, ut Maria exclamabat, sub fide desponsationis commissi per Didacum, nam si copula operari deberet, quod Sponsalia in sui origine, & quidditate nulla, & illicita evaderent obligatoria, sequeretur, quod illa contra claram Censuram Sacri Concilii Tridentini *Cap. 1. Sess. 24. de Reformat.*
13 *Matrim.*, ob ipsius copulæ interventum, transirent in Matrimonium, undè ne admitteretur id, quod a Sancta Synodo clarè vetitum fuit, dicendum est, data originaria nullitate Spon-
14 salium, copulam nihil operari juxtà individualem auctoritatem *Rotæ in decis. 1156. num. 6. coram Seraphin.* & in proximis terminis ad effectum scilicet concedendi, non obstante copula, absolutionem a Censuris, postquam
15 Reluctator diù eisdem innodatus permanserat, firmatum fuit in *Pampilonen. Sponsalium super Censuris 7. Februarii currentis Anni* §. *Hodiè tamen coram R. P. D. meo de Herrera*.

Præterea obligationem ex hue usque firmatis minimè orientem a Sponsalibus frustra contendebatur educi posse ab actibus comprobativis subsequenter per Didacum gestis, nimirum ab impetratione dispensationis, & a confessione super ejusdem verificatione emissa; Omnia enim hæc expleta noscuntur tempore, quo Didacus carceribus mancipatus reperiebatur, & eodem contextu non desistebat per protestationes declarare se coactè, & ob metum longioris carcerationis ad actus ejus animo penitus repugnantes devenisse, quod clarius patefecit per ea, quæ gessit postquam jam carceres 16
evaserat, ac propterea nedum exulat qualibet Matrimonii comprobatio, verum etiam cuncta conspirant ad suadendum, quod ab eodem jugiter abhorruerit, & nonnisi per metum, consensum in carceribus præstiterit, ut latius notavit præcedens *Decisio* §. *Cum itaque*, *& seqq.*

Relativè igitur in cæteris ad eamdem Decisionem conclusum fuit.

Utraque &c.

R. P. D. DE THUNN

Leodien. seu Aquisgranen. Sponsalium

Veneris 3. Februar. 1741.

ARGUMENTUM

Sponsalia probantur per Positiones declaratas pro confessis.

SUMMARIUM

1 *Facti species*, & n. seqq.

5 *Positiones a Stuprata productæ in quibus habetur, quod Stuprator post Stuprum promptum se obtulit injuriam eidem Stupratæ illatam cum subsequenti Matrimonio resarcire, probant Sponsalia, quamvis fuerint in contumacia Stuprantis respondere detrectantis a Judice declaratæ pro confessis.*

6 *Positiones pronunciatæ a Judice pro confessis ob contumaciam Rei respondere recusantis veræ confessioni æquipollent.*

7 *Resolutiones Sac. Congregationis Concilii Sacra Rota Romana semper consuevit amplecti.*

8 *De stylo Rotæ, & Curiæ Romanæ ficta confessio, quæ oritur ex Positionibus a Judice in contumaciam Rei pronunciatis pro confessis, non admittitur.*

9 *Quod*

9 *Quod procedit quoad Causas in Romana Curia instructas in prima instantia.*

10 *In causis autem ad eam per appellationem devolutis attendit stylum Regionis, & Curiæ, in qua fuit introducta, & judicata,* & n.seq.

11 *In Tribunalibus Germaniæ, & signanter in Curia Ecclesiastica Aquisgranensi habetur Reus pro confesso, quatenus legitimè monitus Positionibus respondere recuset:*

12 *Ut Positiones declarari possint ob contumaciam Rei pro confessis, pro forma requiritur, quod prius ipse Reus fuerit monitus ad respondendum.*

13 *Nuncio, seu Pedello deponenti de re ad proprium officium spectante plena fides est adhibenda.*

14 *Intimatio ad respondendum positionibus fieri potest tam Principali, quam Procuratori.*

15 *Intimationes factæ Procuratori per speciale Chirographum constituto, perindè est, ac si fuissent ipsi Constituenti personaliter præsentatæ.*

16 *Comparitio Procuratoris in singulis terminis assignatis Principali ad respondendum Positionibus præsupponit citationes, atque intimationes legitimè executas.*

17 *Comparitiones factæ in termino sanant quemcumque defectum citationis, seu intimationis.*

18 *Propria assertio in favorem asserentis non probat.*

19 *Nec fides Procuratoris in favorem sui Clientis.*

20 *Procurator censetur certiorasse suum Clientem de omnibus, quæ in Causa agebantur, ac præsertim de iis, quæ ipsi præjudicium inferre poterant.*

21 *Qui notitiam habuit de decretis in Causa emanatis, scivit iteratas monitiones sibi factas, ut Juramentum præstaret de veritate dicenda super Positionibus, idemque Juramentum emisit, scientiam habuit de Decreto lato declarante Positiones pro confessis, exhibuitque allegationem propria manu subscriptam, validissimè præsumitur, quod ipse fuerit distinctè certioratus de monitionibus sibi factis ad respondendum Positionibus,* & num. 22. 23. 24. & 25.

26 *Si procurator Principalem certiorem reddidit de omnibus aliis monitionibus, & Decretis in Causa latis, urget præsumptio, ut eidem notificaverit monitiones etiam ad respondendum Positionibus, ex quibus gravissimum præjudicium ipsi obvenire potuisset.*

27 *Post dilationes Reo concessas ad respondendum Positionibus, eo contumace, illas Judex pronunciare debet pro confessis.*

28 *Si Reus post hujusmodi Decretum comparuerit in Judicio, ibique prosequutus fuerit Causæ defensionem super meritis, post hanc tacitam approbationem, validitatem, & justitiam ejusdem Decreti amplius impugnare non potest.*

29 *Contra Decretum declarans Positiones pro confessis adversus Reum contumacem, nèc purgatio moræ, nèc restitutio in integrum conceditur post latam sententiam super meritis.*

30 *Eoque magis si nulla afferatur contraria probatio adversus ea, quæ in Positionibus continentur.*

31 *Ex diuturna annorum quatuordecim consuetudine Mulieris cum Viro oritur præsumptio fuisse inter eos Sponsalia contracta, cum inverisimile sit, quod Puella honesta, & æqualis conditionis tamdiù corporis sui copiam eidem facere voluerit sine promissione Nuptiarum.*

32 *Constito de diuturno concubitu cum Muliere sub promissione nuptiarum, Vir cogendus est ad illam in uxorem ducendam.*

33 *Multo magis si Filios ex tali commercio susceperit.*

DE-

DECIS. XLII.

Ad Vot. VII. num. 167.



Etrectante Joanne Jacobo Von=Thenen post diuturnam consuetudinem sub fide Matrimonii retentam cum Barbara Theresia Schvveling
1 promissionem præstitam adimplere, coacta fuit eadem Barbara, ut tàm suæ, quàm susceptæ prolis indemnitati consuleret, eum in Judicium vocare in Curia Ecclesiastica Aquisgranensi, productisque ibidèm Positionibus supèr diuturno commercio secum habito sub promissione Conjugii, iisque
2 in contumacia Joannis Jacobi respondere recusantis pronunciatis pro confessis, definitiva tandèm prodiit Sententia ipsum condemnans ad ducendam præfatam Barbaram in Uxorem, quæ deindè in gradu appellationis confirmationem obtinuit coràm A. C. Guglielmo. Non acquiescens tamèn duobus his Judicatis Joannes Jacobus, delegari curavit Sacro huic Tribunali ulteriorem Causæ cognitionem, mihique Commissione directa, Dubium sub-
3 scripsi = *An constet de Sponsalibus, itaut si locus coactioni in casu &c.* = Eoque in hodierna Audientia proposito, responsum accepi = *Constare de Sponsalibus, & esse locum coactioni* =

Sponsalia nàmque satis probari visa sunt ex dictis positionibus à Barbara productis in Curia Ecclesiastica Aquisgranensi, ex quibus habetur, quod Joannes Jacobus post Stuprum ei illatum in florenti ætate septemdecim
4 annorum, promptum statim se obtulit injuriam ejus honori irrogatam resarcire, ducendo ipsam in Uxorem; Quodque sub fide hujusce promissionis sæpissimè postmodùm repetitæ diuturnum cum ea continuavit commercium spatio annorum quatuordecim, ex quo quinque suscepit Filios, quos semper in suos agnovit, solutis necessariis sumptibus tàm pro puerperiis, quàm pro illorum alimonia, & educatione: Cum autèm hujusmodi positiones in
5 contumacia Joannis Jacobi pluries moniti, ac respondere detrectantis, fuerint ab eadem Curia declaratæ pro confessis, non est dubium, quin ex eis plena oriatur probatio initorum Sponsalium, cùm positiones pronunciatæ a Judice pro confessis ob contumaciam Rei respondere recusantis equipolleant veræ confessioni ad *Text. in Cap. 2. de confess. in 6.*, ibique *Ancharan. n. 12.*, *Barbos. num. primo, & 2.*, *& Passarin. n. 80.*, *& seqq. Surd. cons. 360. n. 26. & seqq. Scaccia de Judic. lib. 2. cap. 7. quæst. 11. num. 477.*, *& seqq.*, *Thesaur. quæst. forens. lib. primo quæst. 6. num. primo*, *Ridolphin. in prax. Judic. part. prima cap. 10. num. 93.*, *& 94. Michalor. de Positionibus cap. 32. n. 15.*, *& 16.*, & ità in similibus terminis respondit Sacra Congregatio Concilii in *Colonien. Sponsalium die 26. Aprilis 1732.*, cujus resolutiones nostrum Tribunal semper consuevit amplecti, ut passim dixit *Rota* signantèr *coràm Molines decis. 939. num. 8. & coràm Lancetta decis. 988. n. 8.* 6 7

Minimè refragante, quod de stylo Rotæ, & Curiæ ficta hæc confessio non admittatur ex notatis per *Ridolphin. in prax. part. prima cap. 10. num. 102.*, *& seq.*, *Rot. post Fenzon. ad Stat. Urb. decis. 41. §. fin.*, *& coram Ludovis. decis. 460. num. 14.*; Nàm hujusmodi Stylus procedit quidem quoad Causas in Romana Curia instructas in prima Instantia; Minimè verò quoad illas, quæ ad eam per appellationem devolvuntur, in his enim attendi debet Stylus Regionis, & Curiæ, in qua Causa fuit introducta, & judicata; Quapropter cum in Tribunalibus Germaniæ, & signanter in Curia Ecclesiastica Aquisgranensi servetur Juris Canonici dispositio expresse declarans Reum pro confesso, quatenùs legitimè monitus respondere recuset, indè sequitur, quod cum eodem Stylo debet nunc Sacra Rota procedere in hujus Causæ Decisione, ut advertunt in specie *Ridolphin. in prax. Judic. part. prima cap. 10. n. 106. Michalor. de Position. cap. 35. n. fin.*, *Constantin. ad Statutum Urbis annot. 8. num. 352.*, *& seq.*, & ità pariter processit Sacra Congregatio Concilii 8 9 10 11

cilii in dicta *Colonien. Sponsalium die 26. Aprilis 1732.*

Frustrà verò ad elidendam probationem ex dictis Positionibus desumptam objiciebatur, quod pronunciatio positionum pro confessis facta in Curia Ecclesiastica Aquisgranensi nulla fuerit, & invalida, ex quo non præcesserit personalis monitio contra dictum Joannem Jacobum ad respondendum Po-
12 sitionibus pro forma requisita à *text. in Cap. 2. de Confess. in 6.*, ut docent *Salust. Tyber. in prax. cap. 13. num. 12., & 23. Constantin. ad Stat. Urb. annot. 8. art. 3. num. 357., & sequen., Rot. coram Coccin. decis. 1575. num. 2.* Ex facto enim constabat Joannem Jacobum non semel tantum, sed pluries fuisse ab eadem Curia monitum, ut responderet Positionibus à Barbara productis; Et quamquam non appareret ex actis, monitiones omnes à dicta Curia decretas eidem fuisse juridicè denunciatas, negari tamen non poterat, quin ultima saltem monitio, & peremptorius terminus ipsi assignatus, fuisset ad ejus notitiam legitimè deductus, cùm de illius intimatione retulerit penès acta publicus Nuncius, seù Pedellus, cui tamquàm
13 deponenti de re ad proprium officium spectante plena fides est adhibenda *Gloss. in Cap. Cum parat. versic. Sunt Nuncius de appellat. Bockhn. Commen. in Jus Canonic. lib. 2. tit. 3. §. 4. num. 43., Rot. coram Ansaldo dec. 86. num. 11., & in recent. decis. 561. num. 14. part. 1., & decis. 92. n. 1. part. 12.*

Parvique refert, quod ex dicta relatione Pedelli colligi nequaquam possit, utrum Intimatio fuerit personaliter facta Joanni Jacobo, seù potiùs Laurentio Schuvartz ejus Procuratori, cum ipse simpliciter retulerit, se intimasse, non tamen expresserit, cui intimationem præsentaverit. Sive enim uni, sivè alteri dicta intimatio facta fuerit, in utroque casu verum esset, quod Joannes Jacobus fuerat legitimè monitus ad responden-
14 dum Positionibus, eratque plenissimè servata forma à Jure in subjecta materia præscripta, quia cùm dictus Schuvartz fuisset per speciale Chirographum Procurator constitutus in hac Causa à Joanne Jacobo, intimationes contrà eum executæ perindè essent, ac si fuissent ipsi Constituenti personaliter præsentatæ *Jason. in leg. Eum* 15
qui num. 1. Cod. de Procurat., Scaccia de Judic. lib. 2. cap. 8. num. 666., et 671., Ubert. de Citat. c. 9. n. 33., et cap. 14. n. 224., Achill. de Graff. decis. 16. in fin. de dolo, et contumac. Rot. coram Molines decis. 810. num. 2., et seqq., et in recent. decis. 317. num. 6. part. 13.

Cæterum omnis cessabat difficultas super asserto defectu personalis Intimationis ex ea ponderatione, quod in singulis quibusque terminis à dicta Curia decretis ad respondendum Positionibus, Procurator Joannis Jacobi semper in Judicio comparuit proponendo excusationes, ob quas Principalis suus Judicio se sistere non poterat, novasque petendo dilationes, ut eisdem Positionibus responderet. Hujusmodi autem comparitiones factæ in termino à Procuratore præsupponunt citationes, atque intimationes legitimè executas *Menoch. de præsumpt.* 16
lib. 2. præsumpt. 22. num. 2., Ubert. de citat. part. 3. cap. 13. num. 99., & seqq., Barbos. Vot. decis. 58. n. 27. tom. primo, Rot. coram Caprara decis. 445. num. 18., & in recent. decis. 81. num. 3., & decis. 91. num. primo part. 2., Et quatenùs etiam illæ non præcessissent, de ipsarum defectu opponi ampliùs non posset, cùm comparitiones factæ in termino sanent quemcumque defectum citationis, seù intimationis, ut communiter tradunt
Felin. in Cap Cum sit Romana num. 15. 17
de Appellat. Ubert. de Citat. par. 3. cap. 16. num. 19., & 20., Barbos. vot. decis. 58. num. 25., & 26. Rot. coram Seraphin. decis. 256. num. 1., coram Caprara dec. 445. num. 19., & coram Falconerio decis. 1. num. 7. tit. de Sentent. excommunication.

Nèc pronis auribus audire Domini valuerunt excusationem Joannis Jacobi, quod scilicet nunquàm ipse fuerit à suo Procuratore certior redditus de his, quæ in Judicio agebantur, & maximè de hujusmodi monitionibus, ac Decretis, quibus vocabatur ad re-

 spon-

ſpondendum poſitionibus. Ultrà quod enim iſtiuſmodi exceptio nullatenùs
18 probata dici poterat, utpotè innixa in ſola aſſertione ipſius Joannis Jacobi, ac in fide ejus Procuratoris, qui in hac Cauſa nullum probationis gradum conſtituere valent, ut loquendo de teſtimonio Partis dixit *Rot. coràm Coccino dec.* 2341. *n.*36., *et in Leodien. electionis* 9. *Maii* 1727. §. *Eo magis cor. Eminentiſſimo Corio*, & de
19 teſtimonio Procuratoris firmat, *text. in Leg. fin. ff. de Teſtib. Leg. fin. Cod. de Aſſeſſ. Can. Si Teſtes omnes* §. *Item teſtes* 4. *quæſt.*3. *Rot. coràm Falconer. in Miſcellen. dec.*8. *num.*10.

Illa præterea inveriſimilis, atque adeo inſubſiſtens detegebatur, nam præter generalem præſumptionem, quod Procurator cenſeatur certioraſſe ſuum Principalem de omnibus, quæ
20 in Cauſa agebantur, ac præſertim de iis, quæ ipſi præjudicium inferre poterant juxta *conſil.*481. *Romani*, quod communiter ſequuntur *Honded.conſ.*55. *num.* 55. *lib.* 1. *Maſcard. de probat. concluſ.* 554. *num.* 9. *Lancellot. de attentat. par.*1. *cap.*1. *n.*101. *Rot.*, *coram Puteo deciſ.*100. *in fin. lib.*2., *coram Ludoviſ. dec.*127. *num.* 4. ibique *Adden. num.*11., *et coram Molines deciſ.*1161. *num.* 5., *et* 6. Conſtabat ulterius ex facto, Joannem Jacobum fuiſſe ab eo plenè inſtructum de cæte-
21 ris Decretis in Curia Eccleſiaſtica emanatis: Ipſe enim ſcivit iteratas monitiones ſibi factas, ut Juramentum præſtaret de veritate dicenda, quod ibi *Reſpondendorum* appellant, quibus tandem parendo ſpeciali Chirographo dictum ſuum Procuratorem munivit, ut præfatum Juramentum ſuo nomine interponeret, cumque per eamdem Curiam non fuiſſet ejus Procurator ad jurandum admiſſus,
22 perſonaliter ipſe comparuit in Judicio die 12. Octobris Anni 1736., dictumque Juramentum emiſit.

Rurſus notitiam habuit de Decreto in eadem Curia lato declarante Poſitiones pro confeſſis, nam ad eva-
23 dendam judicialem coactionem ducendi Barbaram in Uxorem, quam juſtè timebat ex cauſa dicti Decreti, quo ſatis, ſuperque probata remanebant Sponſalia cum ea contracta, Cauſæ examen aſſumpſit ſuper meritis, exhibuitque allegationem propria manu ſubſcriptam, qua probare nitebatur, ipſum compelli non poſſe ad ineundum cum ea Matrimonium: Ex qui- 24
bus omnibus non ſolùm falſa detegitur aſſertio, quod Joannes Jacobus de ſtatu Cauſæ non fuerit inſtructus, ſed etiam validiſſima inſurgit præſumptio, 25
quod ipſe fuerit diſtinctè certioratus de monitionibus ſibi factis ad reſpondendum Poſitionibus: Si enim Procurator eum certiorem reddidit de omnibus aliis monitionibus, & Decretis in Cauſa latis, omnis veriſimilitudo urget, ac præſumptio, ut eidem pari Jure notificaverit monitiones ad reſpondendum Poſitionibus, ex quibus graviſſimum præjudicium ipſi obvenire 26
potuiſſet *Rot. cor. Comitul. dec.* 119. *n.*7., *deciſ.*131. *num.*7. *par.*2. *diverſ.*, *& coram Molines dec.*1161. *num.*5.

Sublata nullitate dicti Decreti ex aſſerto defectu perſonalis monitionis, conatu prorſus irrito illud injuſtitiæ arguebatur eo ſub obtentu, quod Joannes Jacobus hemiplegiæ morbo correptus legitimo detineretur impedimento ſe ſiſtendi in Judicio ad reſpondendum poſitionibus; Objectio enim corruere viſa fuit ex depoſitione duorum Teſtium aſſerentium Joannem Jacobum eo ipſo tempore, quo ſe impotentem prædicabat adeundi Curiam Eccleſiaſticam, obiiſſe vias Civitatis, forumque, ac tabernas frequentaſſe; Quocirca cum eidem Curiæ plenè conſtiterit dictum Joannem non ex cauſa morbi, ſed voluntaria ejus contumacia tamdiù diſtuliſſe in Judicium ſe conferre ad reſpondendum poſitionibus, meritò proindè poſt tot dilationes eidem conceſſas, ac poſt undecim menſes inutiliter conſumptos ſuper reſponſione ad dictas poſitiones, Decretum protulit, quo illas pro confeſſis pronunciavit, ut faciendum eſſe monent *Saluſt. Tiber.* 27
*in prax. lib.*2. *cap.*2. *num.*13. *Bockhn comment. in Jus Canonic. lib.*2. *tit.*14. §.2. *num.*24. *Ridolphin. in prax. par.*1. *cap.*10. *num.*93.

Hactenus deducta ſatis eſſent pro vindicanda validitate, & Juſtitia d. Decre-

Decreti, Cæterum in pleniorem confutationem adductarum exceptionum addebant Domini, quod eum Joannes Jacobus post latum hujusmodi Decretum nullam ab eo interposuerit appellationem, quinimmò comparuerit in Judicio, ibique prosecutus fuerit defensionem Causæ super meritis, allegando rationes, ob quas cogi non posset ad contrahendum Matrimonium, simulque institerit pro Causæ definitione, datum profectò ei non erat post tacitam approbationem d. Decre-
28 ti ex his actibus inductam illius validitatem, & justitiam amplius impugnare, ut in similibus terminis notant *Gratian. cap.228. num. 8. Rot. coram Priol. dec.157. num.3., & in recen. dec. 183. num.4. part.16.*

Constito ex his de validitate, & justitia præfati Decreti, annuendum sanè non erat purgationi moræ, seu restitutioni in integrum a Joanne Jacobo adversus illud petitæ, quoniam contra Decretum declarans Positiones pro confessis in contumaciam Rei legitimè moniti, & respondere detrectantis, nèc purgatio moræ, nèc restitutio in integrum conceditur post
29 latam Sententiam super meritis, ut in puncto firmat *Mich. de Position. c. 47. n.17.Ofasch. dec.87. a n.4. ad seqq.*, & hanc opinionem secuta fuit Sacra Congregatio Concilii in *d. Colonien. Sponsalium die 26. Aprilis 1732.*

Idque multò facilius in subjecta specie admittendum erat, quia non solum contraria nulla afferebatur pro-
30 batio his, quæ in positionibus continentur, sed imò ex confessione ipsius Joannis Jacobi magna insurgebat præsumptio promissionis Matrimonii; nam in responsionibus ab eo datis dictis Positionibus post latam Sententiam super meritis, apertè admittitur Stuprum Barbaræ illatum, ac diuturnum Commercium cum ea habitum spatio annorum quatuordecim: Ex hac autem diuturna consuetudine non levis oritur præsumptio initorum Sponsalium, cum ab omni distet verisimilitudine, quod Puella cæteroquin honesta, ut Parochus testatur, ac natalibus non impar dicto Joanni Jacobo tamdiù corporis sui copiam eidem facere voluerit sine promissio- 31
ne Nuptiarum, ut ad rem advertunt *Clarlin. contr.164. num. 66. Sanchez de Matrim. lib. primo disput. 22, n.6. Anaclet. in Jus Canon. de Sponsal., & Matrim. §. 4. num. 68. Rot. coram Falconer. decis.4. num.3. tit. de Sponsal., & in Romana Sponsal. 24. Januarii 1738. §. Tota coram R. P. D. meo Nunez.*

Cum itaque ex hue usque deductis plenè constet de diuturno concubitu a Joanne Jacobo habito eum præfata Barbara sub promissione Nuptiarum necessariò sequebatur eum Juris remediis cogendum esse ad contrahendum cum ipsa Matrimonium, quia cum eadem Barbara intuitu ipsius promissionis corpus suum ei tamdiù tradiderit, sicque ex sua parte contractum 32
impleverit, consequens erat, ut etiam Vir dictum contractum perficeré teneretur ducendo ipsam in Uxorem ad *text. in Cap. primo de adulter., & stupr. Reiffenst. ad lib.4. decret. tit.1. de Spons. num.115. Sanchez de Matrimon. lib. primo disput.9. num. 3., & disp.44. per tot. Rot. coram Falconer. decis.4. num.4. tit. de Sponsal., & in recent. decis. 767. num. 2., & seq. part.18. & in Romana Sponsalium 24. Januarii 1738. §. Constabilito, & seq., & in Confirmat. 8. Junii 1739. §. Et sanè coram R. P. D. meo Nunez.* Tantoque magis locus esse videbatur hujusmodi coactioni Joannis Jacobi, cum duo supersint Filii per eum ex 33
tali Commercio suscepti, ut hanc circumstantiam ponderando dixit *Rot. coram Falconerio d. dec. 4. num. 5. tit. de Sponsalibus.*

Et ita utraque Parte informante responsum fuit.

R. P. D. NUNEZ

Barchinonen. Sponfalium

Lunæ 26. *Novembris* 1742.

ARGUMENTUM

Qui Sponfalia contraxit cum Fœmina honefta, & æqualis conditionis purè, & abfolutè, & abfque ulla adjectione præventivi confenfus Matris, ea adimplere tenetur, & eft locus coactioni, præfertim fi deindè idem confenfus accedat.

SUMMARIUM

1 F*Acti feries*, & num. feqq.
4 *Dilatio petita ad protrahendam refolutionem Caufæ Sponfalium, quæ celerem requirunt expeditionem, non eft concedenda.*
5 *Sponfalia probantur contra Virum ex examine teftium Fœminæ non conjunctorum.*
6 *Ex mandato Procuræ utriufque Sponfi ad effectum celebrandi Matrimonium.*
7 *Ex fupplici libello a Viro porrecto Superiori pro obtinenda fuper Denunciationibus difpenfatione.*
8 *Ex confeffione ad interrogatoria emiffa per eumdem Virum.*
9 *Confeffio extrajudicialis in Caufis Civilibus plenam probationem facit de æquitate Canonica.*
10 *Et etiam de Jure Cæfareo, fi fuerit pluries repetita variis in locis coram multis teftibus, & in Tribunali fub juramento, firmoque animo emiffa, nec non accedentibus prædictis adminiculis pleniffimam probationem conftituit.*
12 *Nimis indignum eft propriam folemnem impugnare confeffionem.*
13 *Non præfumitur cum adjectione conditionis præventivi interventus affenfus Matris is Sponfalia contraxiffe, qui ipfa Sponfalia fecretò contraxit, et deindè ad ineundum Matrimonium Procuratorem conftituit, ne executioni Sponfalium Mater, ac cæteri Confanguinei impedimentum præberent.*
14 *Item excluditur per teftes deponentes fe audiviffe totum oppofitum ab ipfo Renuente*, & n. 15.
16 *Nec non per declarationem ipfius Matris contrarium afferentis.*
17 *Conftat de repromiffione Sponfæ ex depofitione teftium affirmantium Virum faffum fuiffe fe mutuam fidem futuri Matrimonii ab eadem Sponfa accepiffe.*
18 *Urgentius ex fupplici libello, Sponfæ etiam nomine, exhibito pro facultate ineundi Matrimonium fine denunciationibus.*
19 *Et ex mandato Procuræ, quod Sponfa pro celebrandis Nuptiis exaravit.*
20 *Repromiffio deduci poteft ex indiciis, conjecturis, et fignis.*
21 *Conftito de Sponfalibus, Sponfus renuens cogi debet opportunis remediis ad contrahendum Matrimonium.*
22 *Maximè fi Sponfalia fint jurata.*
23 *Nec periculum fcandalorum, & rixarum timeri poffit.*

DECIS. XLIII.

Ad Vot.I. fub num. 172. & ad Vot.IV. n. 53. & feqq., & ad Vot.V. num.9.,& ad Vot.IX. fub num. 175. §. Hic etenim.



Ostquam Francifcus Puyol *fub prima die Januarii* 1741. Sponfalia purè, & abfolutè contraxit cum honefta Puella Rofa Galivert fibi non minùs pari conditione, quàm mutuo amore devincta, & nedùm 1 hanc Nuptiarum promiffionem ex ipfius ore publicè panditam *fub die vigefima dicti Menfis* fpeciali Apocha à fe confcripta, & juramento interpofito ratam habuit, fed omnem infuper curam, ftudiumque impendit, ut vel præfidio difpenfationis à confueta folemnitate Denunciationum, vel per Mandatum Procuræ utrimque ferè contemporaneè exaratum abfque ulla mora promiffam fidem per Matrimonii celebrationem impleret; idem Francifcus inftigationibus Matris, nonnullorumque Confanguineorum ægrefcen-

rentium has Nuptias obsecundans, & separatim in quadam privata Domo custodiæ causâ detentus, adhæsit tandem consilio se exequutioni Sponsalium opponendi, & sub prætextu, quod hæc fuissent conditionalia, & à Matris assensu dependerent, atque in eis omninò defuerit mutua dictæPuellæ repromissio, quodque ipse ulteriùs alteri Fœminæ Nuptiarum fidem antecedenter dedisset, Matrimonium cum Rosa contrahere renuit.

Ob hanc Francisci inconstantiam, & instantaneum recessum à priori ejus enixa voluntate, non aliàs Rosæ suæ indemnitati prospicere datum fuit, quàm eum vocando in Judicium coram Vicario Generali Barchinonensi,
2 & res adeò feliciter juxta ipsius Fœminæ vota cessit, ut nedùm Judex ex testium depositionibus, formalique eorumdem examine, nec non ex aliis quamplurimis documentis exceptionum Francisci insubsistentiam exuberanter prænoverit, & sua Sententia postmodùm statuerit constare de legitimis Sponsalibus per eum cum Rosa contractis, illumque ad ineundum Matrimonium esse absolutè cogendum; Verum & ipsamet Mater jam certior reddita, quod promissio Nuptiarum absque ulla sui consensus conditione à Filio usque ab initio peracta fuerat, tam ante dictam Sententiam, quam successivè post ipsam evulgatam promotæ liti solemniter renunciavit, & unà simul declarationem emisit, sibi, & ferè alils omnibus Consanguineis nil aliud maximè cordi esse, nisi quod Filius *Deo*, *Juri*, *& conscientiæ obtemperaret*, & in Uxorem ducendo præfatam Rosam, *re ipsa*, *& factis Sponsalia exequeretur*.

Verùm Franciscus adhærens potius paucis quibusdam Affinibus Nuptiis hujusmodi acerrimè repugnantibus, quàm propriæ Matri, ac reliquis
3 Consanguineis illas enixè cupientibus, quinimò avulsus ab ipsa Matre, se trahi permisit ad appellandum à Sententia Vicarii Barchinonensis, & Acta ad Urbem transmisit, ut statim in hoc Sacro Tribunali Causam dictorum Sponsalium prosequeretur; Sed, cum ferè post annum à die hujusmodi Actorum transportationis, & post traductum concorditer Processum, persolutamque mercedem traductionis ab utroque Causæ Patrono, præviaque fide Notarii Sacræ Rotæ, quod fuerant in Causa soliti termini ad formam Apostolicarum Constitutionum, & Decreti hujus Sacri Auditorii, vigore Commissionis mihi directæ, Francisco haudquaquam contradicente, congruum subscripserim dubium = *An constet de Sponsalibus, itaut sit locus coactioni in casu &c.* =

Hinc præcitatus Franciscus imminens videns illius examen, probèque conscius sui mali juris, instare cœpit pro dilatione, eo quod Processus in actis nondùm fuisset ab eo productus, nondumque elapsum esset biennium ad prosequendam appellationem ei competens, & unà simul expostulavit admitti quosdam articulos pro examinandis formiter testibus super prætensa existentia conditionis materni assensus Sponsalibus adjectæ, nec non asserto defectu eorumdem repromissionis ex parte Rosæ, ac super Scandalis ex his Nuptiis suborituris. Verùm cum Ego hanc instantiam, non retardata Propositione Causæ, ad Sacram Rotam remiserim, & hoc decretum, petente dicto Francisco ejusdem circumscriptionem, tùm Reverendissimus P. D. meus Calcagninus Decanus, tùm R. P. D. Auditor Signaturæ Justitiæ concordi voto approbaverint; Ideò à me hodie proposito dicto dubio, acriusque dicto Francisco insistente pro dilatione, Domini rectè animadvertentes præmissa unicè opponi ad protrahendam resolutionem Causæ Sponsalium, 4
cæteroquin sollicitè expediendam, neque à Francisco impugnari Acta Processus, qui post ipsius traductionem, ita mandante ejusdem Francisci Agente, fuit utrique Causæ Patrono communicatus, satiùs duxerunt, rejectis his exceptionibus = *Affirmativè in omnibus* = respondere.

Nam de contractu Sponsalium inter Franciscum Puyol, & Rosam Gallivert initorum, satis superque constare apparuit tùm ex formali examine plurium testium non conjunctorum, 5
seu familiarium prædictæ Rosæ, sed aut

aut Artificum prorsus extraneorum ,
aut Sacerdotum , seu Civium Barchi-
nonensium, qui sensu unanimi, & præ-
stito juramento , de conclusione con-
troversorum Sponsalium deposuerunt,
tum exApocha seriò conscripta ab ipso
Francisco Puyol , qua rata habuit ea-
6 dem Sponsalia ; Tùm ex mandato Pro-
curæ ab utroque Sponso exarato , ut
in executionem antecedentis contra-
ctus optatum Matrimonium celebra-
retur ; Tùm ex simili supplici libello
per recensitum Puyol subscripto , &
Vicario Generali porrecto pro obti-
7 nenda opportuna facultate ineundi
cum Rosa Matrimonium absque præ-
vio interventu denunciationum , in
quo idem dicta Sponsalia , mutuasque
illorum ratificationes exposuit ; Tùm
ex solemni , & formali depositione
8 ipsius Francisci Puyol , qui interroga-
toriis respondens se contraxisse , ac
ratificasse dicta Sponsalia , & petiisse
dispensationem à dictis denunciatio-
nibus negare ausus non fuit; Quæ qui-
dem omnia præsertim simul juncta du-
bitari nequibat , quin concludentem
probationem Sponsalium constitue-
rent , ut promiscuè ponderant *Pani-
mol. decis. 23. annot. 1. num. 13., &
Rot. in rec. dec. 25. num. 1. & 2. part. 4.,
coram Molin. decis. 1325. num. 2., in
Majoricen. Sponsalium 29. Jan. 1712.*
§. *Ea ratione coram cl. mem. Scotto ,
& in Leodien. seù Aquisgranen. Spon-
salium 3. Februarii 1741. §. Sponsalia,
& per tot. coram R.P.D. meo de Thun.*
Haud officiente , quòd dicti te-
stes deposuerint ex ore Francisci , qui
eis Sponsalia à se inita revelavit , &
ideò veluti innixi confessioni extraju-
diciali dicti Francisci gradum perfe-
ctę probationis non attingenti , nullo
numero haberi promereantur . Ultra-
quod enim de æquitate canonica etiam
confessio extrajudicialis in Causis his-
9 ce Civilibus absque præsidio aliorum
argumentorum pro plena probatione
haberi poterat juxta *text. in Can. Jura-
mento quæst. 3.*, & tradita per *Mascard.
de Prob. concl. 347. n. 57., & seq., An-
gel. de confes. tom. 1. lib. 1. quæst. 8. li-
mit. n. 1. & seq. Card. de Luc. de Judic.
disc. 23. n. 22. Rot. cor. Buratt. decis.
317. n. 6., & dec. 792. n. 7.* cum aliis ,
quos refert *Constant. Vot. dec. 199. n. 33.
& seq. tom. 1.* Inspecto ulterius rigore
juris Cæsarei, certum erat , hujusmo-
di confessionem nedum veluti pluries 10
repetitam , variisque in locis coram
tot testibus , & in ipsamet Curia Epi-
scopali sub juramento , firmoque ani-
mo emissam , sed etiam uti suffultam
adminiculis prædictæ apochę, Manda-
torum Procuræ , supplicum Precum ,
nec non formalis depositionis ipsius
Francisci in superiori §. recensitis , im-
plere gradum plenissimæ probationis,
ut in proposito dixerunt *Felin. in Cap.
Si cautio 13. num. 39. de fid. Instrum.,
Mascard. de probat. conclus. 347. n. 69.
Card. de Luc. de Judic. disc. 23. n. 23.,*
latè *Constant. d. Vot. dec. 199. a n. 7.
ad 17., & Rot. coram Merlin. dec. 718.
num. 16. , cor. Cels. dec. 306. n. 7. &
cor. Caprar. dec. 611. num. 9.*
Nèc concludenti demonstrationi
Sponsalium ex præmissis uberrimè re-
sultanti quidquam detrahere visæ sunt
exceptiones ex præcitato Francisci 11
examine elicitæ , quod nempè ipse
priusquam Sponsalia cum dicta Rosa
contraheret , dedisset fidem Nuptia-
rum Puellæ filię cujusdam Josephi Co-
mas ; quod non alias promiserit dictæ
Rosæ , se eam in Uxorem ducturum ,
quam sub explicita conditione præven-
tivi assensus suæ Matris ; quodque
huic Sponsioni reciproca repromissio
præfatæ Rosæ ullatenùs non accesserit.
Siquidem primæ assertioni dicti Fran-
cisci directè obstabat præcedens ipsius
confessio emissa in publico , atque ju-
rato Instrumento constitutionis spe-
cialis Procuratoris ad Matrimonium
cum Rosa celebrandum , quod nempè
idem nulla cum alia persona Sponsa-
lia eousque contraxerat , & ideò ni-
mis indignum erat , quod ipse hodiè
huic solemni confessioni adeò impu- 12
denter resisteret juxta vulgatum prin-
cipium *text. in Leg. Generaliter 13.
Cod. de non numer. pecun.*
Prætensam verò adjectionem
conditionis præventivi interventus as-
sensus Matris (a) æquè perspicuè ex-
cludebat tùm celebratio Sponsalium
secretò inita , & successiva sollicitudo
Fran-

(a) *Vid. Vot. IX. §. Nil pariter , & seq. , p. 203.*

Francisci contrahendi effectivè Matrimonium ope specialis Procuratoris præcisè ad id constituti, ne exequutioni Sponsalium ipsamet Mater, ac
13 cæteri Consanguinei tunc reluctantes impedimentum præberent, & ut iisdem etiam invitis cum Rosa nuptias iniret; Tùm depositio Sacerdotis *Valbona*, cui percunctanti de veritate istius suppositæ conditionis ipse Fran-
14 ciscus respondit, se dictæ Rosæ absolutè Nuptiarum fidem dedisse, & causam Matris dissensus ignorare; tùm non dissimile testimonium Presbyteri Congregationis Missionis, cui pari-
15 formi sinceritate ipse pandidit, quod quamvis nosceret Matrem fore hisce Nuptiis cum Rosa contradicturam, adhuc easdem cum ea contrahere statuerat; tùm etiam duplex solemnis declaratio ipsiusmet Matris Francisci, qua in exonus conscientiæ patefecit, quod ideò exequutioni Sponsalium fi-
16 lii se opposuit, quia inconsultò authumavit intercessisse conditionem sui assensus, & quod, ut primum contrarium novit, ab judicialibus actibus recessit, nèc aliud sibi esse cordi professa fuit, nisi *quod Filius secundum Deum, Jus, & onus conscientiæ operaretur*; Quæ quidem omnia contingere nequivissent, si verè usque ab initio sub conditione Materni assensus Franciscus dicta Sponsalia celebrasset.

Et deniquè suppositus defectus opportunæ repromissionis ex parte Ro-
17 sæ longè majori perspicuitate cessabat nedum ex clara depositione omnium testium afferentium Franciscum fassum fuisse se mutuam fidem futuri Matrimonii ab eadem Rosa accepisse, sed & urgentius ex supplici libello ejus etiam nomine exhibito pro facul-
18 tate ineundi Matrimonium absque prævio interventu denunciationum, & ex mandato Procuræ, quod ipsa Rosa
19 pro celebrandis his Nuptiis exaravit, cum ceteroquin, posita ex parte unius promissione, mutua ex altera parte repromissio non jam his factis, & probationibus indigeret, sed ex simplici-
20 bus quoque indiciis, conjecturis, & signis deduci posset juxta perpensa per *Rot. coram Cavaler. dec. 421. num. 1., coram Molin. decis. 1325. num. 2., & seqq., & in dicta Majoricen. Sponsalium 29. Januarii 1712. dicto § Ex ratione coram cl. mem. Scotto*.

Constabilita autem perfectione Sponsalium inter Franciscum, & Rosam initorum, indubitati juris erat eum opportunis remediis cogi debere ad Matrimonium cum Rosa contrahendum juxta apertissimos *textus in Cap.* 21
Præterea, & Cap. Ex literis de Sponsf., & Matrim., communemque sententiam Canonistarum, de qua *Gonzal. in dicto Cap. Præterea num. 8., Piringh. in Jus Canon. lib. 4. tit. 1. n. 17., Schmier Jurispatr. Can. Civil. part. prima de Sponsal. cap. 4. num. 20.*, & præter resolutiones Sacræ Congregationis Concilii, hoc Sacræ Rotæ Auditorium *coram Coccin. dec. 1834. per tot., coram Molin. dec. 1325. num. 18., in recentior. dec. 163. num. 3. part. 9., & dec. 142. num. 6. part. 15.* Præsertim quia agebatur de Sponsalibus jurisjurandi religione munitis, nec non pluries solemniter ratihabitis, & ideò 22
certius exequutioni mandandis, prout post *text. in dicto Cap. Ex literis* observant *Sanch. de Matrim. lib. 1. disput. 29. num. 5., & Rot. coram Ansald. dec. 516. num. 14., & sequentib., & in Moguntina Sponsalium 20. Novembris 1741. §. Potissima, & §. final. coram R. P. D. meo Molino*.

Spreto diffugio ad periculum scandalorum, quæ inter Affines, seu Consanguineos utriusque Sponsi ob hujus Conjugii celebrationem oriri possent, & propter quæ a coactione sit abstinendum, quia cum Mater 23
Francisci, ferèque omnes ipsius Affines, & Consanguinei, qui in Curia Episcopali Barchinonensi exequutioni Sponsalium se opposuerunt, hodiè a quacumque contradictione destiterint, imo summoperè exoptent, quod datam fidem Franciscus Rosæ servet, & cum ea Matrimonio copuletur, & nulla inter utrumque Sponsum adsit disparitas conditionis, improbabilis undiquè, atque chimericus necessariò in hypothesi remanebat jactatus timor rixarum, & scandalorum, qui, ut justam causam resiliendi a Sponsalibus, & desistendi a coactione suppeditet, constare debet, quod vel a ma-

a magna conditionis Sponsorum disparitate, vel alia gravi circumstantia procedat, ac ferè certus, & imminens existat, ut benè explicant *Bos. de Matrim. cap.11. num.167., Marcian. disputat. Jur.77.num 17.& seq.,Dicastil. disp. 4. num. 181., & Piton. discept. Eccles.42. num.88., & seqq.*
Et ita unica &c.

EMINENTISSIMO BUSSIO

Majoricen. Sponsalium.

Ven. 1. Julii 1746.

ARGUMENTUM

Quomodo constet de Sponsalibus. Morbus chlorosis Sponsæ superventus non est causa,cur Sponsus resilire possit a Sponsalibus.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*
2 *Sponsal a sunt futurarum Nuptiarum mutua promissio.*
3 *Sponsalia esse perfecta probantur, si constet de mutuo consensu a Sponsis expressè dato in traditione, ac receptione annulorum, & confirmato a successivis muneribus, & pluribus Sponsi epistolis amatoriis.*
4 *Multoque magis si Sponsus occasione respondendi Positionibus fassus fuerit ea mutuo consensu contracta fuisse.*
5 *Propria oris confessio superat quodcumque genus probationis.*
6 *Accedentibus prædictis probationibus Sponsa fundatam habet intentionem pro obtinenda Sponsalium executione.*
7 *Sponsalia esse contracta per vim, & metum demonstrari debet gravissimis probationibus, & argumentis penè invincibilibus.*
8 *Metus assertus adhibitus contra Sponsum ad contrahenda Sponsalia excluditur ex ipsius contraria confessione, ex amatoriis epistolis Sponsæ post Sponsalia directis, & ex depositionibus testium metum in Sponsalibus adfuisse negantium.*
9 *Testes contra eos inducentem plenè probant.*
10 *Consensus requiritur tàm ad perficiendum Contractum, & ad subjiciendos Contrahentes vinculo obligationis;*
11 *Quàm ad effectum resiliendi a nexu initæ obligationis in perniciem alterius Contrahentis.*
12 *Fides est adhibenda Sponsæ cum Juramento neganti se nunquam dedisse assensum pro rescissione Sponsalium præsertim deficientibus probationibus in contrarium.*
14 *Ob superventum Sponsæ morbum Sponsalia rescindi possunt etiam jurata*, & num.15.
16 *Veluti si Mulier leprosa, paralitica, vel oculum, aut nasum amitteret.*
17 *Non autem si agatur de temporaria, vel accidentali infirmitate*, & num. 18.
19 *Virgines morbo chlorosis laborantes plerumquè Matrimonio copulatæ sanantur.*
20 *Sponsus, qui purè, & sine omni conditione fidem dedit, commonendus est, & modis omnibus inducendus, ut præstitam fidem observet.*

DECIS. XLIV.

Ad Vot.III. num.11. & Vot. V. num. 7. & 9.



Ponsalia quæ anno 1742. contraxerat Antonius Triay cumPuella Joanna Maria Coranti, & 1
Rexach, post biennium petiit dissolvi coram Vicario Generali Curiæ Ecclesiasticæ Minoricæ triplici de causa, scilicet, quod ipse eisdem Sponsalibus vi, & metu suorum Parentum assentitus fuerat; quod mutuo Partium consensu remanserant dissoluta; & demum, quod superventus morbus chlorosis venustam Sponsæ faciem in pallidam verterat. At dictus Vicarius Generalis,neglectis tamquam nullo legitimo documento comprobatis duabus primis causis, tertiæ adhæ-

adhæsit, & per Sententiam declaravit dissolutionem præfatorum Sponsalium, à qua reclamante Puella ad S. Sedem, commissa mihi fuit Causa, pro cujus disquisitione dato consueto dubio = *An constet de Sponsalibus, et sit locus Canonicæ coactioni* = eoque ad illius instantiam hodiè per contradictas proposito, responsum habui in omnibus affirmativum.

Constat profectò de Sponsalibus inter Antonium, & Joannam Mariam initis; Cum enim illa sint futurarum
2 Nuptiarum mutua promissio ad *text. in Can. Nostrates* 30. *quæst.* 5., cumque mutuus consensus a Sponsis expressus fuerit coram utriusque eorum congre-
3 gatis Parentibus in traditione, ac receptione annulorum, fueritque confirmatus a successivis muneribus, & pluribus epistolis amatoriis, in quibus Sponsus amore fervens liberum Sponsalium consensum erga *la volsuta mia Giovanna Maria Coranti, & Rexaeb* repetebat, manifestè consequebatur de Sponsalium perfectione dubitari minimè posse, ut per *text. in leg.* 1. *&* 2. *ff. de Sponsalib.* docent *Card. de Luc. de Matrim. disc.* 8. *n.* 4. *Rot. dec.* 6. *num.* 1. *&* 2. *tit. de Sponsal., & Matrim., & decis.* 572. *n.* 1. *&* 3. *cor. Rmo Crispo*.

Potissimum, quia Antonius occasione respondendi Positionibus in exordio litis a Joanna Maria exhibitis celebrationem Sponsalium mutuo con-
4 sensu constabilitam ultrò fassus fuit; proindèque, si in judiciis principem obtinet locum probatio, quæ ex proprio Collitigantis ore procedit, ut in ter-
5 minis tradunt *Sanchez de Matr. lib.* 1. *disput.* 9. *num.* 13. *Rot. coram Buratt. decis.* 143. *num.* 3., *& in Novarien. Sponsalium* 1. *Julii* 1693. §. *Demum coram bon. mem. Muto*; Utique fundata dicenda erat intentio Joannæ Mariæ de probatione Sponsalium; eo-
6 rumque executione meritò contendentis ex firmatis per *Rot. coram Falconer. tit. de solut. dec.* 14. *num.* 2., *& in altera Majoricen. Sponsalium* 25. *Aprilis proximè præteriti* §. *Ut autem coram Me*.

Ad effugiendam autem executionem dictorum Sponsalium numeris omnibus absolutorum, nullam apud Dominos promeruerunt animadversionem exceptiones ab Antonio propositæ coram Vicario Generali Minoricæ. Assertus namque timor, ac metus, undè Antonius contendebat se coactum, & non ex libera sui voluntate Sponsalibus consensum præstitisse, qui gravissimis probationibus, & argumentis 7
penè invincibilibus demonstrari debet ad tradita per *Reiffenstuel. in Jus Canon. lib.* 1. *tit.* 40. §. 4. *num.* 76. *Menoch. de præsump. lib.* 3. *præsump.* 126. *num.* 1. *Mascard. de Probat. conclus.* 1056., *&* 1057. *num.* 1., *& seqq.* apertissimè excludebatur, tùm ex re- 8
latis positionibus, tùm ex nonnullis amatoriis epistolis constantem Antonii voluntatem patefacientibus, tùm denique ex depositionibus testium, quibus, veluti inductis ab ipsomet Antonio, plenam fidem adhibendam esse 9
docent *Panimoll. dec.* 23. *annot.* 1. *n.* 18. *Rot. coram Burat. dec.* 143. *num.* 23., *coram Falconer. de Miscell. decis.* 35. *num.* 4., *& in Novarien. Sponsalium* 1. *Julii* 1693. §. 2. *coram bon. mem. Muto*.

Consensus verò Sponsalium dissolutionis præstitus a Joanna Maria, ultra quod præsidium expectabat opportunæ probationis, qui sicuti pernecessè requiritur ad perficiendum 10
contractum, & ad subjiciendos Contrahentes vinculo obligationis ad *text. in* §. *Omnium Instit. de Actionib. leg. Actionum* 25. *in princip. vers. In personam ff. de obligat., & action.*, ita prætermitti non debet ad effectum resiliendi a nexu initæ obligationis in 11
perniciem alterius Contrahentis ad *text. in leg. Illud in fin. Cod. de collation. l. Quamvis Cod. de transact. leg. Perfecta Cod. de donation.*; tam longè erat, quod ex parte Antonii demonstrari posset, quin potius Joanna Maria jurisjurandi religione declaraverit se dissolutioni Sponsalium assensum suum nunquam præbuisse; huic autem juramento, contrariis præser- 12
tim deficientibus probationibus, plurimum deferendum esse dixit *Rot. in recent. dec.* 621. *n.* 12. *par.* 18. *tom.* 2. *et in d. Novarien. Sponsalium* 1. *Julii* 1693. §. *Et omnia cor. bo. me. Muto*.

Quibus omnibus summum robur
addebat Sententia Ordinarii, qui spre-
tis assertis violentiis Antonio illatis,
nullaque habita ratione de commenti-
tio utriusque Sponsi dissensu, qui de
per se aptus fuisset ad executionem
Sponsalium denegandum, unicè motus
ex impictis infirmitatibus Joannæ Ma-
riæ superventis, pronunciavit esse lo-
cum dissolutioni Sponsalium. Quam-
obrem eò minus integrum erat ulte-
riorem instaurare quæstionem super
13 relevantia dictarum exceptionum, quò
plus authoritatis judicio Ordinarii tri-
buendum esse in puncto firmavit *Rot.
in Majoricen. Sponsalium 29. Januarii 1712. §. finali coram clar. mem.
Card. Scotto*.

At enim verò si tam incussio me-
tus, quam jactatus utriusque Contra-
hentis recessus a Sponsalibus oppor-
tunis carebant documentis, multò-
minus hujusmodi perfectorum Spon-
salium dissolutioni legitimam causam
præbere poterat superventus morbus
chlorosis, undè febri laborare, ca-
pitisque doloribus angi visa fuit Joan-
na Maria, adeoùt sicuti Antonius, qui
a Portu Mahonis Massiliam transfre-
taverat perfectius discitурus Aroma-
tariam artem, ad Patriam reversus
Sponsæ faciem optimo destitutam co-
lore, ac undiquè pallore perfusam
14 invenit, ita ejusmodi morbi exce-
ptione se tueri valeat, ne ad exe-
quenda Sponsalia condemnetur ad
*text. in Cap. Quemadmodum 25. §. Quod
si de Jurejuran.*

Quandoquidem ponderabant
DD. Innocentium III. in d. Decretali
enumerasse quidem nonnullas species
gravium, ac perpetuarum infirmita-
tum, ob quarum supervenientiam fit
15 Viro potestas resiliendi a Sponsalibus
etiam juratis, veluti si Mulier fieret
non solum leprosa, sed etiam parali-
16 tica, vel oculum, vel nasum amitte-
ret; Neutiquam tamen Sanctissimum
legislatorem voluisse, ut qualibet
temporaria, & accidentalis infirmitas
Sponsalia legitimè contracta dissolve-
17 ret, prout consentaneè ad d. *text. in
Cap. Quemadmodum §. Quod si de jure-
juran.*, *& in Cap. final. de Conjug.
Lepros.* docent Canonistæ, ac Theo-
logi, & præsertim *Rosignol. de Spon-
salib. lib. 2. prænot. 10. n. 3. Gutierez
de Matrim. cap. 32. in fin. Dicastill. de
Matrim.*, *& Sponsalib. disput. 1. du-
bit. 41. num. 589.*

Propterea que cum ex luculento
testimonio plurium Medicorum, qui
ex decreto Vicarii Generalis Minori-
cæ deputati fuerunt ad invisendam
Joannam Mariam, abundè constiterit
Puellæ morbum nèc gravem fuisse,
neque perpetuum, qualem exigunt
Sacri Canones, ut Sponsalia ritè dis-
solvi possint; quinimò Antonio Spon-
so ad Patriam redeunte febrim, ca-
pitisque dolores cessasse, profectò
nullus supererat titulus, undè præme-
moratus Antonius datam fidem de 18
ineundo Matrimonio implere non te-
neretur. Et quamvis reliquiæ morbi
chlorosis penitus extinctæ non fuerint
in Joanna Maria modico pallore de-
tenta, adhuc tamen tam longè est
ejusmodi levem immutationem vultus
executioni Sponsalium injicere mo-
ram, ut potius experientia rerum
magistra compertum sit Virgines præ-
dicto morbo laborantes plerumque
Matrimonio copulatas sanari juxtaHy- 19
pocratis sententiam in *lib. de morb.
Virgin. num. 30. Zacch. quest. Medic.
legal. lib. 9. tit. 10. quæst. 5. num. 22.*

Quoties igitur constabat de Spon-
salibus ritè, ac rectè celebratis, nul-
laque occurrebat legitima causa, quæ
illorum exequutionem præpediret,
obvia, & planè facilis erat affirmati-
va resolutio secundæ partis propositi
Dubii, in qua de canonica coactione
quærebatur, quoniam Antonius,
*qui de Matrimonio contrahendo purè,
& sine omni conditione fidem dedit,
commonendus est, & modis omnibus* 20
*inducendus, ut pristinam fidem obser-
vet* juxtà optimum *text. in Cap. 2. in
princ. de Sponsal.*, *& Matrim. Cam-
panil. in divers. jur. Canon. rubr. 1.
sub n. 53.*, *Rot. coram Molin. dec. 1325.
num. 18.*, *cor. Falconer. de Miscellan.
decis. 35. num. 2.*, *& in Majoricen.
Sponsalium 25. Aprilis proximè præ-
teriti §. Quo vero coram Me*.

Et ita per contradictas &c.

R. P. D. CLEMENTE DE AROSTEGUI

Majoricen, Sponsalium.

Lunæ 27. Febr. 1747.

Confirmatoria præcedentis.

ARGUMENTUM

Habes in præcedenti Decisione.

SUMMARIUM

1 *Facti species.*

2 *Sponsalia fuisse perfectè contracta probatum remanet, si præsentibus, & collaudantibus communibus Parentibus alter alteri ex Sponsis futuri ineundi Connubii fidem promisit, repromisitque cum mutua annulorum traditione; si Sponsus eamdem fidem ratam habuit in amatoriis suis epistolis ad Sponsam datis, & eadem Sponsalia apud Judicem fassus fuerit.*

3 *Qui prætendit Sponsalia inita fuisse per vim, & metum, debet probare eum intervenisse metum, qui constantem quoquè virum perterruisset.*

4 *Excluditur in Sponso dictus metus, quoties constat, quod post Sponsalia ipse Sponsus ultrò Sponsæ conscripsit epistolas maximè plenas amoris, & testes deponunt mutua, liberaque voluntate absque ulla vi, aut metu celebrata fuisse Sponsalia.*

5 *Juratæ depositioni Sponsæ affirmantis se nunquam dedisse consensum, ut Sponsalia dissolvantur, fides est adhibenda, quoties nulla adest contraria probatio.*

6 *Superventus morbus chlorosis non est ejus generis, ut Sponsalia dirimere possit.*

7 *Hæc ægrotatio est temporaria, ut facilè, cum Virgo Mulier evaserit, perfectè sanari possit.*

DECIS. XLV.

Ad Vot. V. num. 7. 89.



Dversus Rotalem Sententiam, quæ *post Decisionem editam per contradictas die 1. Julii superioris anni coram R. P. D. Bussio* obsignata fuit, protinus reclamavit Antonius Triay constituto Procuratore, segnius quidem modo Jus suum, quod infirmissimum est, prosequitur, vincere tamen hoc ipso existimans, quod longiorem injicit moram ad implenda sponsalia cum Joanna Maria Coranti, ex Rexach solemniter inita. Quare Domini in illius contumaciam rescripserunt: *Sententiam Rotalem esse confirmandam.* 1

Secundum enim ea, quæ proponebantur, plena consurgit Sponsalium probatio, nam communibus ascitis, & collaudantibus Parentibus alter alteri futuri ineundi connubii fidem adpromisit, repromisitque, & mutua deniquè annulorum traditione, veluti in pignus datæ, servandæque fidei, futuras Nuptias comprobarunt: Sponsus præterea non modo ratas diù habuit in amatoriis suis ad Sponsam datis epistolis, sed etiam apud Judicem Sponsalium celebrationem inficiari haud valens, ultrò debuit illa profiteri, cum editis positionibus coactus fuit respondere. Ex hisce autem omnibus quemadmodum in facto de initis Sponsalibus plenè constat *Can. Nostrates 30. quæst. 5., & leg. 1. ff. de Sponsal.* ibique *Cujac. tom. 7. p. 896. lit. D. Gothof. in Cod. Theod. lib. 3. tit. 5. de Sponsal. in illius paratit.* cum aliis *in Causæ Decisione §. 2. & 3., & cor. R. P. D. meo Bussio.* Ita secundum Jus locus esse debet canonicæ coactioni, ut Sponsus seriò commonitus modis omnibus inducatur ad pristinam observandam fidem *Cap. Præterea, & Cap. Ex literis il 2. de Sponsal., & Matrim., & Rot. in disertissima Decisione Majoricen. Sponsalium 25. Aprilis 1746. §. Consilito, & 16. Jan. instantis anni §. Jam vero cor. R. P. D. meo Bussio, & Causæ Decisio §. finali.* 2

Causari non rectè valet Sponsus se per vim, & metum Sponsalia adpromisisse, eaque mox ex Sponsæ dissensu revocata fuisse, atque tandem dissoluta extitisse ob adversam Sponsæ valetudinem ex supervento chlorosis morbo. Enim verò ne apud Ordinarium quidem probare potuit Sponsus in Sponsalium repromissione vim, at-
3 que metum ei fuisse illatum, qui constantem etiam perterruisset Virum: Sed contrarium omnino apparet, tùm quod ipse post celebrata Sponsalia plures familiares ultrò conscripsit Sponsæ
4 epistolas, & æquè omnes maximè amoris plenas, tùm demum, quod locupletissimi testes disertè ajunt mutua liberaque voluntate, nulla nemini illata vi, metuve, legitima celebrata fuisse Sponsalia, uti optimè expendit *Causæ Decisio* §. *Ad effugiendas*.

Sponsæ verò consensus dissolutioni Sponsalium eò minus apud Ordinarium, atque modò legitimè probatur; imò magis eadem Sponsa jurato profitetur, se initis nunquam dissensisse Sponsalibus, neque consensum daturam, ut dissolvantur in posterum. Hujusmodi autem juratæ depositioni,
5 cum nihil quicquam contrafacere videatur, fides præstanda est, sicut probat *præterita Decisio* §. *Consensus*. Adversa deniquè valetudo Sponsæ superventa, quam injustè Ordinarius pro dissolvendis Sponsalibus censuit admittere, nullius planè momenti est: Tùm quod haud illius morbi generis videtur esse,
6 ut possit Sponsalia dirimere secundum *text. in Cap. Quemadmodum* 25. §. *Quod si de Jurejur., et in Cap. fin. de Conjug.* uti explicat *eadem Causæ Decisio* §. *Quandoquidem*, tùm quod secundum plurium Medicorum testimonium temporalia dijudicatur hujusce generis ægrotatio, ut facilè, cum pallens Virgo in Viri manum convenerit, ac Mulier evaserit, liberari, perfectèque sanari possit, ut edocet *Hypocrat. in lib. de Morb. Virgin. n.* 30., & optimè *respondit Causæ Decisio* §. *Propterea que*.

Et ita &c. Unica &c.

EMINENTISSIMO SCOTTO

Viennen. Matrimonii.

Lunæ 25. Junii 1703.

ARGUMENTUM

Tam Stuprum, quam Promissio Matrimonialis probantur conjecturis, & præsumptionibus. Validum est Matrimonium a Viro cum aliqua Fœmina contractum, licet antea aliam Fœminam sub promissione futuri Conjugii defloraverit. Quicumque Prælati Summo Pontifice inferiores impedimenta dirimentia Matrimonium statuere nequeunt.

SUMMARIUM

1 *Judicium jactationis jactationum instituitur in vim* l. Diffamari Cod. de Ingen. & manumiss.
2 *Sponsalia debent per allegantem plenè, & concludenter probari.*
3 *Probantur tamen pluribus præsumptionibus, verisimilitudinibus, & conjecturis simul junctis.*
4 *Præsumptio Sponsalium resultat ex copula inter amantes habita.*
5 *Copula probatur ex epistolis Stuprantis, in quibus illam fatetur.*
6 *Epistola contra Scribentem plenè probat.*
7 *Probatur etiam Copula ex dicto Testis deponentis de confessione Stuprantis.*
8 *Ex angustiis Deflorantis ob signa prægnantiæ Defloratæ.*
9 *Ex oblationibus considerabilis summæ a Deflorante factis Defloratæ.*
10 *Copula uti difficilis probationis etiam ex conjecturis arguitur.*
11 *Quælibet Puella præsumitur Virgo, & asserenti contrarium incumbit onus probandi.*
12 *Non censetur, quod nobilissima Virgo copiam sui corporis fecerit Viro paris conditionis sine præcedenti promissione futuri Connubii.*
13 *Testis ad perpetuam examinatus junctis adminiculis probat.*

14. *Re-*

14 *Retractatio testis tribuenda est præpotentiæ ejus contra quem prius deposuit.*

15 *Attenditur prima depositio testis, non autem Retractatio, quæ præsumitur extorta.*

16 *Testis deponens de communi existimatione, & fama, quod Sponsalia fuerint contracta, facit non leve adminiculum.*

17 *Junctis præsertim circumstantiis continuæ conversationis, & signis amoris inter Sponsos.*

18 *Ad probanda facta secreta admittuntur etiam Testes domestici, qui magis idonei reputantur.*

19 *Non præsumitur, quod Nobilis, & pia Domicella ad probandam promissionem Matrimonialem sibi factam perjurium in perniciem propriæ animæ, & honoris incurrere voluerit.*

20 *Prædictæ conjecturæ, & præsumptiones non singillatim, sed unitim sumptæ plenissimam probationem faciunt.*

21 *Ante Concilium Tridentinum Sponsalia de futuro, subsecuta copula, transibant in Matrimonium*, & num. 46.

22 *Secus post Concilium*, & num. 23. & 47.

24 *Matrimonium controctum in spretum inhibitionis Episcopi, seu Nuncii est irritandum.*

Contrarium num. 27.

25 *Non est irritum Matrimonium contractum in spretum inhibitionis Summi Pontificis, nisi facta fuerit sub specifica, & individua pœna irritationis Matrimonii.*

26 *Non quid petitum, sed quid a Judice concessum fuit attendi debet.*

27 *Interdictum, seu inhibitio Episcopi, vel alterius cujuscumque, qui sit inferior Summo Pontifici non irritat Matrimonium*, & num. 29. 30.

28 *Quicumque Prælati Summo Pontifici inferiores impedimenta dirimentia Matrimonium statuere nequeunt.*

31 *Duo in suo genere imperfecta, juncta simul non efficiuntur majoris potentiæ, quam haberent, si essent separata.*

32 *Declaratur* Cap. Tua Fraternitas de Sponsa duor. *ubi interdictum Episcopi fundabatur non super Sponsalibus, sed super Matrimonio perfecto impeditivo validitatis cujusvis alterius.*

33 *Declaratur* Cap. Ad dissolvendum de desponf. Impub. *ubi interdictum Episcopi habuit effectum, quia concurrebat impedimentum Consanguinitatis pariter dirimens.*

34 *Si causa interdicti est perpetua importans impedimentum de Jure approbatum, irritat Matrimonium.*

35 *Secus si causa sit temporalis, quia tunc Contravenientes subjiciuntur tantum pœnæ propter inobedientiam.*

36 *Impedimentum Sponsalium non connumeratur inter causas perpetuas.*

37 *Licet præjudicium deflorationis in Puella sit perpetuum, non tamen causas impedimentum perpetuum.*

38 *Stuprator sub fide futuri Conjugii tenetur Stupratam in Uxorem ducere, et renuens compelli potest a Judice per Censuras.*

39 *Sed ubi pertinaciter negat contrahere Matrimonium, postquam diu in Censuris permansit, debet absolvi, et quare?*

40 *Præjudicium Defloratæ operatur, quod Deflorans in foro conscientiæ teneatur eam desponsare, si promissio Matrimonialis accesserit.*

41 *Non autem, quod si aliam duxerit etiam contra prohibitionem Ordinarii, Matrimonium irritetur.*

42 *Inter impedimenta dirimentia non est illud præcedentis Deflorationis alterius Fœminæ.*

43 *Declaratur doctrina Abbat. super Causa perpetua prohibitionis.*

44 *Verbum* = simile = *non potest prædicari nisi de aliis similis speciei.*

45 *Auctoritas textus recollecti non per* Gratianum, *sed per* Paleam *vel non est attendenda, vel parvi facienda.*

48 Po-

48 *Potestas interdicendi Matrimonium est specialiter Summo Pontifici reservata.*

49 *Nec comprehenditur inter facultates Nuntiis concedi solitas.*

50 *Legati de Latere, vel Nuntii non possunt interdicere Matrimonia.*

DECIS. XLVI.

Ad Vot. V. num. 9. & seqq.



Onclamante D. Juliana Constantia Comitissa de Lodron, quod D. Hannibal Alphonsus Emanuel Princeps de Portia fuisset, & esset obligatus illam ducere in Uxorem, ex eo quia sub fide Sponsalium etiam cum subsecuta prole illam defloraffet,
1 D. Princeps solitum Judicium jactationis jactationum in vim notæ *l. Diffamari Cod. de Ingen. & manumiss.* instituit contra dictam D.Comitissam de Lodron coram Ordinario Viennensi, a quo ea prolata Sententia sub his terminis, ut = *Si Domina Actrix in supplementum juraverit sibi a D. Principe reo convento Matrimonium promissum esse, mod. dictus D.Reus Conventus eam in Conjugem ducere, & cum ipsa Matrimonium in facie Ecclesiæ solemnizare teneatur*= *Summ. D.Principis diei* 10. *Februarii* 1702. *num.*1. sentiens idem D. Princeps se gravatum, a prædicta Sententia appellavit ad Nunciaturam, a qua deindè emanato Decreto inhibente, ne D. Princeps quidquam, appellatione pendente innovaret, aut illinc discederet sub pœna nullitatis, & atteutatorum *Summ. D. Comitissæ sub dicta die* 10. *Februarii* 1702. *n.*13. iterum D. Princeps provocavit ad S. Sedem, & interim Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit cum D. Dorothea Constantia Comitissa de Thaun.

Proposita autem præsenti Controversia super modo Commissionis in Signaturæ Justitiæ, hæc licet prima vice appellationis Causam commiserit nostro Tribunali cum clausula = *Separatis interim assertis Conjugibus* = tamen ad reclamationem D. Principis delecta prædicta clausula, iterum Commissionem simpliciter relaxavit, eaque mihi directa dedi Dubium = *An constet de Sponsalibus, itaut obstent Matrimonio* = quod pluries in Sacra Rota propositum, & per DD. meos in Turno sedentes qua solent diligentia examinatum, licet absque ulla resolutione, tandem ob gravitatem materiæ, videntibus omnibus DD., fuit in hodierna Audientia resolutum, videlicet = *Constare de Sponsalibus, non tamen ut obstent Matrimonio* =

De Sponsalibus enim constare censuerunt DD., quia licet illa debeant per allegantem plenè, & concludenter probari, ista tamen plena, 2
& concludens probatio constitui potest etiam ex pluribus præsumptionibus, verisimilitudinibus, & conjecturis, 3
ex quibus simul junctis animus Judicis sufficienter instruatur, ut omissis generalibus, in his terminis dixit. *Rot. coram Cæsar. de Graff. decis.*4. *num.*8. *de Sponsal.et Matrim., et coram Emerix Jun. dec.*262. *num.*23.

In hypothesi autem concurrunt non solum præsumptiones Juris, sed etiam probationes facti, quales in hac materia difficilis probationis haberi possunt: Et quidem urgentissima præsumptio talium Sponsalium resul- 4
tat ex copula inter hos amantes Juvenes habita, quæque probata fuit ex epistolis responsivis D. Principis, 5
in quibus, & signanter in tertia data in *Summ. D. Comitissæ diei* 10. *Februarii* 1702. *n.*2. D. Princeps non negat absolutè commercium habitum cum D. Comitissa, sed tantum per hæc verba exaggerat *se nullatenus fuisse suæ impregnationis causam, ex quo cum illa tantum circa finem Martii conversari cœpisset*, indè arguens impossibilitatem, quod D. Comitissa ex ejus concubitu concipere potuisset; Undè sicuti in hac parte ex aliorum forsan maligna suasione deceptus est, dum partus editus die 5. Januarii subsequentis apertè demonstrat, quod non solum possibilis, sed omnino congrua, & verisimilis fuerit conceptio ex eodem in fine mensis Martii, vel principio Aprilis, ita in comperto remanet probatio copulæ ex dictis epi-

stolis

6 ftolis, quæ contra fcribentem plenè probant *Cap.* 1. *De fid. instrument. l. Publia §. final. ff. Depofit. Rot. decif.*168. *num.*9. *par.* 14. *& dec.* 162. *num.*13. *& dec.*170. *num.*1. *par.*15. *recentior.*, *& coram Emerix Jun. decif.*948. *num.*1.

Hoc ipfum comprobant depofitio Comitiffæ de Arco teftantis de Confeffione D. Principis *d. Summ. num.*6. Literæ Baronis de Wechs, in quibus
7 fit mentio de eadem confeffione *Summ. num.*8. Anguftiæ, quibus pre-
8 mebatur Princeps ob figna prægnantiæ, ut colligitur ex epiftolis Medici ab ipfo Principe productis *Summ. num.*1.
9 Oblationes factæ Comitiffæ in confiderabili fumma floren.25. mil. ufque ad 30. mil. *d. Summ. num.*2. 4. *&* 6.; quæ quidem oblationes referri non poffunt ad aliam caufam, quam prædicti Commercii, cum eadem habiti, non vero ad redimendam, ut ajebant Defenfores D. Principis, affertam vexationem, de qua non poterat timere, fi verè innocens fuiffet; & demum Sententia Conciftorii Viennen. lata poft longum examen, & poft auditas oretenus ipfas Partes collitigantes; Ex quibus omnibus vifa eft Dominis concludenter probata dicta copula, quæ utpotè difficilis probationis, etiam ex conjecturis arguitur ad
10 *text. in Cap.* 12. *de præfumpt. Rot. decif.*262. *n.*4. *coram f. m. Alex. VIII. & in Colonien. Nullitatis Matrimonii* 1. *Julii* 1693. §. *Ex quibus coram Rmo D. meo Decano confirmata coram Emerix Junior. Inter ejus impref. decif.*1194. *num.*3.

Pofita copula, inde duo neceffaria confequebantur; Alterum nempè, quod dicatur etiam probatum Stuprum, cum qualibet Puella, & præfertim primariæ nobilitatis præfumatur Virgo, & afferenti fuiffe ab alio
11 cognitam incumbat onus concludenter probandi *Barbof. in Cap.*1. *num.*4. *de Adulter. & Stupr.* ibique *Abb. n.*5. *Rot. coram Pen. decif.* 74. *num.* 11. *& decif.* 767. *num.* 3. *& feqq. par.*18. *recen.* Alterum verò, quod exindè arguatur præcedens promiffio Matrimonii, cum abfque dicta promiffione
12 credi non debeat, quod nobiliffima Virgo copiam fui fecerit Viro paris conditionis, ut tradunt *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *difput.* 22. *num.* 6. *ad med. Ciarlin. contr.* 174. *num.* 68. *et feq.*; *Rot. coram Cæfar. de Grafs. decif.* 3. *num.* 7. *de Sponfal. et Matrim. et coram Coccin. decif.*1834. *num.* 4. *et in Avenionen. Dotationis* 19. *Junii* 1684. §. *Nec obeffe coram Albergat. et in altera Avenionen. Dotationis* 3. *Martii* 1692. §. *Quoad factum erga med. coram R. P. D. meo Caprara, et in Pampilonen. Matrimonii* 23. *Junii* 1702. §. *Tanto magis coram R. P. D. meo Lancetta*.

Tranfeundo ad conjecturas, ultra præfumptionem orientem ex copula, non leve adminiculum eorumdem Sponfalium præftat depofitio teftis relati in *dict. Summ. num.* 17. teftantis de confeffione extrajudiciali D. Principis, qui teftis licet ad perpetuam tantum examinatus, & unicus, tamen junctis aliis adminiculis probat 13
Adden. ad Buratt. decif. 113. *num.* 41. *Rot. coram eod. decif.*228. *num.* 4.; *& decif.* 376. *num.*6. *coram Merlin. & in recen. dec.*87. *num.* 4. *&* 5. *par.*6. Non obftante, quod teftis depofitionem fuam retractaverit, quia hujufmodi retractatio vel tribuenda eft præpotentiæ D. Principis, vel non eft 14
habenda in confideratione, cum prima depofitio teftis potius fit attendenda, quam fecunda, quæ præfumitur 15
extorta *Rot. dec.*66. *n.*4. *p.*6. *& dec.*109. *num.* 17. *par.* 17. *recen. & in Lunen. Sarzanen. Lucri Dotali* 17. *Maii* 1696. §. *Hinc nullius relevantiæ coram Rmo D. meo Decano*.

In idem collimat depofitio alterius teftis formiter in Urbe examinati, qui licet directè non poffit de dictis Sponfalibus deponere, tamen tefta- 16
tur de communi exiftimatione, & fama quæ facit non leve adminiculum ad *text. in Cap. Illud quoque de præfumpt.* ibique *Abb. n.*4. *in fin. Gonzalez n.* 4. *verb. Fama Viciniæ Ciarlin. contr.* 174. *num.*71. *Sanchez de Matrim. lib.*1. *difput.* 71. *num.* 13. *& feqq.* junctis præfertim circumftantiis continuæ con- 17
verfationis, & fignis amoris, de quibus deponit idem teftis, ut in fortioribus terminis dixit *Rot. in Leodien.*

dien. Matrimonii 29. *Aprilis* 1699. §. *Sed ex abundanti coram R. P. D. meo Priolo*, & 14. *Maii* 1700. §. *Si vero*, *et seq.*, *et* 22. *Aprilis* 1701. §. *In quorum omnium coram R. P. D. meo Lancetta*.

Accedit depositio Intimæ Cubiculariæ D. Comitissæ, quæ testatur D. Principem solum permansisse pluribus vicibus de nocte cum D. Comitissa, & cum eadem Cubicularia exclamasset contra D. Principem, ipse semper responderit, quod dictam D. Comitissam esset ducturus in Uxorem *Summ. ejusdem diei 6. Octob.* 1702. *num.* 1. Absque eo quod d. Testi obstare debeat exceptio famulatus, quia ad probanda hujusmodi facta secreta admittuntur etiam testes domestici,
18 qui magis idonei reputantur *Gonzalez in Cap. Cum inhibitio* 10. *de Clandest. desponsat. Sanchez de Matrim. disp.* 41. *num.* 5. *Rot. in Leodien. Matrimonii* 22. *Aprilis* 1701. §. *Nèc prædictis erga fin. coram R. P. D. meo Lancetta*.

Demum plurimum urget juramentum a D. Comitissa præstitum in executionem Sententiæ Concistorii Viennen. super veritate dictorum Sponsalium, cum non sit præsumendum Nobilem, & piam Domicellam adeo solemne perjurium in perniciem propriæ animæ, & honoris incurrere
19 voluisse, ut ad propositum ponderant *Abb. in Cap. Juramentum num.* 13. §. *Sanè de Jurejur. Bold. cons.* 123. *in fin. tom.* 2. *Sperell. decis.* 75. *n.* 59. *Rot. in Novarien. Sponsalium* 1. *Julii* 1693. §. *Et omnia fortius roborantur cor. R. P. D. meo Muto*.

Et quamvis supradicta omnia singillatim ponderata aliquam paterentur difficultatem, unitim tamen sumpta, prout fieri debet in materia difficilis probationis, & in qua testes adhiberi non solent, DD. visa sunt plenissimam probationem dictorum Sponsalium constituere, ut dixit *Rot. de-*
20 *cis.* 715. *num.* 15. & *decis.* 2242. *n.* 18. *coram Coccin.* & in nostris præcisis terminis *coram Cæsar. de Graff. decis.* 4. *num.* 8. *de Sponsal. & Matrim. & decis.* 262. *num.* 23. *cor. Emerix Jun.*

Descendendo jam ad secundam partem Dubii responderunt DD., quod ex prædictis constito etiam de Sponsalibus, adhuc ista non obstent validitati Matrimonii, & resolutionis ratio ea fuit, quia licet ante *Concilium Tridentinum* Sponsalia de futuro subsecuta copula adeo transirent in Matrimo- 21
nium, ut essent impedimento cuicumque alteri juxta text. in *Cap. Is qui* 30. *de Sponsal. et Matrim.* hodie tamen post emanatam prædictam *dispositionem Conciliarem*, per quam Matrimonia præsumpta sublata fuere, ut 22
in *Sess.* 24. *de reformat. Matrim. cap.* 1. & notant *Gonzalez in dict. Cap. Is qui num.* 2. ibique *Fagnan. n.* 8. *de Sponsal. et Matrim. Card. de Luc. annot. ad Concil. Trident. disc.* 26. *num.* 8. Sponsalia prædicta etiam cum subsecuta copula Matrimonium postea contractum non valent irritare, cum permaneant 23
in eadem sphera simplicium Sponsalium, nèc in Matrimonium transeant, ut tradunt *Navarr. in Manual. cap.* 22. *num.* 26. 29. *et* 76., *et cap.* 25. *n.* 144. *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 40. *num.* 3. *Guttierez Canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 4. *Cartar. decis. crim.* 21. *num.* 4. *Rot. decis.* 19. *num.* 36. *et seqq. par.* 10. *recen.*

Nèc obstat, quod ultra Sponsalia de futuro cum subsecuta copula, in præsenti intercesserit etiam non solum Lis, sed Inhibitio tàm Episcopi Viennen., quàm Rmi Nuncii, ideoque Matrimonium in spretum hujusmodi interdicti contractum sit irritandum juxta text. in *Cap. Tua Fraternitas* 4. 24
de Sponsa duor., *et in Cap. Ad dissolvendum* 13. *de desponsat. Impuber.* Quidquid enim sit, an hujusmodi Inhibitiones contineant Decretum irritativum futuri Matrimonii, de quo non leviter dubitari poterat, dùm interdictum Curiæ Episcopalis prohibet tantum transitum ad alia Vota sub pœna gravi, illud vero Nunciaturæ inhibet D. Principi, ne appellatione pendente quidquam immutet, neque illinc discedat sub pœna nullitatis, & attentatorum, & sic nullam præcisam mentionem facit Matrimonii contrahendi, cum tamen speciale sit in hac materia, quod requiratur specifica, & individua irritatio Matrimonii, ut in fortioribus terminis etiam interdicti 25
ab

ab ipso Summo Pontifice emanati tradunt *Abb. in Cap. Ad dissolvendum in fin. de desponsat. Impub.* ibique *Præpositus num.9.vers. Aut loquimur Barbos. num.5. Sanchez de Matrim. lib.7. disput. 2. num.11.* Non attento, quod Comitissa in dicto Tribunali Nunciaturæ petierit inhiberi D. Principi, ne Matrimonium cum alia contraheret sub pœna nullitatis, quia non quid
26 petitum, sed quid a Judice concessum fuit, attendi debet *Innoc. in Cap. Super literis verb. In communi forma de Rescript. Rot. decis.88. num.2. coram Buratt. et decis.144. num.30. par.15. recentior.*

Certum apud DD. visum fuit, quod solum interdictum Episcopi, vel alterius cujuscumque, qui sit inferior
27 Summo Pontifici, non irritat Matrimonium, sed tantum operatur, ut Contrahentibus, non obstante dicto interdicto, injungatur pœnitentia ob contemptum Judicis Ecclesiastici inhibentis, ut sunt text. expressi in *Cap. Literæ, & Cap. Ex literis de Matrim. contract. contr. interdict. Eccles.* & tradunt *Ancharan. d. Cap. Ex literis num. 3. & seqq.*; ibique *Barbos. num.1. Marian. Soccin. in Cap. Licet num.7. de Spons. duor. Fagnan. in Cap. Literæ a num. 5. ad 10. de Matrim. contract. contr. interdict. Eccles. Sanchez de Matr. lib.7. disput.2. num.2. & disput.6. num. 5. & 6.*

Et ratio est, quia Prælati quicumque Summo Pontifici inferiores
28 facultatem non habent statuendi impedimenta dirimentia Matrimonium, sive in genere, sive in casu particulari, præter ea, quæ Ecclesia approbavit, inter quæ non continetur Inhibitio Episcopi, vel alterius Prælati in-
29 ferioris, ut signanter animadvertunt *Abb. in Cap. penult. de desponsat. Impuber. in fin. Covarruv. in 4. par. Decretal. par.2. cap.6. §.6. num.6. Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 1. n.9. & disput. 2. num. 2. Pignatell. consult.151. num.19. tom.1.* etiamsi interdictum Prælati inferioris innitatur
30 præcedentibus Sponsalibus, & deflorationi, quia cum nèc Sponsalia cum copula, nèc Inhibitio Judicis Ecclesiastici per se, & separatim sumpta sint tantæ efficaciæ, quod sequens Matrimonium valeant irritare, ut hactenus probatum fuit, neque simul unita talem effectum operari valent, cum duo in suo genere imperfecta, juncta simul non efficiantur majoris potentiæ, quam haberent, si essent separata, 31
ut sunt *text. in d. Cap. Literæ, & Cap. Ex literis de Matrim. contract. contr. interdict. Eccles.* & ponderata hac ratione optimè firmant *Ancharan. cit. Cap. Ex literis num. 3. Soccin. Jun. in Cap. Licet de Spons. duor.*

Neque in his terminis visi sunt posse applicari *text. in Cap. Tua fraternitas, & Cap. Ad dissolvendum* in objecto allegati, quia irritatio Matrimonii in dictis casibus non processit ex vi interdicti Ecclesiæ, sed ratione causæ, ob quam emanavit interdictum; In *Cap.* enim *Tua fraternitas* interdictum Episcopi fundabatur super præcedenti desponsatione per verba de præsenti, quæ continet perfectum Matrimonium impeditivum va- 32
liditatis cujuscumque alterius; In casu vero *Cap. Ad dissolvendum* concurrebat impedimentum Consanguinita- 33
tis pariter Matrimonium dirimens, ideòque patens fit, quod non tam attendendum sit interdictum, quam causa interdicti, quæ si perpetua est importans impedimentum de Jure approbatum, irritat Matrimonium, si 34
vero est temporalis, Matrimonium non remanet nullum, sed tantùm contravenientibus imponitur pœna pro- 35
pter inobedientiam, ut probat *Gloss.* communiter recepta in *d. Cap. Tua fraternitas verb. Poteris irritare de Spons. duor. Abb. sup. d. Cap. Tua fraternitas num.4. & Cap. Ad dissolvendum num.10. de despons. Impuber. Henric. Boich. in Cap. De Muliere num.2. de Matrim. contract. contr. interdict. Eccles.* ibique *Gonzalez num.2.*

Impedimentum autem Sponsalium etiam cum subsecuta copula non potest connumerari inter causas per- 36
petuas, quæ ad hunc effectum requiruntur, quia licet præjudicium deflorationis in Puella sit perpetuum, non tamen causat impedimentum per- 37
petuum; nam Stuprator tenetur quidem Stupratam Puellam in Uxorem

Hhh ducere,

38 ducere, & renuens compelli potest a Judice Ecclesiastico per Censuras *Cap. 1. et 2. de Adulter. Fagnan. in Cap. Is qui fidem num. 15. de Sponsal. Rot. in Pampilonen. Matrimonii 23. Junii 1702. § fin. cor. R.P.D. meo Lancetta*, sed ubi pertinaciter negat Matrimonium contrahere, Ecclesia non supplet consensum, nec ad illum præstandum præcisè compellit, sed postquam renuens consensum præstare diù in Censuris permansit, debet ab-
39 solvi, ne alias deficiat liber consensus ad Matrimonium omnino requisitus *Gloss. in d. Cap. 2. de Adulter. Fagnan. in Cap. Pervenit num. 1. & 2. de Adulter. Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 29. num. 8. Addent. ad Buratt. decis. 311. num. 5. Rot. cor. Manzaned. decis. 610. num. 1.*

Et qualitas gravis præjudicii Sponsæ illati poterit quidem operari,
40 quod Deflorans in foro conscientiæ præcisè teneatur ducere Defloratam, non autem, quod si aliam duxerit
41 etiam contra prohibitionem Ordinarii Matrimonium irritetur, cum ad hujusmodi effectum, ut supra dictum est, non sufficiat qualibet causa permanens, & perpetua, sed requiratur ut sit talis, quæ ipsum Matrimonium dirimat, videlicet altera ex illis, quas tantummodo pro dirimentibus Eccle-
42 sia approbavit, & inter quas non adest illa deflorationis, ut tradunt *Butr. in Cap. Tua Fraternitas sub num. 5. de Spons. duor. Fagnan. in Cap. Literæ num. 4. §. Nota de Matrim. contract. contr. interdict. Eccles. Hostien. in Summ. sup. Cap. Tua fraternitas n. 3. Marian. Soccin. eod. tit. num. 4. Pont. de Matrim. lib. 6. cap. 7. num. 4. in fin. Barbos. Vot. dec. 114. num. 13. & seqq. Francisc. Marc. decis. Delphinat. 539. per tot. Cartar. decis. crim. 22. n. 12.*

Non adversantibus auctoritatibus, quæ in contrarium allegabantur;
43 Nam *Abb. in Cap. Tua Fraternitas* quamvis firmet, quod causa perpetua prohibitionis sit quando prohibetur aliquid fieri propter malum, quod indè sequi potest, tamen ibidem non loquitur de nullitate Matrimonii, sed in genere de actibus nullis, & qui fiunt contra legem; ubi vero descendit ad contractum Matrimonii, causam perpetuam exemplificat in Consanguinitate, vel similibus = ibi = *vel prohibetur Matrimonium fieri propter Consanguinitatem, vel quid simile* = 44
quod verbum *simile* non potest non prædicari, nisi de aliis impedimentis similis speciei, & habentibus juxta sanctiones Ecclesiasticas qualitatem dirimentis *Rot. cor. Seraphin. dec. 1384. num. 1. & coram Cavaler. decis. 162. num. 2. & in recen. decis. 355. num. 12. par. 17.*

Text. vero in *Can. Videtur 35. quæst. 6.* non erat attendendus, vel quia non est ex recollectis per *Gratianum*, sed per *Paleam* ejus Discipulum, cujus auctoritatem esse parvi faciendam notum est, & tradit *Cened. in Collectan. 16. ad Decret. num. 8.*, 45
vel quia emanavit ante promulgatum *Concilium Tridentinum*, de quo tempore Sponsalia eum subsecuta copula 46
transibant in Matrimonium præsumptum juxta *text. in Cap. Is qui de Sponsal. & Matrim.* Et eidem censuræ subest auctoritas *Præpositi Papiensis in Cap. 1. de Matrim. contract. contr. interdict. Eccles.*, & quotquot aliæ in contrarium allegari possent, nam dictus *Præpositus* scripsit longè ante *Concilium Tridentinum*, & propterea dato etiam, quod illius auctoritas antiquis temporibus subsisteret, nunc certum est non esse attendendam, eum ex forma præscripta a *Sacro Concilio* Matrimonia clandestina, seu præsumpta resultantia ex Sponsalibus cum copula, sint irrita, & nulla, ut præter 47
adductos in §. *Descendendo* firmat *Gonzalez in Cap. Is qui num. 2.* ibique *Fagnan. num. 4. de Sponsal. & Matrim.*

Nullius denique momenti visum fuit, quod Inhibitio processerit a Nuntio Apostolico, & ideo habenda sit, ac si esset Inhibitio Papæ, nam cum potestas interdicendi Matrimonium sit specialiter reservata supremæ auctoritati Summi Pontificis *Abb. in Cap. penult. in fin. de desponsat. Impuber. Ancharan. ibidem num. 7. Pignatell. consult. 151. num. 19. tom. 1.* 48
comprehendi non potest inter facultates Nuntiis concedi solitas, quæ nunquam extenduntur ad specialiter 49
Sum-

Summo Pontifici reservata, nisi individua illarum mentio concurrat *Barbos. de Jur. Eccles. Univers. lib. 1. cap. 5. num. 25. Gambar. de Offic. & potest. legat. a latere lib. 1. tit. de var. ordin. num. 415. Rot. coram Cerro decis. 10. num. 8.* & in præcisis terminis, quod Legati a latere, vel Nuntii non
50 possint hujusmodi interdictum concedere docet *Honor. ad tit. Decretal. de Matrim. contract. contra interdict. Eccles. sub num. 1.*

Et ita Utraque Parte acriter informante resolutum fuit.

EMINENTISSIMO MILLINO;

Tuden. Sponsalium.

Veneris 20. Januar. 1747.

Confirmatoria præcedentium Decis. 7. & 8.

ARGUMENTUM

Habes in prædicta Decis. 7.

SUMMARIUM

1 *Sponsalia perficiuntur per promissionem unius, & repromissionem alterius.*

2 *Verba* = Volo in meam legitimam Sponsam D. Josepham de Pardo = *motum voluntatis directæ ad futura Sponsalia, non actum determinatum, ac de præsenti perfectum designant.*

3 *Verba, quæ explicant voluntatem negativam ducendi, & capiendi aliam Mulierem, referri debent ad actum futurum, nèc inducunt promissionem de præsenti.*

4 *Per verbum* = volo = *& duplicem negativam nonnunquam constituitur promissio obligatoria de præsenti, si in eamdem obligationem confluant argumenta certæ, ac firmæ voluntatis, nullamque expectantis perfectionem a futuro.*

5 *Ad contrahenda Sponsalia de præsenti requiritur repromissio Sponsæ.*

6 *Neque hæc repromissio suppletur ex quo Puella receperit, & custodierit Apocham Sponsalium a Viro subscriptam, & epistolas amatorias ab eo sibi missas.*

7 *Mutua promissio explicari debet aut per expressam declarationem, aut per signa certa, & univoca.*

8 *Promissio solvendi certam Summam Sponsæ in casu non adimplementi Sponsalium non valet, utpote directa ad afferendam necessitatem Sponso ducendi Uxorem eamdem Sponsam, quæ proindè adimit libertatem, quæ in Matrimoniis integra, & illæsa esse debet,*

9 *Quamvis eadem Summa promissa fuerit titulo Dotis.*

10 *Promissio etiam egregiæ Summæ nomine arrharum Sponsalitiarum non est valida.*

11 *Ob justam causam Sponsus recedere potest a Sponsalibus.*

DECIS. XLVII.

Ad Vot. V. n. 7. & ad Vot. VI. n. 135. 158.



A B eximia spe sibi comparandi decoras Nuptias cum Nobili Adolescente Antonio Bernardo de Mosquera depulsam se videns Josepha Pardo per Sententiam Rotalem, duabus præeuntibus Decisionibus editis *die 21. Martii, & 21. Junii anni nuper elapsi latam a R. P. D. meo Caprara*, qua fuit definitum de Sponsalibus ipsos inter initis non constare, & quamdam Syngrapham ab Antonio subscriptam non esse exequendam, refugit ad appellationis præsidium, cujus Causa mihi commissa, fuit hodie, pluries antea monito ejus Procuratore, & ad Judicium adesse detrectante, propositum Dubium consuetum = *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda* = prodiitque resolutio pro confirmatione Sententiæ.

Effulgebat justitia Sententiæ Rotalis, idcircò confirmatione dignæ ex fundamentis, in quibus utraque Decisio innititur: Et profectò quomodo à tenore Apochæ educi posset repromissio illa futurarum Nuptiarum, qua 1
Sponsalia fiunt, juxtà *tex. in leg. 1. ff. de*

de Sponsal. assequi datum non erat ; Si enim expendantur verba illa initialia = *Volo in meam legitimam Sponsam D. Josepham de Pardo* = ea potiùs motum voluntatis directæ ad futura Sponsalia , quam actum determinatum , ac
2 de præsenti perfectum designare docent *Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 18. n. 22. 25. et seq.* , *Bonaccin. tit. de Sponsal. quæst. 1. punct. 1. n. 3. tom. 1. Pont. de Matrim. lib. 2. tit. de Sponsal. cap. 2. num. 2.* , *Rot. coram Rox. decis. 411. num. 5.* , *coram Lancett. decis. 682. num. 5.* , *et seqq.* , cum aliis in utraque *Decisione R. P. D. mei Caprara* utrobique §. 3. , adductis.

Sin autem dispiciantur verba sequentia , quæ explicant voluntatem negativam ducendi , & capiendi aliam Mulierem , & ipsa referenda esse ad
3 actum futurum , nec inducere promissionem de præsenti tradunt *Anaclet. in Jus Canonic. lib. 4. tit. de Sponsal. §. 2. n. 33. Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 19. num. 1.* , *& seqq. Panimol. decis. 23. annot. 1. num. 8. Rot. dec. 656. num. 4. par. 4. rec. tom. 3.* , & resolutum fuit per Sacram Congregationem Concilii *in Vintimilien. Sponsalium 1. Junii* 1709. ; Et quamquam verbo = *volo* = & duplici negativa nonnumquam constituatur promissio obligatoria de præsenti , id tamen tùm demùm admitti potest , cum in hujusmodi obligationem confluunt argumenta certæ , ac firmæ voluntatis , nullamque expectantis perfectionem a futuro , ut latè explicat
4 *Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 18. num. 16.* , *& seqq. & disput. 19. n. 9. Panimol. dec. 23. adnot. 1. n. 8. & 9.*

Ad hæc defuit repromissio Josephæ , quam opus erat interponi , ut
5 coalesceret obligatio ineundi Sponsalia de præsenti , ad *text. in Cap. Tuæ de Sponsal. Fagnan. in Cap. Si inter Virum num. 3. de despons. Impuber. Rot. in Tridentina Sponsalium 2. Junii 1738. §. Ejusdem coram R. P. D. meo Bussio* ; *& in Cadicen. Sponsalium 6. Junii 1738. §. 4. coram R. P. D. meo de Vais* . Neque repromissio hujusmodi suppletur , ex quo Josepha recepit , & custodivit Syngrapham ab Antonio subscriptam , & epistolas amatorias sibi ab eo missas ; Quemadmodùm namque tali modo nèc ipsa fi- 6
dem suam despondit Antonio , nèc obligationis nexu illi se devinxit , sic videtur haud satis explicasse mutuam promissionem , quæ aut expressam declarationem , aut saltem promanantem a signis certis , & univocis requi- 7
rit , ex notatis per *Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 5. num. 5. Card. de Luc. de Matrim. discur. 8. n. 4.* , *& 5. Ursaya discept. 18. num. 29.* , *& seqq. tom. 1. Panimol. dec. 23. num. 3. Rot. coram Lancett. dec. 682. num. 1.* , *& in Cadicen. Sponsalium 6. Junii 1746. §. 7.* , *& 8. coram R. P. D. meo de Vais.*

Rectè igitur per hasce rationes , aliasque relatas in Decisionibus Causæ , Sententia Rotali definitum fuit non constare de Sponsalibus , nullamque in consequens ab Antonio susceptam esse obligationem , qua impediretur nuncium remittere Josephæ , æquali tamen Justitia fuit denegata executio Apochæ in ea parte, quæ continet pollicitationem ab eodem Antonio emissam solvendi Josephæ summam ducat. 3. m. , si contigisset eum ad Ecclesiasticum statum divertere ; hæc enim pollicitatio utcumque fuerit concepta , directa erat ad afferendam necessitatem Antonio , ut Uxorem duceret dictam Josepham , illique adimebat libertatem , quam in contractu Matrimonii cuique inte- 8
gram , ac illæsam leges esse voluerunt ; proindèque firmitatem aliquam obtinere non valuit , ad *text. in Cap. Gemma 29. de Sponsal.* , ibique notata per *Ant. de Butr. num. 7. Gonzal. num. 4. Lancellot. Instit. Canon. lib. 2. tit. 10. de Sponsal. § 28. Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 30. n. 2. & seqq.* , cum aliis in *prima Decisione R. P. D. mei Caprara §. Idemque* .

Parumque refert eidem promissioni adjunctum fuisse titulum Dotis : Non enim per hoc vires assumere va- 9
luit , cum nihilominùs apertam afferat diminutionem libertati Matrimonii , ut quæ maximè continet summam satis ægregiam , cujus promissionem ne arrharum quidem Sponsalitiarum nomine validam esse tradunt *Joann. And. in Cap. Gemma num. 9.* ibiq. *Abb. num. 8.*

*num.*8. *de Sponsal. Sanchez de Matrim. lib.*1. *disput.*35. *n.*7. *Ro. coram Priol. decis.* 306. *num.* 2. *&* 3., & ulteriùs justam ob causam Antonius fuit distractus, nè Matrimonium contraheret cum Josepha, ut observat *prima Causæ Decisio* §. *Cæterum*, qua ratione eo minùs adigendus est ad implendam
11 promissionem in Apocha contentam, ad firmata per *Pirhing. in Jus Canonic. lib.*4. *tit.*1. *Sect.*1. §.4. *n.* 23. *versic. Extendunt, Van. Espen. in Jus Ecclesiastic. par.*1. *tit.*12. *cap.*2. *num.*14.*& seqq. Boss. de Matrim.cap.*11. §.5.*n.*36.
Et ita &c. Unica &c.

EADEM CORAM EODEM

Super Cautione.

*Vener.*20. *Januar.*1747.

ARGUMENTUM

Cautionem de refectione expensarum petitam in tertia instantia a Reo convento super observatione Sponsalium præstare tenetur Puella pauper Adversaria, quæ in qualibet Instantia succubuit.

SUMMARIUM

1 *Probata ægestate Puellæ agentis pro observatione Sponsalium, quæ in qualibet Instantia succubuit, eadem cogi debet ad præstandam favore Adversarii Cautionem de refectione expensarum, ut prævertatur illusio Judicii.*

2 *Quia probata Paupertate Puellæ, & reportata Sententiarum favorabilium præcedenti victoria per suum Adversarium, eo magis crescit suspicio elusionis Judicii, & est locus præstationi Cautionis, quamvis in tertia Instantia petita.*

DECIS. XLVIII.



Conspectu consilii urgendi litem super Sponsalibus institutam, quod altè infixum in animo Josephæ Pardo probè noverat Antonius Bernardus Mosquera, operæ pretium fore sibi duxit suæ indemnitati prospicere, petendo subscriptionem Dubii super præstatione Cautionis de refectione expensarum in hæc verba concepti = *An sit locus præstationi Cautionis itaùt aliàs Collitigans sit repellenda a limine Judicii* =

Hoc igitur dubio una cum altero super negocio principali hodiè proposito, prodiit responsio secundum Informantem; Ei siquidem justè negari non poterat expostulata Cautionis præstatio, quia propter ægestatem Josephæ concordibus testium depositionibus probatam probabiliter timeri potest eam imparem futuram refectioni expensarum, quæ, si victa fuerit, erit subeunda; qua ratione par, æquumque est consuli Antonio per præstationem Cautionis, qua prævertatur illusio Judicii, ad tradita 1
per *Ansald. de Commerc. discur.* 92. *num.*38., *& seqq. Ro. coram Emerix Jun. dec.*1132. *num.*4., *coram Molines decis.*1134. *num.* 6., *in Romana, seù Sarzanen. Fideicommissi super Cautione* 18. *Junii* 1731. §. *Quidquid, & seqq. coram Eminentissimo D. meo Card. Crescentio.*

Haud quaquam officiente, quod Causa versetur in tertia Instantia, quia posita hinc paupertate Josephæ, hinc Sententiis, quas Antonius sibi favorabiles reportavit, eò magis crescit suspicio elusionis Judicii, sitque locus præstationi Cautionis, etiamsi fuerit petita in tertia Instantia, ad sensum 2
Castren. consil. 407. *in fin. lib.* 1. *Rot. coram Bich. dec.* 121. *n.* 12. *& seqq., & in Constantien., seù Augustana Restitutionis in integrum super Cautione* 30. *Junii* 1741. §.7. *coram R. P. D. meo Vicecomite.*

Et ita &c. Unica &c.

R.P.D.

R. P. D. HARRACH

Surrentina Sponsalium

Lunæ 8. *Februar*. 1734.

ARGUMENTUM

Ad justificanda Sponsalia requiruntur probationes omnino concludentes. Non sunt perfecta Sponsalia nisi constet ea fuisse inita mutuo Contrahentium consensu. Probatum non remanet Stuprum sub fide Matrimonii per solam assertivam Fœminæ suppositæ Stupratæ præsertim contra Juramentum Viri se Stuprum commisisse negantis. Non est locus coactioni, si præsertim Sponsalia non sint jurata, quando ob induratam Renuentis reluctantiam, ob vilem alterius Sponsi qualitatem, & ob diuturnam litis continuationem infelix exitus ex futuro Matrimonio timetur.

SUMMARIUM

1 *UT constet de Sponsalibus, exhiberi debent probationes omnino concludentes.*

2 *Testes Consanguinei Fœminæ agentis pro adimplemento Sponsalium non sunt idonei ad probanda ipsa Sponsalia, quia agitur de redigendo Hominem liberum in servitutem.*

3 *Neque testes singulares, et deponentes de auditu.*

4 *Verba, quibus Vir manifestavit suam voluntatem ducendi certam Fœminam in Uxorem, seu quod optabat cum ea contrahere Matrimonium, non sunt apta ad inducenda Sponsalia.*

5 *Pro validitate Sponsalium non sufficit unius promissio, sed copulativè requiritur acceptatio, seu repromissio alterius.*

6 *Ex traditione parvorum munerum facta per Virum Fœminæ, non probatur, quod inter eos inita fuerint Sponsalia.*

7 *Stuprum sub fide Matrimonii non probatur per solam assertionem Fœminæ suppositæ Stupratæ præsertim contra Juramentum Viri se Stuprum commisisse negantis.*

8 *Ex assidua familiaritate a Viro habita in propria domo cum Fœmina ejus famulatui addicta etiam diù continuata non emergit probatio, quod inter eos contracta fuerint Sponsalia.*

9 *Maximè si Fœmina etiam cum aliis Amasiis familiaritatem habebat.*

10 *Multo magis si Vir ea vidente, et præsente cum alia Puella Sponsalia contraxit, cui ipsamet nomine ejusdem Viri deindè munera detulerit.*

11 *Hinc enim oritur præsumptio, quod vel nulla fuerint antea contracta Sponsalia.*

12 *Vel quod illis, quatenus fuerint contracta, tacitè Fœmina renunciaverit.*

13 *Non est locus coactioni quando non constat de Sponsalibus.*

14 *Sac. Rota abstinere solet a coactione quando Sponsalia non sunt jurata, et ob induratam Viri reluctantiam, ob qualitatem Mulieris vili famulatui addictæ, et ob diuturnam litis continuationem infelix exitus ex futuro Matrimonio timetur.*

DECIS. XLIX.

Ad Vot. III. num. 10. & ad Vot. IV. n. 132. & seqq., & ad Vot. V. num. 7. 57. & seqq., & ad Vot. VI. n. 42. & seqq., & ad Vot. VII. num. 60. 71. 74. 103. & seq., & 105. & seqq.



Prætendens Angela Marescà, quod Nicolaus de Martino sibi fidem dedisset de ineundo cum ea Matrimonio, comparuit in Curia Archiepiscopali Surrentina, ut impedimentum præberet Matrimonio contrahendo per dictum Nicolaum cum Candida Grosso, & à Vicario Generali dictæ Curiæ obtinuit Decretum petitioni conforme; Delata autem Causa ad nostrum Tribunal per appellationem à Nicolao interpositam, hodiè ad ejus instantiam exhibui Dominis meis Dubium = *An constet de Sponsalibus*,

falibus, *itaut sit locus coactioni* = & prodiit in omnibus resolutio negativa juxta vota Nicolai informantis;

Sponsalia siquidem excludi potius, quam probari visa sunt ex iis, quæ in Processu Causæ deducta fuerunt, & ideò nequibat constare de Sponsalibus, ad quem effectum exhi-
1 beri debent probationes omnino concludentes per *text. in Cap. unico §. Porro*, ibique *Gloss. de desponsat. impuber. in 6. Wames consf. 526. n. 2. tom. 2. Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 3. num. 1. Sperell. dec. 95. num. 9. Rot. cor. Lancett. dec. 682. num. 1.*

Testes enim judicialiter examinati, ultra quod eorum plures sunt ipsius Angelæ Consanguinei, & ideo in hac gravi materia, in qua agitur
2 de redigendo Hominem liberum in servitutem, non sunt testes idonei per *text. in l. Parentes Cod. de Testib.*, *Rot. in Leodien. Matrimonii 28. Junii 1720. §. Et sanè cor. bon. mem.*
3 *Foscaro*; Alii vero sunt singulares, & deponunt de auditu, undè nullam constituunt probationem *Rot. in rec. dec. 267. num. 13. part. 18.*; Profectò asserta Sponsalia non concludunt, cum tantum deponant, quod Nicolaus de
4 Martino sæpè suam manifestaverit voluntatem ducendi in Uxorem dictam Angelam, seu quod optabat cum ea contrahere Matrimonium, ex quibus sanè verbis argui nequit ulla promissio de contrahendo Matrimonio, sed illa, cum præseferant potius voluntatem imperfectam, & de futuro, non sunt apta ad inducenda Sponsalia, ut tradunt *Bonaccin. de Sponsal. quæst. 1. punct. 1. num. 3., Piton. discept. Eccles. 52. num. 74. vers. Et in fortioribus, Panimoll. dec. 23. num. 6. Rot. in rec. d. dec. 267. num. 5. part. 18.*, *et cor. Emerix Jun. dec. 195. num. 5.*

Præterea etiamsi ex dictis verbis colligi posset certa, ac determinata Nicolai voluntas, ejusque promissio de contrahendo Matrimonio cum Angela; Attamen quia Testes non affirmant, quod eadem Angela talem promissionem acceptaverit, mutuoque confirmaverit consensu, nunquam censeri poterat contracta legitimè fuisse Sponsalia, pro quorum validitate non sufficit unius promissio, sed requiritur copulativè acceptatio, seù repro- 5
missio alterius Contrahentis, cum agatur de contractu, qui ad sui substantiam exigit mutuum, ac reciprocum utriusque Contrahentis consensum per *text. in l. 1. ff. de Sponsal. et Cap. Tuæ eodem tit. Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 5. num. 5.*, *Card. de Luc. eodem tract. disc. 8. num. 4.*, *Rot. cor. Celso dec. 374. num. 3.*, *coram Emerix Jun. dec. 1885. num. 4.* apud *Card. de Luc. dec. 6. num. 1. lib. 14. tom. 2.*, *et coram Lancett. dec. 682. num. 4.*, *et cor. Rmo Crispo dec. 572. num. 1.*

Minusque ulla concludens Sponsalium probatio desumi poterat ex quo Angela receperit à Nicolao quædam parva munera; Quoniam dicta munerum traditio, illorumque receptio erant signa admodum æquivoca, veluti quæ referri valebant ad Viri gratuitam largitionem, & ad Mulieris avaritiam, aut ad alias causas diversas à Sponsalibus, ut signanter patebat ex depositione testis per Angelam inducti, ex cujus dicto colligitur munera tradita fuisse ad effectum, ut Mulier ad alios Viros non converteretur, talique pacto per ipsam accepta fuisse; & proindè dicta munera impor- 6
tare nequibant mutuum Contrahentium consensum ad inducendam Sponsalium perfectionem. *Abb. in Cap. fin. de desponsat. impuber. num. 7. Rot. d. dec. 267. num. 15. part. 18.*; *& cor. clar. mem. Card. Falconer. tit. de Sponsal. dec. 1. num. 7.*, *& cor. Lancett. dec. 682. num. 12.*

Nèc pariter fundamentum constitui valebat in asserto Stupro, quod Angela in Curia Archiepiscopali allegaverat se passam fuisse sub fide ei data à Nicolao de ineundo Matrimonio; Quandoquidem nulla adducebatur hujus assumpti probatio, ut opus esset, præsertim contra juramentum
Nicolai, qui respondens positionibus 7
sibi ad instantiam Angelæ exhibitis absolutè negavit se Stuprum commisisse, & Testes super hoc articulo solum deponebant de assidua familiaritate, & vitæ consuetudine, quam Nicolaus in propria Domo habebat cum Angela ejus famulatui addicta; deficiente

ciente igitur probatione passi Stupri sub fide futuri Matrimonii, hujusmodi familiaritas inter Virum, & Mulierem etiam diù continuata non con-
8 cludit contracta fuisse Sponsalia *Rot. ad ornat. Card. de Luc. dec. 6. num. 4. lib. 14. tom. 2., et cor. Lancetta decis. 682. num. 13.*, p æcipuè quia An-
9 gela familiaritatem etiam habebat cum aliis Amasiis, ut ad rem prosequitur *d. dec. 6. num 4.* apud *Card. de Luc. lib. 14. tom. 2., et dec. 1. num. 20. tit. de Sponsal. cor. clar. mem. Card. Falconer.*, *et in Romana Matrimonii 3. Julii 1719. cor. R.mo P. D. meo Corio Decano*.

His denique accedebant peculiares Facti circumstantiæ, quod nempè Nicolaus de mense Septembris 1729. solemniter Sponsalia contraxerat cum Candida Grosso præsente, ac
10 vidente eadem Angela, quæ ulterius eidem Candidæ exhibuit nonnulla munera nomine Nicolai: Hæc autem non solum maximam inducunt præsumptionem, quod revera Sponsalia
11 cum Angela præcedenter contracta non fuerint, ut inquit *Rot. dec. 207. num. 7. part. 1. rec., et cor. clar. mem. Card. Falconer. d. dec. 1. num. 20. tit. de Sponsal.* sed etiam ex dictis circumstantiis validum resultat argumentum, quod Angela prioribus Sponsalibus, si
12 forsan contracta fuissent, tacitè renunciaverit, eaque mutuo consensu dissoluta remanserint ex traditis per *Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 52. num. 4.*; *Pont. eodem tract. lib. 12. n. 1. cap. 14.*, *Rot. coram Zarat. dec. 208. num. 22., in rec. dec. 185. n. 8. part. 14.*, & post *Card. de Luc. d. dec. 6. sub n. 5. lib. 14. tom. 2.*

Cum igitur ex his pateat non constare de Sponsalibus, indè sequebatur negativa resolutio secundæ Du-
13 bii partis, scilicet non esse locum coactioni, ut in his terminis respondit *Rot. d. dec. 1. num. 21. tit. de Sponsal. cor. clar. mem. Card. Falconer.* Maximè quia nostrum Tribunal solet ab-
14 stinere ab hujusmodi coactione, ubi, prout in casu, non constet Sponsalia firmata extitisse juramento, atque ex futuro Matrimonio tùm ob expressam, ac induratam Viri reluctantiam, tùm ob qualitatem Mulieris vili famulatui addictæ, tùm etiam ob diuturnam litis continuationem malus potius, & infelix, quam bonus exitus timeri valeat, ut habetur in *dec. cor. Cavaler. 447. num. 7.*, *cor. Priolo dec. 89. num. 11.*, *cor. Benincas. dec. 66. n. 3.*, *et in recen. dec. 185. num. 6. part. 14.*, *et in Albanen. Sponsalium super Censuris 15. Decembris 1710. §. Postissimè cor. bon. mem. Ansaldo*.

Et ita &c. Unica &c.

EMINENTISSIMO MOLINO

Moguntina Sponsalium

Lunæ 20. Novembris 1741.

ARGUMENTUM

Non est locus coactioni non probatis Sponsalibus. Sponsalia sub conditione contracta corruunt non adimpleta conditione. In Muliere pro recedendo a Sponsalibus sufficit causa etiam levis.

SUMMARIUM

1 *Sponsalia sunt mutua, ac deliberata Maris, et Fœminæ futurarum Nuptiarum repromissio.*
2 *Probata non dicuntur Sponsalia, nisi constet de mutuo utriusque Partis consensu, animoque deliberato actu se se obligandi ad ineundum Matrimonium.*
3 *Maximè ad effectum cogendi Puellam invitam ad illud contrahendum.*
4 *Testis, qui non refert quomodo, ubi, quibusve verbis fuerint contracta Sponsalia, nullamque affert suæ scientiæ causam, non probat.*
5 *Multo minus si sit unicus, & singularis.*
6 *Si ex verbis Maris, vel Fœminæ non inferatur nisi simplex tractatus de ineundis Sponsalibus in futurum, similis tractatus non sufficit ad inducendam præcisam nubendi obligationem.*
7 *Sponsalia contracta sub conditione inferendi per Sponsum Matrimonio*

nlo tempore determinato aliquam pecuniæ summam, & obtinendi aliquod Officium, corruunt eo transacto tempore, & conditione non adimpleta, & n.9.

8 *Expectans actualiter possidere non dicitur*.

10 *Testibus de re gesta apprimè informatis omnimoda fides est adhibenda*.

11 *Confessio, seù Declaratio Puellæ, ex qua vult desumi Sponsalium probatio vel in totum recipi, vel in totum rejici debet*.

12 *Deficiente probatione Sponsalium, non est locus coactioni*.

13 *Quando agitur de Sponsalibus non juratis, si Fœmina habeat sufficientes causas ab illis recedendi, non est cogenda*.

14 *Causa sufficiens est inadimplementum promissorum ex parte Viri*, & num. 16.

15 *Diffamatio Viri ex causa commercii carnalis per ipsum habiti cum alia Fœmina ab ea accusati*, & num. 17.

16 *Licèt, indefensa eadem Fœmina querelante, res quemcumque in Judicio habuerit exitum*.

18 *In Muliere, ob sexus imbecillitatem, levis causa sufficit pro recessu a Sponsalibus*.

19 *Concurrente litigio, quod animi aversionem per se ipsum ostendit, a coactione per Judicem est abstinendum*.

DECIS. L.

Ad Vot. III. num. 10. & 47. & ad Vot. IV. num. 142. & ad Vot. V. num. 7. & 54. & ad Vot. VII. sub num. 104. §. Aut si post.



Erventi animo cupiens Joannes Georgeus Hart de Pago Erlangen. se in Matrimonium conjungere cùm honesta Puella Maria Elisabetha Winclerin Cive Moguntina, de anno 1738. oretenùs tantùm tractatum assumpsit de ineundis Nuptiis in proximo Festo Paschali, & ad faciliùs obtinendum intentum, se collaturum promisit florenos 1200., quodque insuper in futuro Paschate ipse assequutus fuisset Officium Magistri Lignorum Serenissimi Electoris: Pluribus autem ortis diffidiis, elapsoque Paschatis die, & nondum pecuniis exhibitis, nec Officio assequuto, dicta Maria Elisabetha palàm declaravit, se nunquam nupturam dicto Joanni Georgeo, etsi imposterum conferret summam oblatam, & Officium assequeretur.

Qua de re, de Mense Augusti 1739. sub prætextu jam sequutæ promissionis, idem Joannes Georgeus coram Reverendissimo Officiali Vicariatus Moguntini judicialiter institit, ut Puella cogeretur ad secum contrahendum Matrimonium; Sed detecta per Judicem insubsistentia prætensionis Actoris, ab intentata actione Ream conventam per Sententiam absolvit, à qua appellatione interposita, & mihi cognitione Causæ commissa, dedi Dubium = *An constet de Sponsalibus, itaut sit locus coactioni, in Casu &c.* =, quod licèt irresolutum remanserit in Rota *diei* 10. *Martii*, & 3. *Julii* currentis Anni, hodiè tamen collectis suffragiis quinto, & sexto ex Dominis extra ordinarium Turnum sedentibus, prodiit resolutio, mediante Responso = *Negativè* =

Potissima siquidem ratio resolutionis stetit in defectu legitimæ probationis prætensorum Sponsalium; Cùm enim ista sint Contractus continens mutuam, ac deliberatam Maris, 1
& Fœminæ futurarum Nuptiarum repromissionem *ad Text. in leg. Prima ff. de Sponsalibus*, & *Cap. Ex literis eodem titul.*, nisi plenè, & concludenter appareat de mutuo utriusque Partis consensu, animoque deliberato actu se se obligandi ad ineun- 2
dum Matrimonium, nunquam dici potest de Sponsalibus constare per *text. in Cap. primo*, ibique *Gloss. de clandestin. despons.*, *Rot. in recentior. decis.* 267. *num. primo parte* 18., & *coram Celso decis.* 374. *num. primo*, Quod maximè sibi vindicat locum, quando de Sponsalibus inquiritur ad effectum cogendi Puellam invitam ad 3
contrahendum Matrimonium, *Rot. in*

recentior. decis.242. num. primo parte 14., & in Cadicen. Sponsalium 21. Aprilis 1694. §. Videbatur, & quinta Julii ejusdem Anni §. Cumque cor. bon. mem. Ursino.

Hujusmodi plena, & concludens probatio minimè resultare visa fuit ex quatuor testibus per Joannem Georgeum exhibitis; Tres enim ex his nihil omninò deponunt circa prætensum Contractum Sponsalium, nèc deponere poterant, cum ipsi tractatui, & colloquio de ineundis Sponsalibus habito, nèc præsentes fuerint; Quartus autem nomine Cristophorus Forschinger, licèt affirmaverit, quòd circa Festum Sancti Martini contracta fuerint Sponsalia, attamen, *Vel*, quia
4 non refert, quomodò, ubi, quibusve verbis fuerint contracta, nullamque affert suæ scientiæ causam, *Vel*, quia in suo dicto est singularis, & uni-
5 cus, nullum prorsùs probationis gradum attingit ad communiter firmata per *Rot. coram Lancett. decis.* 337. *num.*3., *decis.* 339. *num.*11., *decis.* 1241. *num.* 11., *& decis.*1317. *num.*2., *et* 4., *et coram Molin.decis.*83. *num.*9., *et decis.*608. *num.*25.

Probatio autem Sponsalium non præstita à testibus per Virum inductis frustrà prætendebatur elici ab aliis per Mulierem allatis, & ab istius assertis confessionibus: Ex declarationibus enim judicialibus Puellæ sub Juramento emissis, & ex depositione dd. testium nihil aliud habetur, quam = *Quod si Joannes Georgeus Hart* 1200. *Florenos in paratis Matrimonio inferat, et actuale Officium Lignorum Magistri obtineat, et quidem futuro Festo Paschatis, quod ex tunc Reproducens Reproducto nubere, et insimul* 1000. *Florenos pro Dote conferre velit* =; Ex quibus verbis non aliud inferri potest, quàm, *Vel* simplex verbalis tractatus de ineundis Sponsalibus in futurum omninò
6 insufficiens ad inducendam obligationem præcisam nubendi, ut advertunt Doctores *in Capit. penult. de Sponsal.*, *Jo: Andreas ibidem num.* 5., *Butr. num.*8., *Spad. consil.* 152. *num. primo libr.*2., *Rot. decis.* 267. *num.*5. *parte* 18., post *Cardin. De Luca de Regular.*, *& Matrim. decis.* 6. *num. primo*, *& sequen.*

Vel, si quæ Sponsalia resultarent, illa sub duplici conditione contracta apparerent, nimirùm, si dictus Joannes Georgeus inferret Matrimonio oblatos Florenos 1200. in pecunia numerata, & insimul si actuale Officium Magistri Lignorum obtineret, & quidem præfinito tempore in futuro Festo Paschatis, & tali casu cum Joannes Georgeus, advento, & elapso tempore Paschali, oblatam pecuniam non contulerit, nèc ostenderit Officium se actualiter possidere, manifestè sequebatur, quod acceptata ex parte Puellæ resolutione Contractus, quæcumque Sponsalia, si quæ aderant, ex de- 7
fectu conditionum, penitùs irrita, & inania remansissent ad *text. in Cap. De illis* 3. *de condit. apposit. in desponsat.*, ibique *Gloss.*, *& Canonistæ* collecti per *Barbos. ad dict. Cap. num. primo*, *& secundo*, *Passerin. in* 6. *Decret. Capit. unic.§.Ille de Sponsal.*, *Piringh. in Jus Canon. lib.* 4. *titul.*5. §. 2. *numero* 7., *Rota coram Kaunitz decis.*77. *num. primo*, *& secundo*.

Et sanè dubitari non poterat de dictarum conditionum defectu; Nam quoad promissam pecuniam, hæc nèc de tempore statuto Solemnitatis Paschatis, nèc postea præstita unquam fuit. Quo verò ad Officium Magistri Lignorum, & si Joannes Georgeus curaverit obtinere quamdam expectativam cum spe futuræ successionis in casu obitus actualis Officialis, atta- 8
men cum expectans actualiter possidere non dicatur, conditio adjecta Sponsalibus = *Si actualiter Officium Lignorum Magistri obtineat futuro Festo Paschatis* =, adimpleta adhuc non fuit, & consequenter revocato conditionali consensu ex parte Mulieris, quæcumque obligatio prorsùs evanuit, ut præter auctoritates superiùs 9
adductas probat *text. in Cap. Sicut de Sponsal.*, *Sanchez de Matrim. disput.*53. *per tot.*, *Gutierez eodem tract. cap.*24. *num.*7., *& seq.*

Quin controverti valeat, quod collatio Florenorum 1200., & assequutio Officii adjecta fuerit per viam conditionis: Ex clara enim depositione

ne omnium quatuor testium elicitur,
utramque fuisse per viam conditionis
adjectam, & non aliter actum fuisse
de Sponsalibus, quam sub narratis
conditionibus, quibus sanè testibus
10 tamquam de re gesta apprimè informatis,
omnimoda fides præstanda erat,
*Cap. In nostra de Test. Guttierez dict.
Tractat. cap.43. num.84., & 85.,
Rota coram Kaunitz d. decis.77.n.7.*

Posthabita quacumque exceptione,
vel contra Personas Testium per
Mulierem inductorum, vel contra
eorum dicta, & signanter contra declarationes
judicialiter repetitas ab
ipsa Muliere: Etenim cum Joannes
Georgeus non aliundè desumere
valeat probationem controversorum
Sponsalium, quam ex declarationibus
Puellæ, ac dd. testium depositionibus
præseferentibus easdem
conditiones, nèc depositiones, nèc
declarationes in parte recipi, & in
parte rejici possunt, sed tenetur, *vel*
illas in totum rejicere, & sic sine ulla
Sponsalium probatione consistere, *vel*
illas in totum, & cum expressis con-
11 ditionibus recipere per ea, quæ ponderat
*Ferrett. cons.74. num. 4. lib. 1.
Wames. de Sponsal. cons.528. num.11.
tom.2., Rot. coram Kaunitz d. dec.77.
num.9., & coram Molines dec.1108.
num.4., & 5.*

Constabilita ex his totali insubsistentia
prætensorum Sponsalium, superfluum
erat descendere *ad secundam
Dubii partem* coactionem respicientem,
de illa unicè inquirendum
in casu Sponsalium ex probationibus
undiquè plenis, ac perfectis resultantium,
quibus deficientibus, nun-
12 quam datur locus Juri cogendi Puellas
ad ineundum invitas Matrimonia:
Cæterum, & in hoc fermè concors
fuit Dominorum sensus, quod quando,
prout hic, agitur de Sponsalibus
non juratis, & sufficientes causæ
13 ab illis recedendi concurrant, nullatenus
deveniri potest ad cogendam
Puellam juxta deducta per *Gabriel.
cons. 186. num. 9., & 10., Giovagn.
consil.16. num.36., & 39., Spad. consil.152.
num.4. lib.2., Rot. in recent.
decis.19. num.30. part.10., coram
Pamphil. decis.96. num.7., coram Cavaler.
decis.468. n.3., coram Ansald.
dec.516. n.7. & 15., & cor. Molines
dec. 979. num. 4.*

Causæ verò sufficientes pro recessu
nèc a longè quærendæ erant; Sive
enim attendatur inadimplementum
promissorum ex parte Viri quoad 14
oblatam summam Florenorum, &
quoad Officium Magistri Lignorum;
sive notitia superventa Mulieri circa
Viri diffamationem ex causa Commercii
carnalis habiti cum quadam
Fœmina Lutherana, ab ista criminaliter 15
accusati, quæ res qualemcumque
exitum habuerint in Judicio, indefensa
Muliere, semper causam præbent
honestæ Puellæ a Sponsalibus resiliendi,
ut quoad inadimplementum 16
Promissorum probat *Guttierez de
Sponsal., & Matrim. cap.33. num.2.,
& 3., Sanchez dicto tract. lib.1. disput.23.
num.1., & 2., & disput.64.
per tot.*, & quoad detectam diffamationem
est *text. in Cap. Quemadmodum 17
de Jurejur.*, ubi *Abbas num. 4.,
Navar. in Summ. cap.25. cas.9., Sanchez
de Matr. disput. 63. n.3., & seq.*

Quod eò facilius admitti debet,
quando recessus a Sponsalibus intentatur
a Muliere, in qua ob sexus imbecillitatem,
etiam levis causa sufficiens
reputatur, ut per *text. in Cap. 18
Requisivit de Sponsal.*, advertit *Rot.
coram bo: me: Ansald. dec.516. n.17.,
& 18.*, maximè concurrente præsenti
litigio, quod sicuti animi aversionem
per se ipsum ostendit, ita ad evitanda
majora mala, quæ a coactis Nuptiis
sequi solent, a coactione Judices se
abstinere debent, juxta ponderata per
*Rot. coram Kaunitz d. dec.77. n. 11.,
& coram Molines d. dec.979. num. 3.*

Et ita resolutum fuit, utraque
Parte informante cum suffragio 5.& 6.

EMINENTISSIMO CRESCENTIO

Majoricen. Sponsalium.

Ven. 10. Junii 1735.

ARGUMENTUM

Sponsalia ad effectum coactionis requirunt indubiam probationem mutuæ contemporaneæ repromissionis de præsenti, quæ non suppletur a testibus variè deponentibus, nèc a verbis subobscuris vicissim a Masculo, & Fœmina prolatia.

SUMMARIUM

1 *Probatio Sponsalium ad hoc, ut sit locus coactioni, debet esse concludens, & in suo genere perfecta.*

2 *Et requiritur Sponsio una cum simili repromissione Mulieris.*

3 *Testes familiares mediatores furtivis congressibus Mulieris cum Viro, & fautores pro Matrimonio apti non sunt ad constituendam hanc probationem.*

4 *Testes de mendacio convicti quoad assertam copulam carnalem, fidem non promerentur, quatenus de mutua promissione contrahendi Matrimonium deponant.*

5 *Verba Mulieris ad Virum* = Tu già sai, che v'è trà me, e tè = *& responsio Viri ad Mulierem* = che mi guardi, e m'abbi per Marito tuo, che io ti guardo a te per Moglie mia = *non probant Sponsalia de præsenti contracta.*

6 *Quod Vir in quadam Cœna se vocaverit Generum Patris Mulieris, & ab aliis Commensalibus fuerit Matrimonium propinatum, non probat Sponsalia.*

7 *Testis a Muliere inductus deponens contra Sponsalia, probat contra ipsam, & fidem minuit aliis testibus circa actus, quos cæteri pleno ore affirmabant, & ipse, licet præsens, contrarium deposuit.*

8 *Non probatis Sponsalibus locus non est coactioni.*

9 *Maximè si nullum interpositum fuerit a Viro Juramentum, & propter litis, ac diuturni Carceris incommodum creverit ejus animi aversio erga Mulierem, quæ exitum parum felicem sperare possit a Matrimonio.*

DECIS. LI.

Alias Decis. 331. inter impress. cor. eod. tom. 3.

Ad Vot. V. num. 7. & 8. & ad Vot. VII. n. 60. 61. 65. 71. 72. 98.



DUM Guillelmus Antonius Salom erat Matrimonium contracturus cum Catharina Reus, fuit in Judicium vocatus ab alia Puella nomine Margarita Soler, quæ datam sibi ab eodem Guillelmo asserens Matrimonii fidem, eaque sub fiducia inductam fuisse ad actus virginali pudori, ac honestati contrarios, cogi eum petebat ad implementum promissorum; Sed auditis in formali examine testibus ad hoc probandum per Margaritam adductis, Ordinarius Majoricen. Sententiam protulit absolutoriam Guillelmi, a qua delegata Mihi Appellationis Causa, Dubium hodiè proposui = *An constet de Sponsalibus, ita ut sit locus coactioni* = & pro Guillelmo informante responsum habui = *Negativum* =

Cum enim probatio ad hunc effectum concludens, atque in genere suo perfecta requiratur per *text. in Cap. Mulieri* ibique *Gloss. verb. Absolutio de Jurejur. cap. 1.* ubi *Gloss. de Clandestin. desponsat. Rot. cor. Celsi decis. 374. num. 1., et coram Lancett. decis. 433. num. 1.* cum aliis in *Surrentina Sponsalium* 8. *Febr.* 1734. §. *Sponsalia coram R. P. D. meo Harrach.*; gradum sanè hujusmodi probationis minimè attingebat Margarita, quæ penitus destituta quocumque scripturarum documento, intentionem suam coram Judice de Partibus unicè fundare contendebat in formali testium examine, sed eorum depositiones hodiè seriò ponderatæ haud conclu- 1

dere

dere visæ sunt positivam Guillelmi Sponsionem contrahendi Matrimonium una cum simili repromissione Margaritæ, prout exigit de sui natu-
2 ra contractus per *text. in l. 1. ff. de Sponsalib. Cap. Tuæ eod. tit. Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 5. n. 5. Card. de Luc. eod. tract. disc. 8. num. 4. Rot. decis. 572. num. 1. cor. Rmo Crispo* cum aliis *in dicta Surrentina Sponsalium 8. Februarii 1734. §. Præterea cor. R. P. D. meo Harroch*.

Porrò quidquid sit, an in facto concurrerent adminicula præseferentia Margaritæ acceptationem, quæ vim habeat hujus necessariæ repromissionis, ne quidem probata videbatur Guillelmi promissio. Tres enim ex quatuor testibus, nempè Bartholomæus Gomila, Catharina Micolau, alias Grosso, & Catharina Ribes ratione familiaritatis, atque servitii, quod Margaritæ præstabant, necnon quia mediatricem operam dabant furtivis congressibus Margaritæ cum Guillelmo, & manifestè apparebant fautores illius pro Matrimonio, & victoria præsentis Causæ, erant proin-
3 dè minus integræ fidei, nèc perfectam probationem constituere dici poterant *Rot. coram Cerr. dec. 26. n. 17., coram Peutinger. decis. 179. num. 10., coram clar. mem. Card. Falconer. tit. de Sponsalib. decis. 1. n. 3. & 4., & coram Rmo Crispo dec. 401. n. 9. & 11.*

Quinimo de mendacio facilè convincebantur eo ipso, quod de co-
4 pula carnali inter Guillelmum, & Margaritam forsan ad Causæ opportunitatem deponere non dubitarunt, cum deindè hoc nescire fassi fuerint, & ipsamet Margarita medio juramento declaraverit se nunquam fuisse a Guillemo carnaliter cognitam, undè falsi comperti in hac parte, nèc fidem promerebantur, quatenus de mutua promissione contrahendi Matrimonium deponerent juxta regulam, de qua *Rot. coram Molines decis. 480. num. 11. decis. 496. num. 15. decis. 893. num. 8. & coram Rmo Crispo dec. 401. num. 9.*

Cæterum neque hoc asserere videbantur dicti testes, quia Bartholomæus Gomila, qui sæpè sæpius Margaritam vocabat ad colloquia cum Guillelmo, non aliud dicebat, quam quod = *Parlavano quando volevano, e in questo tempo gli diede parola di Casamento, e tutto ciò lo Testimonio per ritrovarmi presente in detta occasione* = quibus autem verbis concepta, ac expressa fuerit dicta promissio, non audet hic testis asserere. Asserit quidem, ac individualia verba refert 5
sola Catharina Ribes, quod nempè Margarita resistens impudicis Guillelmi ausibus dicebat = *e tu già sai, che vi è tra me, e te, e rispondeva il detto Guglielmo Antonio, questo dite? che non sapete, che v' ho detto? e adesso ve lo ritorno a dire, che mi guardi, e m' abbia per Marito tuo, che io ti guardo a te per Moglie mia* = quæ verba suboscura, & æquivoca referri siquidem possunt ad voluntatem imperfectam, & meram promissionem Sponsalium de futuro, sed non probant Sponsalia de facto contracta *Abb. in Cap. Ex literis de Sponsal. Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 18. n. 25. & 26. Bonaccin. de Sponsal. quæst. 1. punct. 1. num. 3. Piton. discept. Eccles. 52. sub num. 74. & 78. Panimoll. decis. 23. num. 8. Rot. cor. Emerix Jun. dec. 195. n. 5., & in d. Surrentina Sponsalium §. Testes enim*.

Catharina Micolau addicta similiter famulatui Margaritæ nihil de Sponsalibus positivè asserebat, & oc- 6
casione tantummodo cujusdam Cœnæ Guillelmum se vocasse Generum Petri Soler, & ab aliis Commensalibus fuisse Matrimonium propinatum. Bartholomæus vero Mesquida tantum abest, quod ad intentum Margaritæ conferret, ut imo illius depositio retorqueretur. Licèt enim ab aliis tribus vocaretur in contestem, asseruit nihilominùs = ibi = *Non viddi, che il detto Guglielmo facesse azzioni, ò dimostrazioni veruna di Sposo, e Marito con detta Soler, nè dir parola toccante questa materia* = Cum igitur fuerit inductus ab ipsa Margarita, non solum probat contra ipsam, sed magis semper fidem minuit aliis Testibus tam circa fidem Matrimonii ad invicem datam a Margarita, & Guillelmo, quam circa impudicos actus, 7
quos

quos cæteri pleno ore affirmabant, hic vero licet præsens contrarium deponebat quasi per speciem negativæ coarctatæ = ibi = *e sempre stiedi assieme con quelli senza perdergli giammai di vista, potendogli io sempre vedere con il lume, che vi era, e non viddi, che detto Guglielmo Antonio abbracciasse la detta Soler, nè facesse azzioni indecenti con quella, nè la toccasse in veruna parte del suo corpo, ed è certo, che io l' averei visto, e non poteva esser di meno, perchè stavo insieme con loro, e alla presenza loro* =

Profectò in his circumstantiis quemadmodum constare dici non poterat de Sponsalibus, quæ certam,
8 indubiamque probationem requirunt, ita consequenter locus non erat coactioni Guillelmi juxta firmata per *Rot. decis. 1. n. 21. tit. de Sponsal. cor. clar. mem. Card. Falconerio*, maximè quia in omnem casum nullum dici potest interpositum a Guillelmo jura-
9 mentum, & propter litis, ac diuturni carceris incommodum crevit ejus animi aversio erga Margaritam, quæ proindè exitum parum felicem sperare posset ab hoc Matrimonio, ut appositè considerat *Rot. in d. Surrentina Sponsalium 8. Februar. 1734. in fin. cor. R. P. D. meo Harrach.*

Et ita Guillelmo tantum informante, Margarita verò frustra dilationem petente resolutum fuit.

EMINENTISSIMO CRESCENTIO

Majoricen. Sponsalium

Vener. 25. Novembris 1735.

Confirmatoria præcedentis

A R G U M E N T U M

Habes in præcedenti Decisione.

S U M M A R I U M

1 *Sponsalium perfecta probatio ad effectum coactionis deduci non potest ex teste, qui repertus fuit mendax in eo, quod deposuit de Copula carnali.*

2 *Neque ex verbis a Masculo prolatis* = mi abbi per tuo Marito, che io ti guardo per Moglie mia =

3 *Neque ex eo, quod Masculus se nuncupaverit Generum Patris Mulieris.*

4 *Maxime si alter testis a Muliere in contestem inductus contraria deponat.*

5 *Neque ex aliis verbis a Masculo pronunciatis* = effettuare il Matrimonio =

6 *Acceptatio, & repromissio Mulieris inducitur ex actibus subsecutis contra virginalem pudorem.*

7 *Intellige, ubi Copula secuta fuerit.*

8 *Vel ubi indubitanter constat de seria promissione Viri eam ducendi in Uxorem.*

9 *Secus ubi nec certò constat de promissione viri deliberata, neque de Mulieris assensu quoad Copulam.*

10 *Impudici actus referendi sunt ad vim, & petulantiam Viri potius, quàm ad præconceptam spem Matrimonii.*

11 *Mulier petens Remissoriam fatetur se non esse in probatis.*

12 *Et sicut Ecclesia ex causa evitandi majus malum dissolvit etiam Sponsalia perfecta.*

13 *Ita Judex ubi constat de alterius erga alterum aversione, inclinare facilis debet ad declarandum nulla adesse Sponsalia.*

14 *Præsertim ubi nec Juramentum, nec certa concurrat probatio.*

D E C I S. LII.

Alias Decis 342. cor. eod.

Ad Vot. V. num 7. 8. ad Vot. VII. num. 60. 61. 65. 71. 72. 98. 114.



ADversus Decisionem coram Me editam sub die 10. Junii currentis anni, ac declarantem non constare de Sponsalibus inter Margaritam Soler, & Guillelmum Antonium Salom, admissa fuit Margarita ad novam Audientiam, cujus beneficio, licet hodiè

diè omnia in facto , & in Jure deduxerit , quæ ad suæ intentionis fundamentum conferre poterant , a priori tamen sensu retrahere non valuit animos DD.,qui responderunt *in Decisis*.

Ad novam quippè trutinam revocatæ depositiones testium , quibus Margarita unicè nitebatur , iterum visæ sunt non attingere eum gradum perfectæ probationis, quæ ad hunc effectum requiritur . Etenim BartholomæusGomila ultra exceptionem familiaritatis cum Margarita , & desiderium , quod fatebatur, istius Matrimonii , nimis profectò animosè deponebat etiam de copula carnali inter Margaritam , & Guillelmum, non quidem opinativè , ac illativè , sed verbis absolutè assertivis = ibi = *Perchè il detto Guillelmo Antonio l'ha dato parola di*
1 *Matrimonio avanti di me , ed ha avuto copula con lei* = & nihilominus in progressu examinis dixit nescire an copula isthæc intercesserit nèc ne , quinimo directè excludebatur ex ipsa confessione Margaritæ . Quapropter huic Testi non omnino deferendum videbatur juxta firmata in præcedenti Decisione §.*Porrò & seqq., cor. Me.*

Insuper tàm Bartholomæus prædictus , quàm Catharina Ribes addicta servitio Margaritæ non aliundè inferebant mutuam futuri Matrimonii sponsionem , quam ex verbis a Guil-
2 lelmo prolatis =ibi= *Questo dite ? che non sapete , che v' ho detto ? E adesso ve lo torno a dire , che mi guardi , e m' abbi per Marito tuo , che ti guardo a te , come Moglie mia* = quæ, deficientibus aliis facti circumstantiis , & adminiculis, non important verum, perfectumque Contractum ultro citroque obligatorium ad futurum Matrimonium , sed verba sunt potius amatoria principaliter tendentia ad vincendam Puellæ repugnantiam , ejusque captandum assensum actibus inhonestis *Bonaccin. de Sponsal. quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 3. *tom.* 1. *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disput.* 18. *num.* 25. *&* 26. *Piton. discept. Eccles.* 52. *num.* 74. *vers. Et in fortioribus Panimoll. decis.* 23. *num.* 5. *et* 6. *Rot. in Surrentina Sponsalium* 8. *Februarii* 1734. §. *Testes enim cor. R. P. D. meo de Harrach.*

Eademque militat responsio ad depositionem alterius Catharinæ Mi-
colau,quæ ex eo tantum contracta pu- 3
tabat Sponsalia , de quibus agitur , quia Guillelmus discumbens propè Margaritam dixit = *Sono Genero di Soler* = ultra quod enim sunt in ore unius tantum , facilè dignoscuntur nimis vaga, & æquivoca , & ideò nullius relevantiæ ad effectum,de quo agitur; Maximè quia Bartholomæus Mesquida in contestum vocatus , & per Marga-
ritam inductus , atque productus tan- 4
tum abest , quod aliorum dicta confirmet , ut imò potius excludat quasi per speciem negativæ coarctatæ , ut latius probat Decisio , quæ confirmatur §. *Catharina* .

Frustra verò dicebatur hujusmodi promissionem Matrimonii resultare a confessione ipsius Guillelmi, qui post introductam hanc litem sæpius protestatus est = *che prima morirebbe , e permetterebbe , che facessero pestare il suo corpo,prima d'accasarsi con detta Soler , ne effettuare il Matrimonio con quella* = ex quo verba illa = *effettuare il Matrimonio* = supponant præcessisseSponsalia. Testes quippè hoc deponentes non conveniunt in individua verborum formula per Guillelmum adhibita , cum alius referat dixisse = *che prima si farebbe Turco , e si darebbe una stillettata , e cose somiglianti, e non consentirebbe l'accasarsi con detta Soler* = undè facilè colligebatur testes prædictos referre voluisse constantem animi aversionem ab hoc Matrimonio , non autem specificam , & individuam formulam in illius de-
claratione usurpatam . Ultraquam- 5
quod verba ipsa = *effettuare il Matrimonio* = licet in cortice sumpta quodammodo præsupponant illius promissionem, nihilominus utpotè in substantia nimis vaga , & æquivoca , minus apta forent ad probanda Sponsalia.

Deficiebat insuper pro parte Margaritæ acceptatio , ac repromissio, de
qua nullus ex testibus deponebat , & 6
quamvis aliquando hæc inferatur ab actibus subsecutis contra Virginalem pudorem, atque honestatem , ob eam præsumptionem, quod honesta Puella nonnisi suo Sponso , & sub spe futuri Ma-

7 ri Matrimonii præbeat sui corporis usum; Hoc tamen procedit, ubi Copula secuta fuerit, & indubitanter
8 constet de seria promissione Viri eam ducendi in Uxorem, in quibus terminis loquuntur auctoritates in contrarium adductæ; secus autem, ubi, prout in casu, nèc certò constat de
9 seria, & deliberata promissione Guillelmi, neque Copulæ assensum præstitit Margarita; Si quos autem passa est impudicos actus, ii potius referendi videbantur ad vim, & ad petulantiam
10 Viri, cui etiam sine longa obsidione facile est ad hunc effectum Muliebrem vincere fragilitatem, non vero ad sibi datam fidem, & præconceptam spem futuri Matrimonii.

Cæterum cum ipsamet Margarita in contemporaneo Dubio peteret hodiè Remissoriam ad effectum denuo
11 examinandi Testes formiter, jam fateri videbatur non esse in probatis *Rot. cor. Emerix Jun. decis.663. n.4.*, Ideòque tantò minus DD. hæsitarunt confirmare præcedentem Decisionem contra asserta Sponsalia, de quibus cum ageretur ad effectum cogendi ad Matrimonium Virum, qui post diuturnum Carcerem, atque litigium adeò constantem animi repugnantiam, & aversionem concepit adversus Margaritam, ut sperari inter eos minimè valeat amoris redintegratio, sed imò timeri justè possit infelix, & malus exitus Matrimonii: In his profectò circumstantiis, quemadmodum Ecclesia tamquam ex justa causa evitandi majus malum, dissolvit etiam Spon- 12
salia in suo esse perfecta, & pristinæ libertati Sponsos restituit; Ita Judex inclinare facilius debet ad declarandum non adesse Sponsalia, ubi præsertim nèc Juramentum, nèc certa 13
illorum concurrat probatio, & consequenter a coactione abstinere juxta 14
pluries notata per *Rot. coram Cavaler. dec.447. n.1.*, *& cor. Cels. dec.374. num.5.*, *& in recen. dec 19. num.3. par.10.*, *& in Lunen. Sarzanen. Sponsalium 28. Junii 1694. §. fin. cor. Pio*, *& in Viennen. prætensorum Sponsalium 12. Januarii 1705. §. Et quamvis cor. Kaunitz*, *& in Comen. Sponsalium 12. Junii ejusdem anni per tot. cor. Mollner*, *& in Surrentina Sponsalium 8. Februarii 1734. §. Cum igitur coram R. P. D. meo Harrach*.

Et ita &c. Utraque &c.

F I N I S.

INDEX
RERUM, ET MATERIARUM
QUÆ
In Votis, Additionibus, & Decisionibus continentur.

A

ABBATISSA

ABSOLUTIO

ABUSUS

ACTA

ACTUS

ADULTERIUM

ALIMENTA

ARCHIEPISCOPUS.

ARRESTUM.

ARS.

ARTICULUS.

AUCTOR.

AUGMENTUM DOTIS.

AVOCATIO.

AXIOMA.

B

BAPTISMUS

BENEDICTIO.

BIGAMUS.

C

CANONES

CARCER: CARCERATUS:

ut

CONCILIA.

CONCUBINA.

CONCUBINATUS.

CONCUBITUS.

DEFENSIO

DEFENSOR MATRIMONIORUM

DELICTUM

DENUNCIATIONES MATRIMONIALES

DEUS.

Nu-

E

ECCLESIA.

EPISCOPUS

Epi-

EXCOMMUNICATIO.

EXEMPLA.

EXERCITIA SPIRITUALIA.

EXHÆREDATIO.

EXPENSÆ.

FA-

F

FAMA.

FIDEICOMMISSUM.

FIDES.

FILIUS, FILIA.

FŒMINA.

Quæ

FORENSES.

FORNICATIO

FORUM

FRAUS

Con-

Alias

INHONESTAS.

INJURIA.

INTERDICTUM.

INVERISIMILITUDO.

IRREGULARITAS

JUDEX

Quia

Judex

L

LAICI

LEGATUM

LEGITIMA

LENOCINIUM

LEX

LIBERTAS

Li-

LIBRI

LIS

LUSITANIA

MA-

MATRIMONIA CATHOLICORUM CUM HÆRETICIS

Paro-

MATRIMONIA CONSCIENTIÆ

MATRIMONIA FILIORUMFAMILIAS

MATRIMONIA FILIORUMFAMILIAS CUM PERSONA INÆQUALI

MATRIMONIA FILIORUMFAMILIAS CUM PERSONA INDIGNA

MATRIMONIA PRÆTENSA INVALIDA CORAM QUIBUS JUDICIBUS PROPONENDA, ET QUÆNAM FORMA, ET ORDO IN JUDICIO SERVANDUS

Si in

Ma-

Non

Non

ORDO

OSCULA

OSEE

P

PACTUM

Sive

PAROCHUS

Sa-

PATER

PATRIA POTESTAS

PECCATUM

pec-

[illegible]

Vot

PRÆSUMPTIO

Con-

SACRILEGIUM

SCANDALUM

SCIENTIA

Sff

Qui

De

SPONSALIA CONDITIONATA

SPONSALIA FILIORUMFAMILIAS

Spon-

Filii-

SPONSALIA QUOMODO PROBENTUR CONTRACTA

SPONSALIA QUANDO SINT IMPERFECTA, VEL NON PROBATA

MILIAS: SPONSALIA EX QUIBUS CAUSIS DISSOLVI POSSINT &c. STUPRUM SUB FIDA FUTURI CONJUGII COMMISSUM.

SPONSALIA EX QUIBUS CAUSIS DISSOLVI POSSINT, VEL AB EIS RESILIRE NON LICEAT

STATUTUM

STUPRATOR : STUPRATA : STUPRUM.

STUPRUM SUB FIDE FUTURI CONJUGII COMMISSUM

SUSPENSIO

SYNODUS

T

TABELLIONATUS

TACTUS

TEMPUS

TESTATOR: TESTAMENTUM

TESTES

VERECUNDIA

VIDUA

VIOLENTIA

VISITATIO PASTORALIS

VO-

F I N I S.

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 9.	col.1. lin.3.	In Judicio	sine Parentum judicio
31.	col.2. lin.15.	invitus, atque coactus	invitam, atque coactam
37.	col.1. lin.27.	honestam	honestum
46.	col.1. lin.24.	Matrimonium	Matrimonium
57.	col.2. lin.45.)	*Adde*	In Sponsalibus nudis
81.	col.2. lin.32.)		
84.	col.2. lin.9.	perniciosius	perniciosius
102.	col.2. lin.6.	Institutum	Institum
112.	col.1. lin. penult.	ignaro	ignavo
121.	col.2. lin.10.	antiquius	antiquitas
122.	col.1. lin.6.	quòd	quod
140.	col.1. lin.18.	&c.	&
143.	col.1. lin.15.	conversare	conversari
152.	col.1. lin.5.	sciis	Insciis
158.	col.2. lin.43.	certudinaliter	certitudinaliter
160.	col.2. lin.34.	subministrari	subministrata
166.	col.1. lin.48.	undaut	audeans
170.	col.2. lin.53.	ad	ed
182.	col.2. lin.17.	honesti	honesto
191.	col.1. lin.10	obtinentibus	obnitentibus
201.	col.1. lin.42.	juxta	& juxta
245.	col.1. lin.18.	effectum	effectus
246.	col.2. lin.49.	Filiisfamilias	Filiifamilias
252.	col.2. lin.45.	aliud	alium
255.	col.1. lin.24.	eum	eum
256.	col.2. lin.12.	inhibitionis	inhibitiones
267.	col.1. lin.24.	so o	fesso
275.	col.1. lin.45.	eodem	ab eodem
278.	col.1. lin.2.	tùm	tunc
310.	col.1. lin.23.	meumque	eamque
340.	col.2. lin.16.	Joannis	Joannes
350.	col.2. lin.20.	ea	eá
	Ibidem	illud ea	illud
362.	col.1. lin.22.	depositio ea	depositiones
379.	col.1. lin.2.	de suo	de suo
422.	col.2. lin.1.	delecta	deleta

Hæc sunt errata graviora; Cætera benigne Lector emenda.

